www.e-rara.ch

Theologia dogmatico-moralis secundum ordinem catechismi Concilii Tridentini

Alexandre, Noël

[Einsiedeln], 1768-1772

Zentralbibliothek Zürich

Shelf Mark: Ro 531

Persistent Link: https://doi.org/10.3931/e-rara-25780

Tomus quintus

www.e-rara.ch
Die Plattform e-rara.ch macht die in Schweizer Bibliotheken vorhandenen Drucke online verfügbar. Das Spektrum reicht von Büchern über Karten bis zu illustrierten Materialien – von den Anfängen des Buchdrucks bis ins 20. Jahrhundert.

e-rara.ch provides online access to rare books available in Swiss libraries. The holdings extend from books and maps to illustrated material – from the beginnings of printing to the 20th century.

e-rara.ch met en ligne des reproductions numériques d'imprimés conservés dans les bibliothèques de Suisse. L'éventail va des livres aux documents iconographiques en passant par les cartes – des débuts de l'imprimerie jusqu'au 20e siècle.

e-rara.ch mette a disposizione in rete le edizioni antiche conservate nelle biblioteche svizzere. La collezione comprende libri, carte geografiche e materiale illustrato che risalgono agli inizi della tipografia fino ad arrivare al XX secolo.

Nutzungsbedingungen Dieses Digitalisat kann kostenfrei heruntergeladen werden. Die Lizenzierungsart und die Nutzungsbedingungen sind individuell zu jedem Dokument in den Titelinformationen angegeben. Für weitere Informationen siehe auch [Link]

Terms of Use This digital copy can be downloaded free of charge. The type of licensing and the terms of use are indicated in the title information for each document individually. For further information please refer to the terms of use on [Link]

Conditions d'utilisation Ce document numérique peut être téléchargé gratuitement. Son statut juridique et ses conditions d'utilisation sont précisés dans sa notice détaillée. Pour de plus amples informations, voir [Link]

Condizioni di utilizzo Questo documento può essere scaricato gratuitamente. Il tipo di licenza e le condizioni di utilizzo sono indicate nella notizia bibliografica del singolo documento. Per ulteriori informazioni vedi anche [Link]

Visual Library

THEOLOGIA
DOGMATICO-MORALIS

Secundum Ordinem Catechismi

CONCILII TRIDENTINI.

EDITIO OMNIUM ACCURATISSIMA,

Plurimis Accessionibus, & Notis, variis Epistolis, & Monumentis aucta, illustrata, & locupletata.

TOMUS QUINTUS

UBI AGITUR

De Indulgentiis, Sacramento Ordinis, Beneficiis, Simonia, & Horis Canonicis.

AUCTORE

R. P. F. NATALI ALEXANDRO
Ordinis FF. Prædicatorum, in sacra Facultate Parisiensi Doctore, & emerito Theologiæ Professore.

Sum Mentij Rhenovienſis
Sub Abbate Januario I.

Typis Principalis Monasterii B. V. M. Einsidlensis,
Per Franciscum Xaverium Kälin. Anno MDCCLXIX.

BIBLIOTHEK
DER
CANTONAL-
LEHR-
ANSTALTEN
ZU
ZÜRICH

THEOLOGIÆ
DOGMATICÆ, ET MORALIS
SECUNDUM ORDINEM CATECHISMI
Concilii Tridentini
LIBER SECUNDUS.
TRACTATUS
DE INDULGENTIIS.

CUm Ecclesiæ concessa sit a Christo ligandi potestas, & solvendi, non solum condignam Satisfactionem pœnitentibus injungere, sed & pœnam temporalem eorum peccatis debitam moderari, & relaxare potest; quam moderationem, condonationem, & remissionem Indulgentiæ nomen usu ecclesiastico significat. Quamobrem definitur *Indulgentia, Absolutio a Pœnitentiis a Sacerdote, aut a Canone injunctis.* Sive, *Remissio pœnæ temporalis, quæ post remissionem peccatorum luenda supereſt, extra Sacramentum facta ab eo, qui spiritualem jurisdictionem habet cœlestem Ecclesiæ Thesaurum dispensandi.* Quod ut intelligatur, inconcussum illud principium recolendum est, quod ex Concilio Trid. superius posuimus, non similiter in pœnitentiæ Sacramento, atque in Baptismo, peccatorum omnium remissionem conferri. Nam in Baptismo ita Christo commorimur, & ad vitam renovamur perfecta peccatorum remissione, ut pro iis nulla omnino pœna supersit in futuro

Quid indulgentia.

turo ſæculo luenda. At in pœnitentiæ Sacramento ſic remittuntur peccata quoad culpam, ut tamen adhuc reſtet terribilis quædam expectatio judicii in futuro ſæculo, niſi per dignos fructus, & opera pœnitentiæ in hac vita divinæ Juſtitiæ ſatisfiat. Cum igitur illa futuri ſæculi pœna dignis pœnitentiæ operibus redimitur, ſatisfactio eſt. Cum vero ea pœnitentiæ opera ex cauſa legitima ab eo, qui ſpiritualem juriſdictionem habet, & pœnitenti remittuntur, ſatisfactionis remiſſio, donatio, ſeu relaxatio eſt, quam eccleſiaſtico uſu indulgentiam vocamus.

Duo de indulgentiis credenda.

Duo autem duntaxat de indulgentiis credenda proponuntur ab Eccleſia: Primum, Poteſtatem concedendi indulgentias a Chriſto Eccleſiæ conceſſam eſſe. Secundum, eas chriſtianis utiles eſſe, ac ſalutares. Ita docet ſacra Synodus Tridentina ſeſſ. 25. in Decreto de indulgentiis. „„ Cum (*inquit*) poteſtas conferendi indulgentias a Chriſto Eccleſiæ conceſſa ſit; atque hujuſmodi Poteſtate divinitus ſib tradita antiquiſſimis etiam temporibus illa uſa fuerit, ſacroſancta Synodus indulgentiarum uſum, chriſtiano populo maxime ſalutarem, & ſacrorum Conciliorum auctoritate probatum, in Eccleſia retinendum eſſe docet, & præcipit; eoſque anathemate damnat, qui aut inutiles eſſe aſſerunt; vel eas concedendi in Eccleſia poteſtatem eſſe negant „„. Quam poteſtatem *Wiclefus* in Concilio Conſtantienſi damnatus, *Lutherus*, & *Calvinus* præfracte negarunt. Quamobrem totam de indulgentiis tractationem ad hæc duo capita revocamus, Regulas quaſdam praxim, & diſciplinam ſpectantes pro more ſubjecturi.

CA-

CAPUT PRIMUM.

De Potestate concedendi Indulgentias.

PROPOSITIO UNICA.

Potestas Indulgentias concedendi a Christo tradita est Ecclesiæ, quæ antiquissimis etiam temporibus sacra illa potestate usa est.

Potestas illa colligitur ex Christi Domini verbis Matth. 16. & 18. *Quæcunque ligaveritis super terram, erunt ligata & in cœlo; & quæcunque solveritis super terram, erunt soluta & in cœlo.* Quibus verbis cum Apostoli, eorumque Successores potestatem acceperint imponendi pœnitentibus pœnas satisfactorias, illosque ad eas subeundas obligandi, potestatem pariter acceperunt impositas, vel imponendas ex causa legitima condonandi, vel remittendi.

Præterea, ex Scripturis sacris perspicuum, & exploratum est, Deum intuitu alienæ fidei, orationis, aliorumque meritorum, seu bonorum operum, aliis peccata remittere, pœnasque condonare, ut observat etiam *S. Ambrosius*, in illud S. Lucæ: *Quorum fidem ut vidit, dixit Paralytico: Remittuntur tibi peccata tua.* Et in veteri Testamento legimus, propter Abraham, Isaac, & Jacob; item propter Moysen, Samuelem, Davidem, sæpe Deum populo peccata condonasse. Quocirca Pastores ligandi, solvendique Potestate a Christo adaucti non solum propria cujusque hominis pœnitentis opera intueri debent; sed etiam more, & exemplo Christi Domini sui attendere, quinam pro eo sint soliciti, quinam illum orationibus, aliisve piis operibus adjuvent; ac prudenter dijudicare, quousque illi ad remissionem pœnarum succurrere, & applicari valeant. Luc. 5.

Quod autem sacra illa potestate Indulgentias concedendi antiquissimis temporibus usa sit Ecclesia, constat ex Apost. 2. ad Cor. cap. 2. de incestuoso Corinthio scribente; *Sufficit illi, qui ejusmodi est, objurgatio* Indulgentiarum usus Ecclesiæ

coævus. Indulgentia incestuoso Corinthio ab Apostolo concessa auctoritate Christi.

hæc, quæ fit a pluribus; ita ut e contrario magis donetis, & consolemini, ne forte abundantiori tristitia absorbeatur, qui ejusmodi est. Incestuoso illi homini jam pœnitenti aliquid de impositæ pœnitentiæ severitate remitti jubet Apostolus, ne forte austeriori disciplina in desperationem compulsus, ac mærore dejectus, a christiana Religione deficiat. Ea igitur donatio, seu condonatio, cujus Apostolus meminit, non aliud fuit, quam Indulgentiæ concessio, de qua ibidem subdit: *Cui autem aliquid donastis, & ego; nam & ego, quod donavi, si quid donavi propter vos in persona Christi, ut non circumveniamur a Satana.* Quibus verbis significat S. Paulus, eam donandi, seu indulgendi potestatem se a Christo accepisse, & vice Christi exercere. Atque ita hunc Apostoli locum *S. Joan. Chrys.* interpretatur Homil. 4. in 2. ad Corinth. Epistolam. „ „ Non enim (*inquit*) quod dignus sit, neque quod sufficientem exhibuerit pœnitentiam, sed quod infirmus sit, ideo (*inquit*) dignor illum venia. Unde & adjecit: *Ne abundantiori tristitia absorbeatur.* Qui sermo declarat illius vehementem pœnitentiam, quem Paulus non sit passus in desperationem venire. *Et infra*: Ex ea re docemur, quod non solum ad peccatorum naturam, verum etiam ad mentem, habitumque peccatorum oporteat moderari pœnitentiam „ „. Quam interpretationem suffragio quoque suo roborarunt *Theodoretus*, *Oecumenius*, & *Theophilactus*; & ex Latinis *S. Pacianus* Ep. 3. & *S. Ambrosius* lib. 1. *de Pœnitentia*, cap. 6. & ult qui & *Indulgentiæ* ab Apostolo concessæ expresse meminerunt.

Indulgentiæ ad Martyrum intercessionem olim ab Episcopis datæ.

Indulgentiarum usum primis Ecclesiæ sæculis *Tertullianus*, & *S. Cyprianus* frequentissimum fuisse testantur. Ex *Tertulliano* discimus lib. *Ad Martyres*, cap. 1. quosdam persecutionis tempore in Idololatriam lapsos, & nondum in Ecclesia pacem habentes, id est, nondum reconciliatione donatos, pacem a Martyribus in carcere constitutis exorare consuevisse. Cum enim pœnitentiæ tempus nondum implevissent, Martyrum intercessione condonationem resi-

duæ

duæ pœnitentiæ ab Ecclesia impetrabant; atque ita statim ad pacem, id est, Reconciliationem, & Eucharistiæ Communionem admittebantur, quæ pœnitentia duntaxat functis dari solebat ex prisca Ecclesiæ disciplina. „ Quam pacem, *inquit Tertullianus*, „ quidam in Ecclesia non habentes, a Martyribus in „ carcere exorare consueverunt „. Idem vero *Tertullianus*, cum ad Monatistas postea defecisset, lib. *De Pudicitia*, cap ult. catholicæ Ecclesiæ id vitio vertit, quod antea laudaverat; nempe quod ad Martyrum petitionem, relaxata Lapsis pœnitentia, pacem daret. „„ At tu jam (*inquit*) & in Martyres tuos effundis hanc potestatem, ut quisque ex consensione vincula induit adhuc mollia, in novo custodiæ nomine, statim ambiunt mœchi, statim adeunt fornicatores, jam preces circumsonant... Et pacem ab his quærunt, qui de sua periclitantur „„. Ex utriusque porro loci collatione perspicuum est, jam tunc in Ecclesia consuetudinem obtinuisse Lapsis partem aliquam pœnitentiæ precibus Martyrum condonandi.

Martyrum preces examinatæ.

Idem ex *S. Cypriano* colligitur, qui Epistola 9. quorumdam Presbyterorum temeritatem reprehendit, qui inconsulto Episcopo, & non expectato *justo tempore*, contra disciplinæ ecclesiasticæ ordinem Lapsis nedum ulla pœnitentia functis pacem, & Eucharistiam tribuebant, & Christi Martyres, cum Episcopo committebant, & invidiæ exponebant. Petierant quippe Martyres literis honorificis ad Episcopum scriptis, tunc desideria sua examinari, cum pax Ecclesiæ restituta fuisset; impudentes vero Presbyteri ante extinctum persecutionis metum, ante ipsum pene Martyrum obitum, cum Lapsis communicabant, illisque Eucharistiam dabant; cum potius Martyres admonere debuissent, si plus aliquid peterent, quam concedi æquum esset: *Sicut* (inquit) *semper in præteritum factum est.* Et Ep. 10. sic Martyres ipsos, sive Confessores compellat: „„ Et credideram quidem Presbyteros, & Diaconos, qui illic

Martyrum libellos habentibus non dabatur indul-

gentia ante actam pœnitentiam, & ante fe-datam per-secutione, nisi periculo mortis imminente.

præsentes sunt, monere vos, & instruere plenissime circa Evangelii legem, sicut in præteritum semper sub Antecessoribus nostris factum est, ut Diaconi ad carcerem commeantes Martyrum desideria consiliis suis, & Scripturarum præceptis gubernarent; sed nunc cum maximo animi dolore cognosco, non tantum illic vobis non suggeri divina Præcepta, sed adhuc potius inveniri, ut ea, quæ a vobis ipsis & circa Deum caute, & circa Sacerdotem Dei honorifice fiunt, a quibusdam Presbyteris resolvantur, qui nec timorem Dei, nec Episcopi honorem cogitantes, cum vos ad me literas direxeritis, quibus examinari desideria vestra, & quibusdam Lapsis pacem dari postulastis, cum persecutione finita convenire in unum cum Clero, & recolligi cæperimus; illi contra Evangelii legem, contra vestram quoque honorificam petitionem, ante actam pœnitentiam, ante Exomologesim gravissimi, atque extremi dilicti factam, ante manum ab Episcopo, & Clero impositam, offerre Lapsis pacem, & Eucharistiam dare, id est, sanctum Domini Corpus profanare audeant „„.

Et infra „„ Oro vos, quibus possum, precibus, ut Evangelii memores, & considerantes, quæ, & quanta anteceſſores vestri Martyres concesserint, quam soliciti in omnibus fuerint, vos quoque solicite, & caute petentium desideria ponderetis, utpote amici Domini; & cum illo postmodum judicaturi, inspiciatis & actum, & opera, & merita singulorum; ipsorum quoque delictorum genera, & qualitates cogitetis, ne si quid abrupte, & indigne vel a vobis promissum, vel a nobis factum fuerit, apud Gentiles quoque ipsos Ecclesia nostra erubescere incipiat. Sed & illud ad diligentiam vestram redigere, & emendare debetis, ut nominatim designetis eos, quibus pacem dari desideratis... Et ideo peto, ut quos ipsi videtis, quos nostis, quorum pœnitentiam scitis, designetis nominatim libello „„.

Et Ep. 13. sic Presbyteros, & Diaconos alloquitur: „„ Qui libellum a Martyribus acceperunt,

&

& auxilio eorum adjuvari apud Dominum in delictis ſuis poſſunt, ſi premi infirmitate aliqua, & periculo cæperint, Exomologeſi facta, & manu eis a vobis in pœnitentia impoſita, cum pace a Martyribus ſibi promiſſa ad Dominum remittantur „„. Ex quibus omnibus colligitur, & ante *S. Cypriani* tempora, & ipſius ætate, Eccleſiam ob preces, ac merita Martyrum pœnitentibus pœnitentiæ tempus contraxiſſe, laborumque pœnitentialium partem condonaſſe. Indulgentiarum igitur uſus in Eccleſia frequens erat. In illis vero concedendis moderationem ſervari ſanctiſſimi, & vigilantiſſimi Præſules curabant, ne nimia facilitate eccleſiaſtica diſciplina ſolveretur.

Epiſcopi pœnitentiæ tempus publicis pœnitentibus contrahere poterant.

Eumdem uſum antiquiora Concilia confirmant, quæ in Epiſcopi arbitrio eſſe voluerunt, ut pœnitentiam vita priori, ac poſteriori diſcuſſa, lacrymiſque, patientia, & bonis operibus ſpectatis, pœnitentiæ tempus ipſis contraheret, eorumque pœnas moderaretur, ut loquitur Conc. Ancyranum, can. 5. ſive ut *De his aliquid humanius cogitaret*, ut loquitur Concilium Nicænum, can. 12.

Indulgentiæ plenariæ.

Indulgentias ampliſſimas, ac plenarias iis, qui expeditionem bellicam in terram ſanctam contra Saracenos pugnaturi ſuſciperent, Concilium Claromontanum Præſide *Urbano II.* can. 2. conceſſit. Eaſdem indulgentias confirmavit, & ad expeditionem Hiſpanicam contra Mauros prorogavit Concilium Lateranenſe 1. Præſide *Calliſto II.* can. 11. Eaſdem confirmarunt *Eugenius III.* & *Clemens III.* ut ſimiles expeditiones promoverent. *Alexander III.* in Conc. Lateranenſi 3. duorum annorum Indulgentiam conceſſit iis, qui contra hæreticos arma ſuſceperint. Si autem longiorem ibi moram fecerint, Epiſcoporum prudentiæ committit, ut ad eorum arbitrium, ſecundum modum laboris major eis Indulgentia tribuatur. *Innocent. III.* in Concilio Lateranenſi 4. can. 62. *Indiſcretas, & ſuperfluas Indulgentias* moderatur, a quibuſdam Eccleſiarum Prælatis concedi ſolitas, ob quas *Claves Eccleſiæ contemnuntur, & pœnitentialis ſatisfactio enervatur.*

Ob opus laborioſum conceſſæ.

Institutio Jubilæi. Bonifacius VIII. cum Antiquorum fida relatione didiciſſet, Romam ad Baſilicam Principis Apoſtolorum accedentibus magnas remiſſiones, & Indulgentias peccatorum eſſe conceſſas; anno milleſimo trecenteſimo, & quolibet anno centeſimo ſecuturo, ad „„ Baſilicas ipſas *Principum* Apoſtolorum accedentibus reverenter, vere pœnitentibus, & confeſſis, non ſolum plenam, & largiorem, imo pleniſſimam omnium ſuorum veniam peccatorum conceſſit „„. (Extra. *Antiquorum*, tit. *De pœnitentiis, & remiſſionibus.*) Hæc epocha Jubilæi, quod *Clemens VI.* anno quolibet quinquageſimo concedi voluit Chriſti Fidelibus univerſis, attendens, quod annus quinquageſimus in lege Moſaica, quam non venit Dominus ſolvere, ſed ſpiritualiter adimplere; „„ Jubilæus remiſſionis, & gaudii, ſacerque dierum numerus, quo Lege fit remiſſio, cenſebatur; quodque ipſe quinquageſimus numerus in Teſtamentis, veteri quidem ex Legis datione, novo ex viſibili Spiritus ſancti in diſcipulos miſſione, per quam datur peccatorum remiſſio, ſingulariter honoratur; & quod pauci propter vitæ hominum brevitatem valeant ad annum centeſimum pervenire „„. (Extrav, *Unigenitus*, tit. *De pœnitentiis, & remiſſionibus.*) In trigeſimum tertium annum univerſalem hanc Indulgentiam tranſtulit *Greg. XI.* ac tandem ad vigeſimum quintum quemque annum *Paulus II.* & *Sixtus IV.* contraxere. (Extrav. *Quemadmodum*, ſub eodem titulo.) A plenaria autem indulgentia Jubilæi, niſi ratione facultatis ampliſſimæ, quam ſummus Pontifex concedit Confeſſariis quibuslibet approbatis abſolvendi a Caſibus ſedi Apoſtolicæ reſervatis, & Vota quælibet commutandi, votis Caſtitatis, & Religioſæ vitæ amplectendæ duntaxat exceptis.

Fons Indulgentiarum. *Clemens VI.* Extrav. *Unigenitus*, mox laudata, fontem Indulgentiarum indigitat, *Theſaurum* ſcilicet, quem copioſo pretioſi ſui profluvio unigenitus Dei Filius Redemptor noſter „„ Militanti Eccleſiæ acquiſivit, volens ſuis theſaurizare filiis piis pater, ut ſic

ſit

sit infinitus thesaurus hominibus, quo qui usi sunt, Dei amicitiæ participes sunt effecti. Quem quidem thesaurum non in sudario repositum, non in agro absconditum, sed per B. Petrum cœli Clavigerum, ejusque Successores suos in terris Vicarios commisit Fidelibus salubriter dispensandum, & propriis, & rationabilibus causis, nunc pro totali, nunc pro partiali remissione pœnæ temporalis pro peccatis debitæ tam generaliter, quam specialiter (prout cum Deo expedire cognoscerent) vere pœnitentibus, & confessis misericorditer applicandum. Ad cujus quidem thesauri cumulum, beatæ Dei Genitricis, omniumque Electorum a primo justo usque ad ultimum merita adminiculum præstare noscuntur; de cujus consumptione, seu minutione non est aliquatenus formidandum, tam propter infinita Christi merita, quam pro eo, quod quanto plures ex ejus applicatione trahuntur ad justitiam, tanto magis accrescit ipsorum cumulus meritorum „„.

Solvitur hæreticorum objectio contra Indulgentias.

Ne vero cavillentur hæretici, objiciantque Indulgentias vergere in Christi Salvatoris injuriam, cum ad remissionem peccatorum nostrorum concurrere pariter Sanctorum merita, satisfactiones, passionesque doceamus; quasi Christi Sanguis ad remissionem peccatorum omnium non sufficiat, & Martyrum sanguine ad indulgentias profundendas adjuvetur; vel ad acquirendum Ecclesiæ militanti perennem gratiarum thesaurum non satis opum spiritualium, & virtutis habuerit, qui dives est in misericordia, & apud quem copiosa est redemptio, de cujus plenitudine omnes accipimus; & necesse fuerit, ut Sancti thesaurum illum suis meritis implerent, satisfactionibus cumularent.

Respondemus enim, Sanctorum merita, satisfactiones, passiones, in Ecclesiæ thesaurum eo nomine non conferri, quod Christi Sanguis minus sufficiens sit ad remissionem peccatorum nostrorum, aut quod Martyrum sanguine, ac meritis adjuvetur; vel quod ab ipsis remissionem peccatorum expectemus, & accipiamus;

piamus; aut quod denique eadem ratione ad Ecclesiæ spiritualem thesaurum conflandum concurrant, ac Sanguis Christi, ejusque passiones, ac merita. Agnoscimus enim, credimus, & prædicamus, quod
Apoc. 1. solus *Christus lavit nos a peccatis nostris in Sanguine*
1. Joan. 1. *suo*: quod solus Christus *Est propitiatio pro peccatis no-*
1. Tim. 2. *stris*: quod solus Christus *Semetipsum redemptionem de-*
Act. 20. *dit pro omnibus*: quod solus Christus *Acquisivit Eccle-*
Heb. 10. *siam sanguine suo*; quod solus Christus *Una oblatione con-*
Apoc. 7. *summavit in æternum sanctificatos.* Quod Sancti *Laverunt stolas suas, & dealbaverunt eas in sanguine Agni.* Asserimus cum *S. August.* lib. 2. contra duas Epistolas Pelag. cap. 4. *Quod* „ Solus Christus suscepit pro „ nobis sine malis meritis pœnam, ut nos per illum „ consequeremur gratiam „. Et Tract. 84. in Joan. *Quod* „ In fraternorum peccatorum remissionem „ nullius sanguis Martyris funditur „. Asserimus cum *S. Leone* Ep. 97. alias 83. „„ Mortis vinculum unius prævaricatione contractum, unius morte, qui solus morti nihil debuit, solutum esse. Effusio enim pro injustis sanguinis Justi tam potens fuit ad privilegium, tam dives ad pretium, ut si universitas captivorum in Redemptorem suum crederet, nullum tyrannica vincula retinerent „„. Scimus nullum unquam Sacrificium sacratius fuisse quam quod verus Pontifex Altari crucis per immolationem suæ carnis imposuit. „„ Quamvis enim multorum Sanctorum in conspectu Domini pretiosa mors fuerit, nullus tamen insontis occisio propitiatio fuit mundi. Acceperunt justi, non dederunt coronas; & de fortitudine Fidelium exempla nata sunt patientiæ, non dona justitiæ. Singulares quippe in singulis mortes fuerunt, nec alterius quisquam debitum suo fine persolvit; cum inter filios hominum unus solus Domini noster Jesus Christus extiterit, in quo omnes crucifixi, omnes mortui, omnes sepulti, omnes sunt etiam suscitati „„. Sanctorum itaque merita concurrunt solum ad remissionem peccatorum nostrorum, & ad spiritualem Ecclesiæ thesaurum, ex quo Indulgen-

Qua ratione Sanctorum satisfactiones, & merita

tiæ

tiæ profunduntur, per modum impetrationis. Veniam enim a Deo nobis impetrant, obtinentque, ut indulgentiæ noſtræ ex Chriſti merito applicentur; ut idonei efficiamur, quibus fructus mortis Chriſti copioſe communicetur; præparant nos, ad uberiorem gratiam Dei digne percipiendam; ſicut eleemoſynæ, jejunia, orationes noſtræ, & alia pœnitentiæ opera nos redimere, ſolvere, & peccatorum veniam nobis procurare dicuntur. Et quemadmodum hæc ſatisfactoria ſunt pro peccatis, quia Deus ſatisfactionis loco illa accepta habet; ita merita Sanctorum nobis apud Deum ſuccurrunt, quatenus illa Deus tanquam amicorum ſuorum pro nobis ſuffragia benigne accipit, illorumque intuitu nobis peccata, pœnaſque peccatis debitas condonat, ſicut intuitu orationis Moyſis populo pepercit, & merito Pauli ducentas ſeptuaginta ſex animas a perditione ſervavit. Docet itaque *Clemens VI.* ad cumulum theſauri Paſſionis Chriſti, beatæ Dei Genitricis, & omnium Sanctorum merita adminiculum præſtare, non quaſi meritum Paſſionis Chriſti non ſit copioſiſſimus, ſufficientiſſimus ac ſemper inexhauſtus theſaurus, ex quo profundantur indulgentiæ; aut Sanctorum meritis augeri, ac juvari debeat; ſed quod Virginis Deiparæ, omniumque Sanctorum merita nobis adminiculum præſtent, quo theſauri illius infiniti Dominicæ Paſſionis ſimus participes. Præſtant nobis adminiculum præparationis, ac diſpoſitionis, id eſt, reddunt nos aptos, & idoneos interceſſione ſua ad fructum indulgentiarum percipiendum, faciuntque, ut ſimus digni, quibus theſaurus meritorum Chriſti communicetur; ſicut S. Paulus ait: *Dei adjutores ſumus*; non quod Deus adjutorio Pauli, aut alterius cujuſcunque Apoſtoli indigeat, quaſi per ſe ſufficiens, aut omnipotens non ſit ad operandum, quodcumque vult fieri; ſed quia Paulus prædicando, monendo, corripiendo, plantando, rigando, homines divinæ operationis capaces reddit, præparat, diſponit, idoneos facit ad gratiam ſuſcipiendam.

ad cumulum ſpiritualis theſauri, accedant, & per indulgentias applicentur.

Exod. 32.

Act. 17.

1. Cor. 3.

Quamquam & ſcholaſtici vulgo doceant, ſatisfactio-

factiones Sanctorum, quas multi in operibus pœnitentiæ supererogaverunt ultra mensuram peccatorum suorum cum meritis, & satisfactionibus Christi nobis per indulgentias applicari in solutionem pœnarum, quæ abstersis culparum nostrarum maculis luendæ superſunt in hoc sæculo, vel in futuro. Hujus vero rei causam arcessunt ex Communione Sanctorum, quam in symbolo profitemur; qua fit, ut in Ecclesia Dei aliorum merita, & passiones aliis tanquam ejusdem corporis membris applicari, & prodesse possit, ut sic aliorum abundantia sit aliorum inopiæ supplementum, ut loquitur Apostolus 2. ad *Cor.* 8. Hortatur enim eo loci Corinthios terrenis opibus abundantes ad conferendam liberaliter eleemosynam in Sanctos quosdam secundum sæculum quidem inopes, sed apud Deum bonis operibus divites; vicissim promittens fore, ut spiritualis horum abundantia suppleat illorum inopiam; ut quibus ad Deum placandum, & promerendum propria minus sufficiunt, ad id alienorum operum Communione juventur. Huc etiam referri potest, quod idem Apostolus ad Colossenses scribit c. 1. *Qui nunc gaudeo in passionibus pro vobis, & adimpleo ea, quæ desunt passionum Christi in carne mea, pro corpore ejus, quod est Ecclesia.* Ideo enim se adimplere dicit ea, quæ desunt passionum Christi, non quasi passio Christi sufficientissimum pretium non fuerit ad totius mundi exhaurienda, & expungenda peccata, sed quia cum totus Christus sit caput, & corpus, (ut sæpe *S. August.* repetit) ad passiones Capitis passiones quoque membrorum accedere oportet, ut suo capiti conformentur, ut docet sacra Synodus Tridentina sess. 14. c. 7. Passiones itaque & satisfactiones Sanctorum, Communione charitatis nostræ fiunt; unde sicut satisfactoriis operibus nostris redimere peccata nostra dicimur, & solvere, quod divinæ justitiæ debemus; ita satisfactiones Sanctorum, passionesque nobis per indulgentiam applicatæ, cum defectum nostrarum satisfactionum suppleant,

va-

valent etiam quodammodo ad ſolutionem debitorum, & redemptionem pœnarum, quibus obſtricti poſt remiſſionem culpæ manemus. Hinc *Origenes* Hom. 10. & 24. in *Numeros*, expendens Apoſtoli verba, 2. Cor. 12. *Libenter impendar, & ſuperimpendar pro animabus veſtris*, obſervat, Apoſtolum ſe quaſi victimam pro eorum, ad quos ſcribit, ſalute devotam profiteri. „ Hoſtia autem cum immolatur, „ ad hoc immolatur, ut eorum, pro quibus jugu„ latur, peccata purgentur „. Sed tamen *Origenes* Scholaſticorum aſſertioni ſuffragari his locis non videtur; nec aliud ex illius verbis extendi poteſt, quam Sanctorum paſſiones, & ſatisfactiones per modum impetrationis, non per modum ſolutionis ad pœnarum nobis debitarum condonationem, ac remiſſionem concurrere. Unde ſubdit poſtremo loco: „ „ Sed in his omnibus unus eſt agnus, qui totius mundi potuit auferre peccatum, & ideo ceſſaverunt cæteræ hoſtiæ, quia talis hæc fuit hoſtia, ut una ſola ſufficeret pro totius mundi ſalute. Cæteri enim precibus peccata, hic ſolus poteſtate dimiſit „ „. Quo circa *S. Thomas*, 3. p. q. 48. ar. 5. ad 3. *ait*: „ Paſſiones Sanctorum proficiunt Eccleſiæ, non qui„ dem per modum redemptionis, ſed per modum „ exempli, & exhortationis, ſecundum illud 2. *ad Cor.* 1. *Sive tribulamur pro veſtra exhortatione, & ſalute* „. Nec aliud etiam colligi poteſt ex illo *S. Auguſt.* principio, Chriſtum pati quotidie in membris ſuis, & ad finem uſque ſæculi paſſurum; ideoque deeſſe aliquid paſſionibus Chriſti in ejus corpore, quamvis nihil deſit ejus paſſionibus quatenus caput eſt. Id enim non aliud omnino probare videtur, quam teneri unumquemque Fidelium ad exſolvendum aliquid, & inferendum quemdam (ut ita loquamur) paſſionum canonem, ut quod Chriſtus in corpore ſuo myſtico pati debet, impleatur, & Eccleſia quaſi communis quædam Reſpublica chriſtianæ patientiæ exemplis ædificetur. „ „ Unus enim homo cum capite, & corpore ſuo Jeſus Chriſtus,

(in-

(*inquit S. Auguſt.*, *Enar. in Pſ.* 61.) Salvator corporis, & membra corporis, duo in carne una, & in voce una, & in paſſione una, & cum tranſierit iniquitas, in requie una. Paſſiones itaque Chriſti non in ſolo Chriſto, imo Paſſiones Chriſti nonniſi in Chriſto. Si enim paſſiones Chriſti ſolo Chriſto, imo in ſolo capite, unde dicit quoddam membrum ejus
Coloſſ. 1. Paulus Apoſtolus: *Ut ſuppleam, quæ deſunt preſſurarum Chriſti in carne mea?* Si ergo in membris Chriſti es quicunque homo, quiſquis hæc nunc non audis; (ſed tamen audis, ſi in membris Chriſti es;) quidquid pateris ab eis, qui non ſunt in membris Chriſti, deerat Paſſionibus Chriſti. Ideo additur, quia deerat; menſuram imples, non ſuperfundis; tantum pateris, quantum ex paſſionibus tuis inferendum erat univerſæ Paſſioni Chriſti, qui paſſus eſt in Capite noſtro, & patitur in membris ſuis, id eſt, in nobis ipſis. Ad communem hanc quaſi Rempublicam noſtram, quiſque pro modulo noſtro exſolvimus, quod debemus, & pro poſſeſſione virium noſtrarum quaſi Canonem Paſſionum inferimus. Pariatoria plenaria omnium paſſionum non erit, niſi cum ſæculum finitum fuerit. *Sic* patiebatur Chriſtus a
Act. 9. Saulo; quando audivit Saulus: *Saule, Saule, quid me perſequeris?* Quomodo lingua ſolet dicere calcato pede: Calcat me. Linguam nullus tetigit; compaſſione clamat, non attritione „„; (*inquit S. Auguſt.*, Enar. in Pſal. 86.) Sed ut ſe habeat probabilitas opinionis Scholaſticorum, qui Sanctorum paſſiones, & ſatisfactiones per modum ſolutionis nobis applicari cenſent, & in theſaurum Eccleſiæ inferri, quatenus eorum ſatisfactiones menſuram ſuperabant delictorum, propter quæ divinæ juſtitiæ debitores erant, (ut cum duplex ſit in bonis operibus ratio una meriti, ſatisfactionis altera; meritum cumulatiſſime ſit a Deo remuneratum; quod vero ſatisfactionum reſiduum erat præter menſuram debitorum, in commune velut ærarium Eccleſiæ ita ſtatuente Deo illarum ſit;) Quamvis (inquam) ita doceant ſcholaſtici plerique,

inter

inter Catholicos tamen omnes convenit, quidquid illud ſit, quod conferunt Sancti ad indulgentiarum theſaurum, totum illud niti meritis Chriſti, a quibus ſatisfactiones Sanctorum, & noſtræ pretium omne ſuum, & valorem accipiunt. „„ In Chriſto enim meremur in illo ſatisfacimus, facientes fructus dignos pœnitentiæ, qui ex illo vim habent; ab illo offeruntur Patri, & per illum acceptantur a Patre „„; (ut docet ſacra Synodus Tridentina ſeſſ. 14. cap. 8.)

Quidquid Sancti ad Indulgentiarum theſaurum conferunt meritis Chriſti totum nititur.

Quamvis porro eccleſiaſticum Dogma ſit, *Ad cumulum Theſauri* paſſionis, & meritorum Chriſti, *Beatæ Dei Genetricis, & omnium Sanctorum merita adminiculum præſtare*, ut *Clemens VI.* docet, Extrav. *Unigenitus*; & *Leo X.* inter Lutheri articulos iſtum quoque merito damnaverit: *Indulgentias non pendere ex Chriſti meritis, & Sanctorum*: Dogma tamen eccleſiaſticum non eſt, quod Sanctorum merita per modum ſolutionis nobis in indulgentiis applicentur; aut quod ſuperabundantes ſatisfactiones Sanctorum, & paſſiones Martyrum in Eccleſiæ ſpirituale conferantur ærarium, ut eas applicet opportuno tempore pia Mater ad ſolutionem debitorum, quibus divinæ juſtitiæ poſt remiſſionem offenſarum obſtricti manemus. Nullum enim de ſuperabundantibus illis Sanctorum paſſionibus verbum habet *Clemens VI.* imo Scholaſticorum ea de re commentationem ſequi non videtur; cum *Ad theſauri cumulum, omnium Electorum merita, a primo Juſto uſque ad ultimum, adminiculum præſtare* docet. Omnes autem, & ſingulos Electos ſuperabundantes ſatisfactiones, & redundantia merita non habere, certiſſimum eſt, cum plurimi pœnas temporales peccatis ſuis debitas in Purgatorio luant; & nos, qui in Electorum grege divina miſeratione nos collocandos ſperamus, ſuperabundantes ſatisfactiones, & redundantia merita non habere nos agnoſcamus, & profiteamur. Adminiculum itaque ad ſpiritualis theſauri cumulum præſtant merita Sanctorum, quatenus Sancti ſuis meritis, & interceſſione a Deo impetrant, ut fructus Paſſionis Chriſti

ad debita noſtra ſpiritualia expungenda nobis per Indulgentias applicetur.

Quod ergo Chriſti, Sanctorumque merita conjunxerunt ſummi Pontifices *Clemens VI.* & *Leo X.* cum de Indulgentiarum fonte ſermonem habuere, non eſt argumento, quod eodem loco Chriſti, Sanctorumque merita habuerint. Peſſima hæc olim erat Macedonianorum hæreticorum argumentatio: Chriſtus connumerat Spiritum ſanctum creaturæ, dicens: Joan. 3. *Niſi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu ſancto*, &c. Sicut ergo aqua eſt creatura, ita & Spiritus ſanctus. Spiritum ſanctum pariter ſibi connumerarunt Apoſtoli, Act. 15. dicentes: *Viſum eſt Spiritui ſancto, & nobis*; ſicut ergo ipſi creaturæ erant, ita & Spiritus ſanctus. Horum argumentorum vanitatem oſtenderunt SS. Patres, reſponderuntque, non eſſe a Scripturæ ſacræ locutione alienum, ut ea ſermone conjungantur, quorum longe diverſa ratio eſt; ut cum dicitur Exodi 14. *Crediderunt Domino, & Moyſi ſervo ejus.* Et 4. Reg. 19. *Protegam urbem hanc, & ſalvabo eam propter me, & propter David ſervum meum.* Et Joan. 20. *Sicut miſit me Pater, & ego mitto vos.* Et ad Phil. 1. *Hoc mihi proveniet ad ſalutem, per veſtram orationem, & ſubminiſtrationem Spiritus Jeſu.* Et 1. ad Tim. 5. *Teſtificor coram Deo, & Chriſto Jeſu, & electis Angelis, ut hæc cuſtodias.* Quamvis ergo Chriſti, Sanctorumque merita conjungamus, cum de Indulgentiis agimus, non tamen utraque eodem loco, & numero habemus, non idem utrorumque pretium, aut eamdem virtutem agnoſcimus; ſed ſpiritualis Eccleſiæ theſauri pretium omne, ac ſuperabundantes, & ſemper inexhauſtas opes ex Paſſione, meritiſque Chriſti, & pretioſiſſimi Sanguinis illius virtute conſtare credimus. Sanctorum autem merita ad eumdem theſaurum eatenus adminiculum præſtare, quatenus Sancti a Deo impetrant, ut Paſſionis Chriſti virtus nobis per Indulgentias applicetur.

CA-

CAPUT II.

De Indulgentiarum utilitate.

Indulgentiarum utilitas in eo posita est, quod Indulgentiæ condonationes sint, ac remissiones pœnarum temporalium, laborumque pœnitentialium, sive per Sacerdotes pœnitentiæ Administros in sacro Tribunali impositorum, sive per Canones præscriptorum. Secundo, quod non in foro duntaxat Ecclesiæ, sed etiam apud Deum valeant, ut debitum pœnæ temporalis in futuro sæculo subeundæ per illas expungatur, & remittatur.

Indulgentiæ non solum in foro Ecclesiæ ad pœnarum Canonicarum remissionem; sed etiam in judicio Dei plurimum valent ad pœnas futuri sæculi remittendas.

Cujus quidem dogmatis ecclesiastici veritatem Christi verba confirmant, quibus potestas nititur Indulgentias concedendi: Matth. 18. *Quæcunque solveritis super terram, soluta erunt & in cœlo.* Si enim, qui potestate a Christo accepta satisfactorias pœnas relaxat, ita solvit eas in terra, ut solutæ sint & in cœlis, certum est, fructum Indulgentiarum ad futurum sæculum pertinere.

Idem confirmant Apostoli verba 2. ad *Corinth.* cap. 2. scribentis, incestuoso illi Corinthio se donasse, id est, pœnam ejus crimini debitam condonasse propter ipsos *In persona Christi*; ex quibus verbis colligitur, condonationem illam in judicio Dei valere, ac ratam esse, perinde ac si Christus ipse, qui Pater est futuri sæculi, & Pontifex futurorum bonorum, condonasset.

Tertio, *S. Cyprianus* statuit: „„ Ut qui libellum a Martyribus acceperunt, & auxilio eorum adjuvari apud Dominum in delictis suis possunt, si premi infirmitate aliqua, & periculo cœperint, Exomologesi facta, & manu eis in pœnitentiam imposita, cum pace a Martyribus sibi promissa ad Dominum remittantur. *Ep.* 13. *Et Tract. de Lapsis*: Credimus quidem (*inquit*) posse apud judicem plurimum valere Martyrum merita, & opera justorum, &c. „„. Concilia etiam superius laudata, & præsertim Nicænum, quæ permittunt Episcopis, ut circa pœnitentes, eo

quo par erat fervore pœnitentiæ ſtadium decurrentes, *Humanius aliquid cogitent*, peſſime pœnitentibus illis conſuluiſſent, ſi nihil de futuri ſæculi pœnis indulgentia illa fuiſſet ipſis condonatum; multoque melius actum cum illis fuiſſet, ſi totam ſatisfactionem implere, pœnaſque omnes Canonibus præſcriptas ſubire juſſi, pœnas futuri ſæculi redemiſſent.

Denique Chriſtianos Eccleſia deciperet, (quod abſit) ſi pœnis ſatisfactoriis in hoc ſæculo condonatis, & relaxatis, pœnas longe acerbiores in purgatorio ſubire cogerentur. Dicere autem, quod Eccleſia pia fraude homines ad bonum alliciat, ſicut mater, quæ promittens filio pomum, ipſum ad ambulandum provocat, hæreticum eſt. Sicut enim ait *S. Auguſt.* Ep. 28. alias 8. ad S. Hieronymum, „ „ Fluctuare auctoritatem Scripturarum divinarum, ut in eis, quod vult quiſque credat, quod non vult non credat, ſi ſemel fuerit perſuaſum, aliqua illos viros, per quos nobis hæc miniſtrata ſunt, in ſcripturis ſuis officioſe potuiſſe mentiri... Et, Admiſſo ſemel in tantum Auctoritatis faſtigium officioſo aliquo mendacio, nulla illorum Librorum particula remanebit, quæ non ut cuique videbitur vel ad mores difficilis, vel ad fidem incredibilis, eadem pernicioſiſſima regula ad mentientis Auctoris conſilium, officiumque referatur... Atque ita nuſquam certa erit in Libris ſanctis caſtæ veritatis Auctoritas „ „. Similiter (inquit *S. Thomas* in 4. *Sentent.* diſt. 20. q. 1. art. 3. q. 2.) „ „ Si in prædicatione Eccleſiæ „ aliqua falſitas deprehenderetur, non eſſent documenta Eccleſiæ alicuius auctoritatis ad roborandam „ fidem „. Cum itaque doceat, & prædicet Eccleſia Indulgentias plurimum valere in judicio Dei ad pœnas futuri ſæculi remittendas, id omnino cenſendum & aſſerendum eſt. Sane inter *Petri Oxomenſis* Propoſitiones, quas Toletanus primum Archiepiſcopus, deinde Sixtus IV. *Sixtus IV.* confixerunt, ut *Erroneas, ſcandaloſas, a fidei veritate alienas, & manifeſtam hæreſim continentes*, hæc damnatur: *Romanum Pontificem Purgatorii*

Conſtit. quæ incipit, Licet ea.

pœnam

pœnam remittere non posse. Et inter Articulos *Lutheri*, quos *Leo* X. tamquam *Hæreticos*, *aut scandalosos*, *aut falsos*, *aut piarum aurium offensivos*, *& Veritati Catholicæ obviantes* damnavit, hi duo leguntur: 1. „„ Indulgentiæ sunt piæ fraudes Fidelium. 2. Indulgentiæ his, qui veraciter eas consequuntur, non valent ad remissionem pœnæ pro peccatis actualibus debitæ apud divinam justitiam „„.

Adde, Merita Christi, vimque Passionis ejus infinitam, quæ per indulgentias nobis applicantur, non solum ad pœnas canonicas, sed ad pœnas futuri sæculi remittendas, & sufficere, & operari. „„ Quidam (*inquit* S. Thomas, in 4. Sentent. dist. 20. quæst. 1. art. 3. quæst. 2.) quod Indulgentiæ non valent ad absolvendum a reatu pœnæ, quam quis in Purgatorio secundum judicium Dei meretur; sed valent ad absolvendum ab obligatione, qua Sacerdos obligavit pœnitentem ad pœnam aliquam; vel ad quam etiam ordinatur ex Canonum statutis. Sed hæc opinio non videtur vera. Primo, quia est expresse contra Privilegium Petro datum, ut quod in terra remitteret, & in cælo remitteretur; unde remissio, quæ fit quantum ad forum Ecclesiæ, valet etiam quantum ad forum Dei. Et præterea Ecclesia hujusmodi Indulgentias dans magis damnificaret, quam adjuvaret; quia remitteret ad graviores pœnas, scilicet Purgatorii, absolvendo a pœnitentiis injunctis. Et ideo aliter dicendum, quod valent, & quantum ad forum Ecclesiæ, & quantum ad Judicium Dei, ad remissionem pœnæ residuæ post Contritionem, & Absolutionem, & Confessionem, sive sit injuncta, sive non „„.

APPENDIX DE JUBILÆO.

Inter Indulgentias omnes celeberrima est Anni sancti seu Jubilæi Indulgentia, quam se concedere *Clemens VI.* Extrav. *Unigenitus*, ait, „„ Ut cunctorum Fidelium augeatur devotio, fides splendeat, „ spes vigeat, charitas vehementius incaleſcat „. Cum

autem Jubilæum analogia quadam a Mosaicæ Legis Jubilæo dicatur, observandum est, varias istius vocis origines assignari Nonnulli Jubilæum derivant a voce *Jobel*, quæ arietem significat, quia scilicet Annus Jubilæi clangore tubæ, seu cornu arietis promulgari solebat. Alii vocem illam derivant a voce *Jobal* quæ *dimissionem*, sive *remissionem* significat. *Jubilæus, id est remissionis annus*, (inquit *S. Hieron.* in cap. 3. *Isaiæ.*) Josephus, lib. 3. *Antiq. Judaic.* Jubilæi voce *Libertatem* significari docet, quia eo anno Judæi ab omni labore vacantes, neque serebant, neque metebant, a debitis etiam omnibus absoluti; servique a Judaica gente cum liberis suis libertate donabantur. *R. Moses Maymonides* hanc vocem derivat a verbo *Jobal*, non quatenus significat *dimittere*, sed *adducere*, quia hoc anno adducebatur unusquisque ad possessionem suam, & ad familiam suam. Atque hæ significationes omnes cum iis optime conveniunt, quæ Lex de Jubilæo tradit, Lev. 25. *Clanges buccina mense septimo, decima die mensis, propitiationis tempore in universa terra vestra. Sanctificabisque annum quinquagesimum, & vocabis remissionem cunctis habitatoribus terræ tuæ: ipse est enim Jubilæus. Revertetur homo ad possessionem suam, & unusquisque rediet ad familiam pristinam: quia Jubilæus est, & quinquagesimus annus. Non seretis, neque metetis sponte in agro nascentia... Si paupertate compulsus venditerit se tibi frater tuus, non eum opprimes servitute famulorum, sed quasi mercenarius, & colonus erit: usque ad Annum Jubilæum operabitur apud te, & postea egredietur cum liberis suis, & revertetur ad cognationem, & ad possessionem patrum suorum.*

Unde Jubilæi nomen.

Jubilæum Legis Mosaicæ.

Judaicus ille Jubilæus typicus erat, verumque Legis Evangelicæ Jubilæum, qui a Christi adventu sumpsit exordium, significabat. Ad hoc enim Christus venit, ut spiritualium debitorum, scilicet peccatorum, indulgentiam, ac remissionem prædicaret. Unde *Isaiæ* cap. 61. ait: *Spiritus Domini super me, eo quod unxerit me; ad annuntiandum mansuetis misit me*

Evangelici Jubilæi typus.

me, ut mederer contritis corde, prædicarem captivis Indulgentiam, & clausis apertionem, ut prædicarem annum placabilem Domino. Annus Jubilæus a festo Expiationis, pœnitentiæ dicato, incipiebat, ut ex *R. Abrahanele* discimus; Jubilæum evangelicum prædicatione pœnitentiæ Christus aperuit: Matth. 3. *pœnitentiam agite, appropinquavit enim Regnum cælorum.* Clangore tubæ judaicus Jubilæus nuntiabatur; Jubilæum evangelicum nuntiavit *Joannes*, cujus quasi tubæ vox insonuit in deserto: *Pœnitentiam agite; appropinquavit enim Regnum cælorum.* Nuntiarunt & Angeli laudantes Deum, & dicentes: *Gloria in altissimis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis.* Luc. 2. Quamdiu enim homo in peccato versatur, pacem cum Deo non habet, quia *Non est pax impiis*, ut dicitur *Isaiæ* 48. Sed etsi remissum sit peccatum, absterſaque per gratiam sanctificantem culpæ labes, pœnæ tamen debito remanente, nondum est pax perfecta hominis cum Deo; sed pax omnibus modis perfecta, & absoluta, utriusque remissione, culpæ scilicet, ac pœnæ procuratur; quod per Indulgentiam christiani Jubilæi obtinetur. Legali Jubilæo servi manumittebantur, possessiones dominis restituebantur; christiano Jubilæo a servitute peccati redempti, ad æternam hereditatem reducimur. Quemadmodum vero, licet omnes vitæ Christianorum dies perpetuum Sabbatum, sive Dies dominicus esse debeant, ut docet *Clemens Alexandrinus* lib. 7. *Stromatum*; nihilominus tamen spiritale Sabbatum, sive diem dominicum statis diebus rite celebramus; ita licet totum Legis evangelicæ tempus Jubilæus sit perpetuus; ipsum tamen rite selectis temporibus celebrat Ecclesia, quibus cœlestis thesaurus pretioso Christi Sanguine comparatus a summo Pontifice, qui Ecclesiæ universæ Christi vice præest, aperitur, & Fidelibus pœnitentia prius expiatis, ac recte dispositis dispensatur.

Cæterum Jubilæi gratiam sine vera, & omnibus partibus suis absoluta pœnitentia consequi nemo potest; nec per hanc Indulgentiam ab agenda pro Per Indulgentiam Jubilæi

ab agenda pro viribus pœnitentia nemo dispensatur.

viribus pœnitentia peccatores, graviorum criminum rei dispensantur. Magni & universalis Jubilæi prædicandi normam a S. Jo. Baptista, imo a Christo Jesu Domino nostro Pastores, ac Prædicatores evangelici acceperunt. Uterque, scilicet Salvator noster, & ejus Præcursor; ille suo, iste Salvatoris nomine remissionem peccatorum, condonationem pœnarum, solutionem captivitatis, restitutionem in libertatem gloriæ filiorum Dei, in hæreditatem æternam conservatam in cœlis, nonnisi pœnitentiam agentibus prædicavit, ac promisit. *Pœnitentiam agite* (inquit S. Joannes) *appropinquavit enim regnum cœlorum... Facite ergo fructum dignum pœnitentiæ... Pœnitentiam agite* (ait Christus) *appropinquavit enim regnum cœlorum... Si pœnitentiam non egeritis, omnes similiter peribitis.* Plenariam indulgentiam, etiam Anni sancti, summi Pontifices (tametsi plenitudinem potestatis habeant in Ecclesia universa, & sacri thesauri supremam dispensationem) donare nec possunt, nec volunt in persona Christi, nisi ea lege, qua dat Christus Jesus, ut scilicet pœnitentiam pro viribus agamus, & offenso Deo, quoad possibile nobis est, satisfaciamus; uno Dei, & hominum summo Mediatore per suam satisfactionem infinitam supplente, quod non possumus ob vitæ brevitatem, ac infirmitatem. Quæ quidem Redemptoris nostri satisfactio, & merita, Deipara Virgine, Sanctisque omnibus intercedentibus, per Indulgentiam applicantur iis, qui sinceram, & congruam pœnitentiam agunt, & divinæ justitiæ, cujus sarta tecta sunt jura etiam ipso misericordiæ tempore, satisfacere pro viribus proponunt, ac nituntur.

Matth. 3. & 4.

Luc. 13.

Plenariæ Indulgentiæ, & Jubilæi fructum pro suæ dispositionis mensura quisque consequitur.

Plenariæ certe Indulgentiæ, & Jubilæi plenum fructum non consequitur, quisquis opera facit, quorum intuitu conceditur; sed pro mensura piæ dispositionis, devotionis, ac fervoris, quo illa facit, majorem vel minorem pœnarum peccatis suis debitarum remissionem obtinet, ut colligitur ex Bonifacii VIII. Constitutione Extrav. *Antiquorum*, cujus hæc sunt verba: „ Unusquisque plus merebitur, & Indulgentiam

„ effica-

„ efficacius consequetur, qui Basilicas ipsas amplius, „ & devotius frequentabit „. Idem colligitur ex Innoc. IV. in cap. *Quod autem*, Extra. *de Pœnitentiis*, dicente: „ „ Licet generaliter fiat Indulgentia propter pericula; tamen unus plus alio habet intra metam a Prælato constitutam, secundum quod plus devotus est, vel plus laborat, vel majoribus periculis se exponit „ „.

Hæc doctrina probabilior, imo sola vera mihi videtur, quam propugnant S. Th. in 4. Sentent dist. 20. q. 1. art. 3. q. 2. ad 3. cujus verba descripta habes infra Regula 13. S. Bonaventura eadem dist. q. ultima, Adrianus VI. Dominicus Soto, Estius, Sylvius, „ Molanus. Neque vero (inquit Estius) quidquam „ id derogat Indulgentiis, quæ Plenæ, seu Plenariæ „ conceduntur. Plenæ enim dicuntur Indulgentiæ, „ quarum ea vis est, ut Plenam is, qui sit præparatus, „ accipere queat peccatorum remissionem. Per quod „ imprimis certum est, non omnem satisfactionem „ excludi, quando quidem præparatio, seu dispositio quædam satisfactoria requiritur ex parte suscipientis, idque ex Lege divina, cui beneficium hoc „ Indulgentiæ plenariæ non est contrarium. Quocirca Pontifex hujusmodi Indulgentiam concedens non Legem divinam infringit, sed ea præsupposita de plenitudine potestatis Indulgentiam „ dispensat nulla temporis mensura limitatam; tantum videlicet largiens, quantum quisque secundum „ præparationem suam capere potest; & totam condonans pœnam, si totalis condonationis secundum „ præparationem suam capax est pœnitens. Unde vere dicitur, quod Indulgentia etiam plenaria tantum valet, quantum sonat; tametsi non omnis, qui „ eam participat, plenum inde fructum consequatur „.

Procul ergo, qui prædicare populo christiano non dubitant, quod non ex Scriptura sacra, vel Traditione hauserunt, nec ab Ecclesia didicerunt, sed inerudita cordis sui visione finxerunt. Omnes, qui plenariam Indulgentiam, aut Jubilæum quomodocunque

Error in Jubilæi, & plenariæ Indulgentiæ prædicatione cavendus.

cunque consequuntur, in statum innocentiæ baptismalis restitui, & si continuo moriantur postquam omnia, quæ Bulla pontificia præscripta sunt, exterius impleverint, utcumque tepido licet languentis pietatis affectu, nullis Purgatorii pœnis obnoxios esse, sed recta in cœlum evolare; quamvis nullam aliam pro innumeris, gravibusque peccatis exhibere satisfactionem proposuerint, nullam aliam egerint Pœnitentiam, cum possent. Qui Jubilæum ita prædicant, caupones sunt *miscentes vinum aqua*, ut loquitur Isaias Propheta. Hi nempe, ut S. Basilius explicat, „„ Documenta Scripturarum præcipuam animæ facultatem, scilicet mentem exhilarantia, per S. Prophetas, & Apostolos vinum illud cœleste fundente nobis Spiritu sancto ad percipiendum jucunditatem æternam, cauponum instar adulterant, & corrumpunt, proprii ingenii commenta permiscentes ad perniciem auditorum. Dum enim studiose adnituntur, ut indulgendo eorum voluptatibus demereantur ipsorum gratiam, per blandiloquia, & suaves sermones assentando alunt illorum vitia in perditionem, per hæc enervantes austeritatem, & vigorem Scripturarum vitiosos utiliter perstringentem; ad auditorum subversionem enarrantes multimodam erga homines benignitatem plane ineruditam; condonationes item peccatorum nullo discretionis sale conditas, & talia quædam ad capiendam multorum gratiam; quibus maximopre effeminant animas eorum, qui studiose voluptates consectantur „„. Nemo ergo Christianus, pernicioſa securitate se deludi patiatur, seque ab agenda, & ante Jubilæum, & post acceptum Jubilæi tempus, pœnitentia immunem existimet, quamvis gravia peccata veteribus non adjecerit: quia catholica, æternæque veritatis sententia est a sacra Synodo Tridentina auctore Spiritu sancto tradita, & promulgata; *Tota vita Christiani perpetua pœnitentia esse debet.* Vide Reg. XII. Cap. 3. hujus Tr.

Isaiæ 22. S. Basilius in Isaiam Visione 2.

Sess. 14. De Sacrament. Extremæ Unctionis.

CA-

CAPUT III.

Regulæ indulgentiarum dispensationem, usumque spectantes.

REGULA I.

Indulgentias concedere possunt summus Pontifex, & Episcopi: Ille quidem Plenarias toto, qua late patet Orbe christiano; isti vero in Diœcesibus suis, & secundum mensuram Canonum.

Cum enim Thesaurus Indulgentiarum commune sit Ecclesiæ bonum, ab iis solum dispensari potest, qui Ecclesiæ præsunt. *Ea enim, quæ sunt multitudinis alicujus, distribuuntur singulis de multitudine secundum arbitrium ejus, qui multitudini præest.* Cum igitur summus Pontifex universæ præsit Ecclesiæ cum plenitudine Potestatis, Indulgentias toto qua late patet orbe christiano concedere potest.

Episcopus vero Christi vice, & ordinatione Ecclesiæ portioni præest, „ „ Soluſque proprie Prælatus Ecclesiæ dicitur, ideoque solus quasi Sponsus Ecclesiæ annulum recipit: quamobrem & ipse solus habet plenam potestatem in dispensatione Sacramentorum, & Jurisdictiones in foro causarum, quasi persona publica; alii autem secundum quod ab eo eis committitur. Sed Sacerdotes, qui plebibus præficiuntur, non sunt simpliciter Prælati, sed quasi Coadjutores: unde in consecratione Sacerdotum Episcopus dicit: *Quanto fragiliores sumus, tanto magis his auxiliis indigemus*: & propter hoc etiam non omnia Sacramenta dispensant. Unde Sacerdotes Parochiales, vel Abbates, aut alii hujusmodi Prælati non possunt Indulgentias dare „ „. Verba sunt *S. Thomæ* in 4. *Sentent.* dist. 20 q. 1. art. 4. q. 1. Hinc Abbatibus prohibetur Indulgentiarum concessio cap. *Accedentibus*, Extra. *De Excessibus Prælatorum.*

Confirmatur ex *Martini V.* Constitutione in Conc. Constantiensi edita, qua suspectos de Wiclefiana Hære-

hæresi inter cætera interrogari jubet. „„ Utrum credant, quod Papa omnibus Christianis vere contritis, & confessis, ex causa pia, & justa, possit concedere Indulgentias in remissionem peccatorum: & quod singuli Episcopi suis subditis, secundum limitationem sacrorum Canonum possint etiam illas concedere„„.

Ecclesiæ in dandis Indulgentiis moderatio.

Modus porro Indulgentiis ab Episcopo concedendis præscriptus cap. *Cum ex eo*, Extra. *de Pœnitentiis, & Remissionibus*, quod ex Conc. Lateranensi sub *Innoc. III.* sumptum est, „„ Quia (*inquit*) per indiscretas, & superfluas Indulgentias, quas quidam Ecclesiarum Prælati facere non verentur, & claves Ecclesiæ contemnuntur, & pœnitentialis satisfactio enervatur; decernimus, ut, cum dedicatur Basilica, non extendatur Indulgentia ultra annum, sive ab uno, sive a pluribus Episcopis dedicetur; ac deinde in anniversario Dedicationis tempore quadraginta dies de injunctis Pœnitentiis remissio indulta non excedat, *Et infra*: Hunc quoque dierum numerum Indulgentiarum literis præcipimus moderari, quæ pro quibuslibet casibus aliquoties conceduntur; cum Romanus Pontifex, qui plenitudinem obtinet potestatis, hoc in talibus moderamen consueverit observare„„. Idemque confirmatur cap. *Indulgentiæ*, in Sexto.

REGULA II.

Archiepiscopus Indulgentias in tota Provincia sua concedere potest secundum mensuram Canonibus præscriptam etiam si sacram Provinciæ visitationem actu non obeat.

Hæc Regula traditur cap. *Nostro*, Extra. *De Pœnitentiis, & Remissionibus*, quod est *Honorii III.* ad quemdam Archiepiscopum Rescriptum. „„ Nostro (*inquit*) postulastis certificari Responso, utrum per tuam Provinciam possis concedere Remissionis literas generales; nos igitur tuæ Fraternitati breviter respondemus; quod per Provinciam tuam libere potes

tes hujuſmodi concedere literas ; ita tamen , quod ſtatutum generalis Concilii non excedas „ „. Nec ad tempus, quo Provinciam luſtrat Archiepiſcopus, hanc facultatem jus reſtringit.

REGULA III.

Indulgentiæ ab Epiſcopo conceſſæ, eorum duntaxat Diœceſanis proſunt.

Ad quos pertineat Indulgentiarum conceſſio.

Ita conſtat ex cap. *Quod autem*, quod Reſponſum eſt *Alexandri III.* Cantuarienſi Archiepiſcopo datum. „ „ Cum (*inquit*) a non ſuo judice ligari nullus valeat, vel abſolvi ; Remiſſiones prædictas prodeſſe illis tantummodo arbitramus, quibus, ut proſint, proprii judices ſpecialiter indulſerunt „ „.

REGULA IV.

Epiſcopi in foro pœnitentiæ non ſolum quadraginta dierum ; ſed plurium dierum , & annorum Indulgentias, juſta de cauſa , largiri poſſunt.

Sacris namque Canonibus, & ſummorum Pontificum Decretis modus præſcriptus non eſt Epiſcopalibus Indulgentiis, niſi quæ publice , ac ſolemni ritu in foro externo conceduntur ; non autem iis, qui in foro pœnitentiæ diſpenſantur ; quod Proſper *Fagnanus* ex *Innocent. IV.* interpretatione confirmat, cap. *Cum ex eo*, Extra. *De Pœnitentiis, & Remiſſionibus.*

REGULA V.

Epiſcopus electus , atque confirmatus , & Legati Apoſtolici, quamvis Sacerdotes non ſint, poſſunt Indulgentias concedere.

Poteſtas enim Indulgentias concedendi juriſdictionem ſequitur ; & quia Diaconi, & alii non Sacerdotes poſſunt habere juriſdictionem , vel commiſſam ſicut Legati ; vel ordinariam ſicut Electi ; ideo poſſunt Indulgentias concedere etiam non Sacerdotes ;

tes; quamvis non possint absolvere in foro pœnitentiali, quæ functio est Ordinis.

REGULA VI.

Summus Pontifex, & Episcopi peccati mortalis rei indulgentias nihilominus concedere possunt.

Indulgentiarum enim concessio est actus jurisdictionis; peccatum porro non privat hominem jurisdictione, ut sacr. Conc. Oecumenicum Constantiense contra *Wicleſi*, & *Jo: Hus* errores declaravit; & ideo indulgentiæ æque prosunt; si ab eo concedantur, qui lethalis peccati reus est, ac si ab eo concederentur, qui est sanctissimus. „ Cum non remittat pœnam ex vi suorum meritorum, sed vi meritorum reconditorum in Thesauris Ecclesiæ „; (*inquit S. Th.* in 4. *Sent.* dist. 20. qu. 1. art. 4. q. 4.)

REGULA VII.

Ad indulgentiæ valorem causa justa, & legitima requiritur.

De causis, propter quas dantur Indulgentiæ.

Indulgentiarum enim concessio est Thesauri spiritualis dispensatio, quæ pro mero summi Pontificis, & Episcoporum arbitrio fieri non potest. Qui enim communia Ecclesiæ bona temporalia donare non possunt solo imperio, multo minus bona communia spiritualia solo ex imperio possunt effundere, cum hæc majoris sint pretii, & excellentiæ, & sint istorum non minus quam illorum dispensatores, non domini. Hinc *S. Th.* in 4. *Sent.* dist. 20. q. 2. art. 3. qu. 2. tria necessaria esse docet ad indulgentiarum valorem, scilicet auctoritatem in dante, charitatem in recipiente, pietatem in causa. Quæcunque autem causa vergit in honorem Dei, & utilitatem proximi, pia censetur. Quod autem vulgo dicitur in scholis, Indulgentias indiscretas nihilominus validas esse, verum est (inquit Cardinalis *Cajetanus*) de indiscretis quoad eventum, non autem de indiscretis quoad causam. „„ Sunt enim Indulgentiæ indiscretæ ratio-

ratione eventus, quando Indulgentiæ alias bene conceſſæ, pariunt propter eorum multitudinem quaſi contemptum aut ipſarum, aut ſatisfactionum pœnitentialium, & tales ſunt validæ. Sed ſi ſunt indiſcretæ, quia carent rationabili cauſa, aut omnino, aut quoad tantam quantitatem, ſunt invalidæ „„. Atque hoc ſenſu intelligendus eſt *S. Th.* loco proxime citato ad primum dicens: „„ In arbitrio dantis indulgentiam eſt taxare, quantum per indulgentiam de pœna remittatur. Si tamen inordinate remittat, ita quod homines quaſi pro nihilo ab operibus pœnitentiæ revocentur, peccat faciens tales indulgentias; nihilominus quis plenam Indulgentiam conſequitur „„. Quamobrem ſacra Synodus Tridentina ſeſſ. 25. „„ In Indulgentiis concedendis moderationem juxta veterem, & probatam in Eccleſia conſuetudinem adhiberi cupit; ne nimia facilitate eccleſiaſtica diſciplina enervetur „„.

ſuſcipientibus Indulgentias, quæſt. 2.

Vetus Eccleſiæ in concedendis Indulgentiis moderatio.

REGULA VIII.

Cauſa legitima concedendi indulgentias cenſendum eſt temporale ſubſidium ad ſpiritualia ordinatum.

Sic reſpondet *S. Th* in 4. *Sent.* diſt. 20. qu. 2. art. 3. qu. 3. „„ Temporalia (*inquit*) ad ſpiritualia ordinantur, quia propter ſpiritualia temporalibus uti debemus; & ideo pro temporalibus ſimpliciter non poteſt fieri indulgentia, ſed pro temporalibus ordinatis ad ſpiritualia; ſicut repreſſio inimicorum Eccleſiæ, qui pacem Eccleſiæ perturbant; vel ſicut conſtructio Eccleſiarum, & pontium, & aliarum eleemoſynarum collatio. Nec fit ibi ſimonia; quia non datur ſpirituale pro temporali, ſed pro ſpirituali „„. Sic Indulgentiæ plenariæ generatim primum conceſſæ ſunt Cruce ſignatis, qui contra Turcas, aut Mauros pugnaturi, in Terram ſanctam, vel in Hiſpaniam proficiſcerentur, aut pecunia, vel qualibet opera præſtita tam ſanctum opus promoverent. Sic Epiſcopus Andegavenſis quintam partem pœnitentiæ peccatorum

rum Confessione expiatorum relaxavit iis, qui templi militibus beneficia sua obtulissent, ut testatur *Sugenius* Abbas, Epist. 21. apud *Duschenium* Tom. 2. Collectionis *Historiæ Francorum*. Sic *Mauritius* Parisiensis Episcopus indulgentias concessit iis, qui ad cathedralis Ecclesiæ sanctissimæ Virginis Deiparæ sacræ fabricam nummos conferrent. Sic *Innoc. IV.* indulgentiam contulit iis, qui eleemosynam erogarent in Ecclesiæ fabricam, quam Anglorum Rex magnificentissime exstruebat, ut ex ipsius Epist. 104. colligitur. Provide tamen statuit sacra Synodus Tridentina: „ Pravos quæstus omnes pro indulgentiis consequendis, unde plurima christiano populo abusuum causa fluxit, omnino abolendos esse „. Et Quæstorum nomen, & usum penitus abolevit; ac decrevit, ut indulgentiæ deinceps per Episcopos, adhibitis duobus de Capitulo, debitis temporibus publicarentur, sess. 21. cap. 9. *de Reformatione.*

Pravi quæstus abolendi.

REGULA IX.

Pro causis mere spiritualibus multo magis concedi possunt indulgentiæ.

Ita respondet *S. Thom.* in 4. *Sentent.* dist. 20. qu. 1. art. 3. q. 3. ad 2. „„ Dicendum (*inquit*) quod etiam pro pure spiritualibus potest fieri indulgentia, & fit quandoque, sicut quicunque orat pro Rege Franciæ, habet decem dies de indulgentia a Papa Innocentio IV „„ ob insignia nimirum officia, & beneficia, quæ olim erga Sedem apostolicam christianissimi, & piissimi Principes præstiterunt; quia septem, vel octo Pontifices apostolica Sede deturbatos suis impensis, & suorum sanguine restituerunt, ut ait *Navarrus* in Tract. *de Oratione*, *& Horis Canonicis*, cap. 17. n. 90. & urbes, & provincias, Romamque ipsam Orbis christiani caput Ecclesiæ Romanæ Regia munificentia contulerunt. *Clemens* quoque *VII.* pro Rege Christianissimo preces Deo fundentibus centum dies, *Leo X.* annum Indulgentiarum con-

conceſſit, ut refert *Durandus* lib. 2. *De Ritibus Eccleſiæ*, cap. 33. num. 18. „ Et ſimiliter Crucem prædi- „ cantibus datur quandoque eadem Indulgentia, quæ „ Crucem accipientibus „.

REGULA X.

Exiſtentibus in peccato mortali Indulgentiæ non proſunt.

Indulgentiæ namque ſunt Relaxationes pœnæ temporalis peccato debitæ; nulli autem poteſt dimitti pœna, niſi cui jam dimiſſa eſt culpa. „„ Qui enim non eſt conſecutus operationem Dei in remiſſione culpæ, non poteſt conſequi remiſſionem pœnæ a miniſtro Eccleſiæ, neque in Indulgentiis, neque in foro pœnitentiali „„ (*inquit S. Thomas* in 4. *Sentent.*, diſt. & qu. citatis, art. 5. qu. 1.) Unde Indulgentias Eccleſia non concedit niſi *Contritis*, *& Confeſſis*, ut patet ex pontificiis Diplomatibus. Qui enim non eſt contritus, & confeſſus, non poteſt abſolvi. Indulgentia autem Abſolutio quædam eſt.

REGULA XI.

Opus, cujus intuitu conceditur Indulgentia, fieri debet ab homine in gratia exiſtente.

Hanc opinionem, & tutiorem, & rationi magis conſentaneam eſſe probat Cardinalis *Cajetanus*, primo ex Indulgentiarum formulis, quibus Indulgentia concedi ſolet: *Omnibus vero pœnitentibus, & confeſſis*, qui talem Eccleſiam viſitaverint, qui toties jejunaverint, & pro his, & illis Eccleſiæ neceſſitatibus oraverint, vel ad tale opus manus porrexerint adjutrices. Præterea, ſicut theſaurus civilis pro cauſa duntaxat civili; ita theſaurus vitalis pro cauſa tantum vitali diſpenſatur. Theſaurus porro Indulgentiarum eſt theſaurus vitalis, utpote ex Paſſionibus Chriſti, meritiſque Sanctorum conſtans, æternæque vitæ tollens impedimenta; igitur pro cauſa duntaxat vitali diſpenſatur. Cum igitur opus extra gratiam factum non ſit vivum, ſed mortuum, ad Indulgentiam

De diſpoſitionibus ad conſequendam Indulgentiam.

gentiam obtinendam non ſufficit. Viva certe ſunt quæcunque ad diſpenſationem theſauri Indulgentiarum concurrunt. Vivit Chriſtus ſummus Sacerdos qui præcipuus eſt Indulgentiæ diſpenſator; vivunt Sancti, quorum meritis Indulgentiæ fructus impetratur; vivit, qui particeps eſt indulgentiæ; vivat ergo neceſſe eſt & Indulgentiæ cauſa, ſive opus, cujus intuitu confertur, & quod ad illius participationem imperatur. Quæ eſt enim conventio lucis ad tenebras, & vitæ ad mortem? Nec obſtat, quod Pontifex dans Indulgentiam mortuus eſſe poſſit morte peccati, quoniam ipſe Miniſter tantum eſt, & velut inſtrumentum Chriſti ad cœleſtis theſauri diſpenſationem concurrit. Ad cauſam enim principem reſpiciendum eſt, ut exemplum confirmat domini in gratiæ ſtatu conſtituti, qui per improbum diſpenſatorem eleemoſynas diſtribuit; opus enim illud vivum eſt, non obſtante ſpirituali morte miniſtri. Cum igitur conceditur Indulgentia iis, qui tot Eccleſias viſitaverint, & in iis pro his, & illis Eccleſiæ neceſſitatibus Deum oraverint, qui toties jejunaverint, qui eleemoſynam erogaverint, neceſſe eſt, ut opera illa fiant ab homine in gratiæ ſtatu exiſtente; alioqui non conſequitur Indulgentiam, etſi ſit in gratia conſtitutus, cum Indulgentiæ fructus percipiendus eſt.

Ne vero quis obſtrepat, ad Indulgentiam ſufficere auctoritatem in dante, gratiam in recipiente, pietatem in cauſa; ex hoc enim, quod exigitur pietas in cauſa, hoc eſt, in opere, pro quo datur Indulgentia, conſequens eſt, quod exigatur etiam vita, nam pietas ipſa, niſi ſit viva, pietas non eſt, cum nulla ſit chriſtiana virtus ſine charitate; (inquit Cardinalis *Cajetanus* Tract. 10. *De Suſcipientibus Indulgentias*, quæſt. 2.)

Paſtores itaque Concionatores, & conſcientiarum Moderatores auctores eſſe debent Fidelibus, eoſque adhortari, ut Jubilæi, vel aliarum Indulgentiarum tempore ante omnia ſacramentali Confeſſione conſcientiam expurgent, deinde opera faciant pontificio

Diplo-

Diplomate, aut Episcopi Mandato præscripta ad Indulgentiam consequendam.

Hanc Regulam confirmat S. Carolus Borromæus in ordine, & instructione pro S. Jubilæo consequendo, Actor. Eccl. Mediol. par. 7. p. 942. „ „ Curent singuli, *inquit*, omnes a Sanctitate sua impositas pro lucrando Jubilæo conditiones observare, illud alias non consecuturi, si eas omiserint. Prima est, ut vere contriti peccata deponant; quod sane omnes, prius quam Ecclesiarum visitationem incœperint, juvat egisse, ut Jubilæi consequendi legibus se satisfeciisse hoc modo certiores fiant. Eademque de causa, si quis postquam peccata deposuisset, inchoatamque post Ecclesiarum visitationem, in mortale peccatum (quod Deus avertat) prolapsus fuisset, illud confiteri deberet, & cœptum visitationis dierum numerum, qui præscriptus est, continuare „ „.

REGULA XII.

Ad plenariam Indulgentiam, etiam Jubilæi consequendam, totis viribus eniti, & omni studio contendere necesse est ad satisfaciendum justitiæ divinæ congruis, & diuturnis pœnitentiæ laboribus.

De dispositionibus ad consequendam Indulgentiam.

Hæc Regula colligitur ex *S. Cypriano*, qui Indulgentias illius duntaxat lapsis concedi voluit, qui pœnitentiæ maximam partem impleviissent. Sic enim scribit ad Confessores Epist. 10. „ Et ideo peto, „ ut eos, quos ipsi videtis, quos nostis, quorum „ pœnitentiam scitis, designetis nominatim libello, &c „ „. Aliter concessam Indulgentiam esse ait contra Ecclesiæ disciplinam, *Contra Evangelii legem*. Provisorium denique decretum Africana simul, & Romana Ecclesia ediderunt, ut iis duntaxat Indulgentia, quam Martyres pro ipsis postulaverant, concederetur, qui in ipso pœnitentiæ stadio morte interciperentur. Ita enim scribit Romanus Clerus Epistola inter Cyprianicas 31. „ „ Eorum autem quorum vitæ suæ finem urgens exitus dilationem non potest

ferre, acta pœnitentia, & professa frequenter suorum detestatione factorum, si lacrymis, si gemitibus, si fletibus dolentis, ac vere pœnitentis animi signa prodiderint, cum spes vivendi secundum hominem nulla substiterit, ita demum caute, & solicite subveniri, Deo ipso sciente, quid de talibus faciat „ „.

Indulgentiæ prosunt pœnitentibus orantibus.

Eamdem Regulam confirmat præclara hæc ejusdem SS. Episcopi, & Martyris sententia, in Tractatu de Lapsis: „ „ Si precem toto corde quis faciat, si veris pœnitentiæ lamentationibus, & lacrymis ingemiscat, si ad veniam delicti sui Dominum justis, & continuis operibus inflectat, misereri talium potest. Potest ille Indulgentiam dare, sententiam suam potest ille deflectere. Pœnitenti, operanti, roganti potest clementer ignoscere, potest in acceptum referre, quidquid pro talibus & petierint Martyres, & fecerint Sacerdotes „ „.

Sed & Nicæna Synodus can. 12. iis tantum Indulgentias ab Episcopis concedi statuit, qui in pœnitentia implenda fervorem maximum præ se tulissent, non qui negligenter se gessissent. „ „ Quotquot (*inquit*) metu, & lacrymis, atque patientia, vel bonis operibus, rebus ipsis conversionem suam, non simulatione demonstrant; hi definitum tempus auditionis implentes, tum demum Fidelibus in oratione communicent; postmodum vero licebit Episcopo de his aliquid humanius cogitare. Quicunque vero indifferenter tulerunt, & aditum introeundi Ecclesiam sibi arbitrati sunt ad conversionem posse sufficere; hi definitum modis omnibus tempus impleant „ „.

Propter Indulgentias non minus tenentur fideles agere pœnitentiam.

Hinc Conc. Salegunstadiense, can. 18. Indulgentias illis nequaquam profuturas declaravit, qui, ut pœnis satisfactoriis a Confessario suo, aut ab Episcopo pro peccati gravitate sibi imponendis se liberarent, Romam pergebant, plenariam Indulgentiam a summo Pontifice impetraturi. „ „ Quia (*inquit*) multi tanta mentis suæ falluntur stultitia, ut in aliquo capitali crimine inculpati pœnitentiam a Sacerdotibus suis accipere nolint, in hoc maxime confisi,

ut

ut Romam euntibus Apoſtolicus omnia ſibi peccata dimittat: Sancto viſum eſt Concilio, ut talis Indulgentia illis non proſit, ſed prius juxta modum delicti pœnitentiam ſibi datam a ſuis Sacerdotibus adimpleant; & tunc Romam ſi velint ire, ab Epiſcopo proprio licentiam, & litteras ad Apoſtolicum ex eiſdem rebus deferendas accipiant „ „.

Hinc *Gregorius VII.* Lincolnienſi Epiſcopo Indulgentiam delictorum roganti ea lege conceſſit, ut pœnitentiam pro viribus ageret. „ „ Abſolutionem præterea peccatorum tuorum (*inquit*) ſicut rogaſti, auctoritate Principum Apoſtolorum Petri, & Pauli fulti, quorum vice quamvis indigni fungimur, tibi mittere dignum duximus; ſi tamen bonis operibus inhærendo, commiſſos exceſſus plangendo quantum valueris, corporis tui habitaculum Deo mundum templum exhibueris „ „.

„ Ex quibus apparet (inquit Cardinalis *Baronius* „ hæc referens ad an. 1073. num. 71.) Sedis apo„ ſtolicæ Indulgentias illis communicari, qui quan„ tum ſuppetunt vires, bene operari non prætermit„ tunt; non autem ignavis, otioſis, negligentia tor„ peſcentibus.

Hinc *Gregorius VIII.* cum Eccleſiam Beneventi dedicaſſet, ait populo: „ Tutius eſt, ut agatis pœ„ nitentiam, quam vel tertiam partem, vel aliquotam „ vobis remittam „. Refert *Petrus Cantor* Pariſienſis in Summa *de Sacramentis*, *& animæ Conſiliis.*

Hinc *S. Antoninus*, 1. p. tit. 10. cap. 3. §. 3. ait: „ „ Nec credunt, quod propter has indulgentias generales minus teneatur agere pœnitentiam in hac vita; & horum dictum ſatis videtur concordare æquitati, ut notat Innocentius „ „.

Quibus proſint, vel non proſint Indulgentiæ.

Hanc Regulam confirmat Cardinalis *Cajetanus*, qui hanc de Indulgentiis quæſtionem, Luthero contra Indulgentias prædicante, & ſcripturiente, quam accuratiſſime tractavit, Tract. 10. *De Suſcipientibus Indulgentias*, qu. 1. „ „ Sunt (*inquit*) confeſſi in gratia duplicis ordinis; quidam ſoliciti ad ſatisfacien-

dum per se ipsos pro peccatis suis ; quidam negligentes satisfacere per se ipsos. Primi condignas pœnitentias vel petunt a Confessoribus sibi imponi, parati eas implere, vel sponte illas assumunt, dum continue studeant per sua sancta opera satisfacere, jejunando, orando, eleemosynas dando, &c. Secundi vero levissimam pœnitentiam aut rogant, aut læti suscipiunt; & cum illam impleverint, quam sciunt esse minimam, non curant amplius de satisfaciendo. Et hi sunt, quibus indulgentiæ non prosunt, judicio meo. Nullus enim indignus aliena satisfactione pro pœna sibi debita consequitur veraciter fructum indulgentiæ; sed quilibet in gratia constitutus, negligens satisfacere per se ipsum, est indignus aliena satisfactione pro pœna propriis peccatis debita; ergo nullus constitutus in gratia, negligens satisfacere per se ipsum, acquirit fructum indulgentiæ „ „.

„ „ Præterea, in qualibet bene ordinata republica, quantumcunque rationabilis adesset quandoque causa dispensandi communem thesaurum in cives gravatos ære alieno, negligentes tamen solvere, indigni censerentur adjutorio thesauri ; ex eo enim, quod possunt de suo solvere, & non curant, indignos se reddunt tali sublevamine. Et nisi tales pro indignis haberentur, foveretur negligentia ; quoniam alii horum exemplo ad similem negligentiam provocarentur ; legis autem est facere non negligentes, sed virtuosos. Cum igitur Ecclesia sit a Deo ordinata, æquum non est, ut spiritualis dispensatio thesauri negligentes satisfacere pro dignis habeat. Hoc enim vere esset enervare satisfactiones pœnitentiales. Non prosunt igitur indulgentiæ constitutis in gratia negligentibus satisfacere per se ipsos, quoniam indigni sunt indulgentia... Parati autem ad satisfaciendum per se ipsos sunt, non qui negligunt per se ipsos satisfacere, sed illi soli, quorum voluntas sic est ad satisfaciendum parata, quod non retardat opus nisi impedita „ „.

Id

Id confirmatur ex antiqua forma Indulgentiæ, qua dicitur concedi *Vere pœnitentibus*, quibus verbis significatur, „ Indulgentiam non consequi pœnitentes negligentes, sed pœnitentes solicitos, qui soli „ sunt vere pœnitentes „.

Pœnitentes negligentes Indulgentiarum fructum non plene consequuntur.

Denique, (inquit piissimus, & doctissimus Cardinalis) secundum hanc sententiam „„ solvuntur omnes quæstiones tam de nimis largo Dei foro, quam de omittendis suffragiis pro plenarie absolutis in morte, quam de admiratione Sapientium, & oblocutionibus detrahentium, & excitantur Christi Fideles ad pœnitentiæ opera. Nec aliquid adimitur efficaciæ indulgentiarum; sicut nihil adimitur efficaciæ Sacramentorum ex hoc, quod oportet accedentes ad illa esse digne dispositos, si fructuosa sibi esse volunt; soli siquidem indigni indulgentia ab illius fructu juxta hunc dicendi modum excluduntur „„.

Hanc Regulam pariter confirmat *Jo. Hessélius* Doctor, & Professor Lovanienſis Academiæ, unusque e Concilii Tridentini Theologis, p. 2. Catechismi, cap 46. „ „ Si plenariam (*inquit*) Indulgentiam acciperet omnis, qui utcunque contritus est, & confessus, qui est in statu gratiæ, male diceret Bonifacius VIII. Extrav. *Antiquorum*, quod unusquisque plus mereretur, & efficacius consequeretur indulgentias, qui Basilicas ipsas amplius, & devotius frequentaret. Quare non est putandum, ut quidam docent, quod quicunque indulgentiarum particeps fuerit, si statim moreretur, absque ulla pœna continuo ad cœli gaudia transiturus sit. Multum oportet pro peccato pœniteat, & valde pie, perfecteque participet indulgentiam, cui hoc contingit. Et revera si ad hoc, ut plenarias indulgentias homines acciperent, sufficeret eos esse in statu gratiæ, plurimum evacuaretur studium pœnitentiæ, & satisfactionis, nec vellent homines ullam subire pœnitentiam, si putarent se alioquin plenarias indulgentias & totius promeritæ pœnæ condonationem esse accepturos „„.

Ad praxim igitur quod attinet, „„ Consulendum

est eis, qui indulgentiam consequuntur, ne propter hoc ab operibus pœnitentiæ injunctis abstineant; ut etiam ex his remedium consequantur, quamvis a debito pœnæ essent immunes; præcipue quia quandoque sunt pluriumdebitores quam credant „ „; (inquit *S. Thomas*, in 4. *Sententiarum*, dist. 20. q. 1. art. 3. q. 1. ad 4.) Et ante ipsum *Guilielmus Parisiensis* Tract. *De Sacramento Ordinis*, cap. 4. „ „ Cum (*inquit*) certum sit, eos solos indulgentias percipere, qui mundi sunt, & immunes a mortalibus peccatis, nulli autem est certum, quod immunis sit, & mundus ab illis; nulli ergo certum est, quod indulgentias percipiat. Certum est autem unicuique se esse debitorem injunctæ pœnitentiæ, vel injungendæ; quare certum est, neminem debere propter hujusmodi indulgentias cessare ab agenda pœnitentia, ne committat se periculo, & inæstimabilem acerbitatem ignis Purgatorii incurrat „ „.

REGULA XIII.

Totam indulgentiam non consequitur, quicunque facit opus, cujus gratia indulgentia concessa est, sed qui meliori, quo potest, modo, studioque ferventiore facit.

Hæc Regula colligitur ex *S. Th.* in 4. *Sententiar.* dist. & qu. mox indicatis, art. 3. qu. 2. ad 3. Quando (*inquit*) datur indulgentia indeterminate ei, qui dat auxilium ad fabricam Ecclesiæ, intelligitur tale auxilium, quod sit conveniens ei, qui auxilium dat; & secundum hoc plus, vel minus de indulgentia consequitur; unde etiam aliquis pauper dans unum denarium consequitur totam indulgentiam; non autem dives, quem non decet ad opus tam pium & fructuosum ita parum dare; sicut non diceretur Rex alicui homini auxilium facere, si ei obolum daret „ „.

RE-

REGULA XIV.

Aliis operibus ſatisfactoriis Deum magis promeremur, quam Indulgentiis.

Ita docet *S. Thomas* loco mox citato, ad ſecundum: „ „ Quamvis (*inquit*) hujuſmodi indulgentiæ multum valeant ad remiſſionem pœnæ, tamen alia opera ſatisfactionis ſunt magis meritoria reſpectu præmii eſſentialis; quod in infinitum melius eſt quam dimiſſio pœnæ temporalis „ „.

Et art. 5. q. 2. ad 2. „ „ Propter indulgentias (*inquit*) non debet diſſolvi Regularis obſervantia; quia Religioſi magis merentur Religionem ſuam ſervando, quantum ad præmium vitæ æternæ, quam indulgentias exquirendo; quamvis minus quantum ad dimiſſionem pœnæ, quod eſt minus bonum „ „.

REGULA XV.

Non vivis ſolum, ſed etiam Defunctis proſunt indulgentiæ a ſummo Pontifice pro illorum levamine conceſſæ, illiſque ſpeciatim a Fidelibus vitam hic mortalem agentibus applicatæ.

Id antiquus Eccleſiæ uſus probat, Indulgentias pro Defunctis concedentis. „ Si quid autem tota per „ orbem frequentat Eccleſia, quin ita faciendum ſit „ diſputare, inſolentiſſimæ inſaniæ eſt „; (*inquit S. Auguſt.* Epiſt. 54. olim 118. ad *Januarium.*) Indulgentias Defunctis prodeſſe declaravit Sixtus IV. Confirmarunt Innoc. VIII. Alexander VI. Clemens VII. Julius III. & Greg. XIII. in Bullis Jubilæi, &c. Contrarium errorem a ſacra Facultate Pariſienſi damnatum Jo. Major teſtatur in 4. Sentent. diſt. 20. qu. 2. ſeque interfuiſſe eruditi Ordinis deliberationi. Leo X. in Conſtitutione contra Lutheri errores hunc inter alios damnat articulum: *Sex generibus hominum indulgentiæ nec ſunt neceſſariæ, nec utiles videlicet mortuis, &c.* Iis autem duntaxat proſunt, qui in Eccleſiæ Communione, & in gratiæ ſtatu obire, cum non-

Indulgentiæ quoad proſi Defunct

dum divinæ juſtitiæ pro peccatis plene ſatisfeciſſent; ac propterea in purgatorium ad reliquas pœnas exſolvendas ſunt relegatæ. Proſunt autem ipſis, non per modum Abſolutionis, quia ſummi Pontificis juriſdictioni non ſubſunt amplius, ſed per modum ſuffragii, (ut loquuntur Pontifices, & Theologi;) id eſt, eo modo quo cætera piorum bona opera ſatisfactoria, ſcilicet orationes, jejunia, flagellationes, peregrinationes, eleemoſynæ defunctis ſuffragantur, non via juſtitiæ, ſed quatenus divina Miſericordia pro illorum animabus hæc accepta habet. Cujus rei duplicem rationem affert Cardinalis *Cajetanus* Tract. 18. *de Indulgentiis*, q. 5. Prima eſt, quod pœnæ noſtræ ſint alterius rationis a pœnis animarum ſeparatarum, nec cum illarum acerbitate valeant comparari; ſicut pœna pecuniaria eſt alterius omnino rationis a pœna ſervitutis, longeque levior, quo fit, ut ſicut ſervitus pecunia non redimitur ſecundum juſtitiæ rigorem, ſed ſecundum acceptionem domini; ita pœnæ animarum ſeparatarum pœnis, ac ſatisfactionibus noſtris non redimantur ſecundum juſtitiæ rationem, ſed ſecundum divinæ miſericordiæ diſpenſationem. Secunda ratio eſt, quod forum noſtrum, in quo hic patimur, longe ſit diverſum a foro, in quo animæ ſeparatæ puniuntur. Forum noſtrum lene eſt, quaſi canonicum, aut civile; iſtud ſeverum, quaſi forum rerum capitalium. Quemadmodum igitur, ſi quis hic ob debita ſervituti mancipatus eſſet, (ut olim fiebat) aut Clericus in forum rerum capitalium incidiſſet, non ſufficeret pecunia ad illum redimendum a ſervitute; nec pœnæ canonicæ ſufficerent ad Clerici vitam redimendam; ita non ſufficiunt pœnæ noſtræ, laborioſaque pœnitentiæ opera ad ſatisfaciendum juſtitiæ divinæ pro Animabus in Purgatorio detentis; quæ tamen ſuffeciſſent ad ſatisfaciendum pro ipſis, antequam corporibus ſolutæ, & in forum iræ, ac ſeveritatis divinæ juſtitiæ translatæ eſſent. Non enim patet nobis via juris aliqua, ut forum illud adeamus ad cujuſque redemptionem, ſed una divinæ

Mi-

Misericordiæ fiducia suffragia nostra, satisfactionesque Deo ad animarum patientium levamen offerimus. Summus tamen Pontifex eadem auctoritate sibi a Christo commissa confert Indulgentias ex Ecclesiæ thesauro pro defunctis, ac pro vivis, sed longe diverso modo; vivos siquidem absolvit, ut judex; defunctis auxiliaria suffragia confert, divinæ Misericordiæ confidens, futurumque sperans, ut pro illorum levamine hæc accepta habeat. Id exemplo illustremus. Princeps civitatis alicujus ex ærario publico cives omnes ære alieno gravatos liberare decrevit, quorum aliqui ejus dominio subditi maneant; alii sub alieno versentur, propter debita servituti adicti; in eo casu eadem auctoritate pecuniam dispensat ex publico ærario pro utrisque; sed jurisdictioni suæ subditos judiciaria etiam potestate absolvit a debito; alienæ vero servituti mancipatis subvenire non potest, nisi pecuniam in modum auxilii mittendo, si forte eam acceptam habeat dominus, ipsosque libertate donet. Pari quodam modo summus Pontifex pœnas vivorum, ac defunctorum peccatis debitas ex Ecclesiæ thesauro soluturus, utrisque cœlestis thesauri opes dispensat; sed vivis applicat absolvendo; defunctis succurrendo, sive satisfactoria fidelium suffragia ad illorum liberationem, vel levamen Deo offerendo.

REGULA XVI.

Quibuscunque Purgatorii Animabus plenaria indulgentia applicetur, non ideo a pœnis statim liberantur.

Non enim certum est, an hujusmodi suffragium divina Misericordia pro illarum liberatione acceptum habuerit. Deinde id suffragiorum genus illis solis prodest, qui in hac vita, ut sibi prodessent, meruerunt. Quamvis autem meruerint omnes, qui in gratia, & charitate objerunt, ut hæ sibi possent prodesse, non tamen, ut hæc sibi reipsa prodessent; sed illi soli, qui reverentia, ac devotione singulari erga claves Ecclesiæ, & Indulgentias affecti

cti fuere, qui misericordia, solicitudine ad satisfaciendum pro peccatis, studio ad suffragandum Defunctis insignes extitere, (inquit Cardinalis *Cajetanus.*) In hujusque rei confirmationem affert verba *S. Thomæ*, 3. p. q. 52. art. 8. ad 1. scribentis, ex testimonio *S. Augustini* in Epist. ad *Evodium*, quod sibi objecerat, non posse concludi: „„ Quod omnes illi, qui in Purgatorio erant, *cum Christus descendit ad Inferos*, fuerint a Purgatorio liberati, sed quod aliquibus eorum fuerit hoc beneficium collatum, illis scilicet, qui jam sufficienter purgati erant; vel etiam, qui dum adhuc viverent, meruerunt per fidem, & devotionem ad mortem Christi, ut eo descendente, liberarentur a temporali Purgatorii pœna „„. Quod si Christus Pontifex futurorum bonorum, plenariam Indulgentiam Sanguine suo partim illis duntaxat Animabus indulsit, qua liberarentur a Purgatorii pœna, cum descendit ad inferos, quæ id singulari fide, & devotione ad mortem ejus futuram meruerant; non est existimandum, Indulgentiam plenariam a Romano Pontifice Christi in terris Vicario Animabus Purgatorii concessam, & a Fidelibus in hac vita constitutis aliquibus speciatim applicatam, illis ad pœnæ totius relaxationem plenamque liberationem suffragii, nisi fide, & devotione ad Indulgentias singulari solicitudine ad satisfaciendum pro peccatis, misericordia, studioque suffragandi defunctis; aliisve piis operibus Deo hunc in finem acceptis, æternoque ejus consilio prædestinatis, (inter quæ pietatem, ac devotionem singularem erga Passionem Christi, erga SS Sacramentum, erga Deiparam Virginem, numerari pie existimaverim,) ut sibi plenariæ Indulgentiæ ad plenam liberationem suffragarentur, dum hic viverent, meruerunt.

Ex quibus patet, quid de Bullæ Sabbatinæ privilegio, & de Altaribus privilegiatis sentiendum, ac dicendum sit, & quanta sobrietate prædicandæ sint hujusmodi Indulgentiæ a Viris religiosis, quibus *Clemens V.* in Conc. Viennensi prohibuit „ In virtute

„ tute ſanctæ obedientiæ, & ſub interminatione ma-
„ ledictionis æternæ, ne in Sermonibus ſuis Indul-
„ gentias pronuntient indiſcretas „.

REGULA XVII.

Tempore Jubilæi quilibet tam ſæcularis, quam Regularis Confeſſarium eligere poteſt, quem voluerit, ex approbatis ad hunc effectum. Unde viri Religioſi, & Sanctimoniales Sacerdoti ſæculari, aut alterius Ordinis Regulari peccata ſua confiteri poſſunt, & ab iis abſolvi, repugnantibus etiam Superioribus Regularibus.

De facultate eligendi Confeſſarium tempore Jubilæi.

Facultas enim eligendi Confeſſarium pontificiis Diplomatibus ſub hac forma conceditur tempore Jubilæi: „„ Omnibus, & ſingulis Chriſti Fidelibus utriuſque ſexus, tam laicis, quam eccleſiaſticis, ſæcularibus, & regularibus cujuſvis Ordinis, & Congregationis, & inſtituti, tam in urbe, quam extra eam, ubique locorum degentibus licentiam concedimus, & facultatem, ut ſibi ad hunc effectum eligere poſſint, quemcunque Presbyterum Confeſſarium, tam ſæcularem quam cujuſvis Ordinis, & inſtituti Regularem ex approbatis a locorum Ordinariis, qui eos ab excommunicationis, ſuſpenſionis, & aliis eccleſiaſticis ſententiis, & Cenſuris, a jure, vel ab homine quavis cauſa latis, ſeu inflictis, necnon ab omnibus peccatis, exceſſibus, criminibus, & delictis, quantumvis gravibus, & enormibus, etiam locorum Ordinariis, ſive nobis, & Sedi apoſtolicæ quomodocunque reſervatis, in foro conſcientiæ, & hac vice tantum, abſolvere, & liberare valeant „„.

Contrarium quidem *Clemens VIII.* declaravit olim Decreto, quod incipit, *Ad perpetuam rei memoriam*; ſed ſupponebat facultatem tam amplam, & tam expreſſis verbis conceptam pontificiis Litteris non concedi, ſed ſolum eligendi quemcunque idoneum Confeſſarium, ut colligitur ex *Barboſa* Decretum illud commemorante libro *de Officio, & poteſtate Epiſcopi*,

p.

p. 2. Allegatione 25. §. 64. „„ Utrum autem (*inquit*) quando tempore Jubilæi cuilibet tam Sæculari, quam Regulari facultas eligendi quemcunque idoneum Confeſſorem conceditur, integrum ſit ipſi Regulari extra Religionem confiteri; Non poſſe, ex Decreto Clementis VIII. quod incipit: *Ad perpetuam rei memoriam*, reſolvunt Ugolinus, &c „„. Suas, & Deceſſorum ſuorum Conſtitutiones interpretari potuit *Clemens VIII.* non Succeſſorum Pontificum, qui facultatem concedunt quibuslibet Fidelibus, etiam cujuſvis Ordinis, & Congregationis Regularibus, eligendi tempore Jubilæi. „„ Quemcumque Presbyterum Confeſſarium, tam ſæcularem, quam cuiuſvis Ordinis, & Inſtituti Regularem ex approbatis „a locorum Ordinariis „. Cum itaque *Favores conveniat ampliari*, ut habet Regula juris, *& Beneficia Principum, quam latiſſime deceat interpretari*: non eſt, cur gratiæ Regularibus tempore Jubilæi pontificiis Litteris conceſſæ reſtringantur: nec a quovis Superiore Regulari prohiberi poſſunt Viri Religioſi, aut Moniales, ne illis fruantur.

REGULA XVIII.

Jubilæi tempore ſemel tantum hac gratia frui poſſunt Regulares, Confeſſariumque ſæcularem, aut alterius Ordinis Regularem eligere. Unde viri Religioſi, aut Moniales exemptæ Confeſſionem invalidam, ac nullam ederent, ſi altera vice peccata deponerent apud ſæcularem Sacerdotem, aut alterius Ordinis Regularem a Prælatis ſuis Regularibus non approbatum, ſive abſque eorum licentia.

Pontificiis enim Diplomatibus hæc eligendi Confeſſarium tam ampla facultas ipſis conceditur *Ad hunc effectum*, ideſt, ad Indulgentiam Jubilæi conſequendam, *& hac vice tantum.*

RE-

REGULA XIX.

Cum Jubilæum pluribus hebdomadibus durat, Indulgentiam Jubilæi bis non consequitur, qui opera pontificio Diplomate præscripta bis peragit; verbi gratia, qui prima, & altera hebdomade stata Jejunia observat, Ecclesias adit Stationibus destinatas, preces fundit, peccata confitetur, & Sacram Eucharistiam percipit.

Hæc Regula colligitur, tum ex Pontificiis Diplomatibus, quæ hanc Indulgentiam semel tantum obtineri significant, tum ex *S. Th.* in 4. *Sentent.* dist. 20. qu. 1. art. 3. q. 2. ad quartum. „ „ Quandocumque (*inquit*) Indulgentia ad determinatum tempus datur; ut cum dicitur, *Quicunque vadit ad Ecclesiam talem usque ad tale tempus, habeat tantum de indulgentia;* intelligitur semel tantum: sed si in aliqua Ecclesia sit indulgentia perennis, sicut in Ecclesia Beati Petri quadraginta dierum, tunc quoties vadit aliquis, toties Indulgentiam consequitur „ „

REGULA XX.

Probanda, & laudanda est piorum solicitudo, qui opera pontificio Jubilæi Diplomate præscripta bis faciunt.

Hæc enim repetitio ipsis prodest ad accuratiorem, & pleniorem satisfactionem, ampliusque meritum, & ad ejusdem Indulgentiæ fructum uberiorem consequendum, si forte prima vice non ita dispositi fuerint, ut totum a Deo obtinerent. Atque piæ illi devotorum Christifamulorum, ac famularum consuetudini, praxique favet *Bonifacius VIII.* Extravag. *Autiquorum*, Extra. *De pœnitentiis, & remissionibus*, dicens: „ Unusquisque tamen plus merebitur, & „ Indulgentiam efficacius consequetur, qui Basilicas „ ipsas amplius, & devotius frequentabit „.

REGULA XXI.

Sacerdotes, & Clerici, Virique Religiosi, & Sanctimoniales, adeuntes Ecclesias suas, quarum Visitationi annexa est Indulgentia vel in perpetuum, vel statis temporibus, non minorem (si cætera sint paria) consequuntur Indulgentiam iis qui e locis remotissimis ad eadem accedunt eum in finem oraturi.

Hanc Regulam tradit *S. Thom.* in 4. *Sentent.* dist. 20. q. 1. art. 3. Quæstiunc. 2. ad quartum: „„ Ille (*inquit*) qui est vicinus Ecclesiæ, & etiam Sacerdos, & Clerici, consequuntur tantam Indulgentiam, sicut illi, qui venirent a mille dietis; quia remissio non proportionatur labori, sed meritis, quæ dispensantur; sed ille, qui plus laboraret, plus de merito acquireret „„.

REGULA XXII.

Jubilæum, aut Indulgentias aliis, seu vivis, seu defunctis applicare, aut fructum earum ad illos transferre Fideles non possunt, qui opera peragunt pro illis consequendis præscripta, nisi Pontificiis literis id exprimatur.

Hæc Regula colligitur ex *S. Thoma*, in 4. *Sententiar.* dist. 20. q. 1 art. 5. Quæstiunc. 3. ad secundum: „„ Opus proprium (*inquit*) potest quis applicare per intentionem cuicunque voluerit; & ideo potest pro quocunque vult satisfacere; sed Indulgentia non potest applicari ad aliquem, nisi ex intentione ejus qui dat Indulgentiam; & ideo cum ipse applicet ad facientem, vel dantem (hic autem illud non potest) ille, qui hoc facit; ad alterum hanc intentionem transferre non potest. Si tamen fieret sic Indulgentia: *Ille qui facit, vel pro quo hoc fit, habeat tantam Indulgentiam*, valeret ei, pro quo fit; nec tunc iste, qui facit hoc opus, daret alteri Indulgentiam, sed ille, qui Indulgentiam sub tali forma facit „„.

TRA-

TRACTATUS.

De Sacramento Ordinis.

Cum, quæ ſunt, a Deo ordinata ſint, non alibi magis neceſſarium videtur, ut omnia ſint ordinata, quam in Eccleſia, quæ Regnum eſt a Deo conſtitutum. Ipſam enim Deus, & Dominus noſter Jeſus Chriſtus collegit, & ædificavit Sanguine ſuo, qui propterea mori dignatus eſt; ut filios Iſrael, qui erant diſperſi, congregaret in unum, ut eſſet unum ovile, & unus Paſtor. Quamobrem recte in Canticis *Caſtrorum acies ordinata* vocatur; neque ulla magis re eſt adverſarii Poteſtatibus terribilis, quam eo ipſo, quod eſt ordinata. Eſt igitur Ordo cum primis in ea neceſſarius; de quo *S. Auguſt.* lib. 1. *De Ordine*, cap. 9. ſcribit: „ „ Ordo eſt, quem ſi tenuerimus in vita, perducet ad Deum, & quem niſi tenuerimus in vita, non pervenimus ad Deum. *Et infra*: Ordo eſt, per quem aguntur omnia, quæ Deus conſtituit „ „.

Variæ Ordinis acceptiones.

Ordinem generatim ſumptum ita definit Concil. Trid. Catechiſmus: „ Ordo eſt diſpoſitio ſuperiorum „ & inferiorum rerum, quæ inter ſe ita aptatæ ſunt, ut „ una ad alteram referatur „. Paulo aliter *S. Aug.* lib. 19. *De civitate Dei*, cap. 13. „ Ordo eſt parium diſparium- „ que rerum ſua cuique loca tribuens diſpoſitio „.

Secundo ſumitur Ordo pro hominis ſtatu, & dignitate, quæ ipſi cum multis aliis communis eſt. Eo ſenſu dicitur Ordo ſenatorius, Ordo equeſtris. Ita qui vulgo dicuntur tres Status Regni, Eccleſiaſticus, Nobilis, & Plebejus, latine loquentibus tres Ordines dicuntur. Sic in Eccleſia diſtinguitur Ordo Clericorum, Ordo Monachorum, Ordo Virginum; ſic varii Ordines Religioſi.

Tertio ſumitur Ordo ſignificatione magis propria pro ſtatu quodam, & dignitate hominum, qui conſecratione quadam pollentes, Sacerdotio apud Chriſtianos fungi poſſunt; aut deſtinatione, & benedi-

ctione quadam consecrati jus habent ad Ministerium aliquod in Sacerdotii functione exercendum, quæ quidem Benedictio, seu Consecratio, Ordinis Sacramentum, vel sacra Ordinatio vocatur. Placuit autem SS. Patribus hoc vocabulo uti, quod latissimam significationem habet, ut dignitatem, & excellentiam Ministrorum Dei indicarent. Cum enim in sacro Altaris Ministerio multi sint gradus; omnes vero certa ratione distributi sint, & collocati; recte & commode Ordinis nomen ei impositum videtur, (inquit Concilii Catechismus.)

CAPUT PRIMUM.

De Ordinis essentia, & divisione.

ARTICULUS PRIMUS.

Quid sit Ordo? Utrum sit vere Sacramentum?

Quid sit Ordo?

Ordo est *Sacramentum, quo potestas quædam spiritualis traditur ordinato, sive ad sacrosanctum Christi Corpus consecrandum, sive ad alias functiones, & ministeria ecclesiastica obeunda.* Hæc definitio Ordinationes omnes complectitur, sed imprimis Sacerdotium, quo traditur consecrandi Corporis Christi potestas, quæ omnium Ordinationum finis est ultimus, cujus gratia institutæ sunt; deinde Ordinationes cæteras, quæ ad eminentem illam potestatem suscipiendam pro modulo suo Sacerdotem futurum præparant, ac disponunt

Potestas ecclesiastica quoduplex.

Duplex autem Potestas ecclesiastica est, *Ordinis* scilicet, ac *Jurisdictionis.* Potestas ordinis ad verum Christi Domini Corpus in sacrosancta Eucharistia refertur. Potestas jurisdictionis tota in Christi corpore mystico versatur; ad eam enim spectat christianum populum gubernare, & moderari, & ad æternam, cœlestemque beatitudinem dirigere. Non minus enim eget Ecclesia Sacerdotio, ut regatur, & defendatur, quam Sacrificio, ut nutriatur. Id docet

Conc.

Conc. Trid. seſſ. 23. cap. 1. cum ait: „„ A Domino Salvatore noſtro Apoſtolis, eorumque Succeſſoribus in Sacerdotio poteſtatem traditam conſecrandi, offerendi, & miniſtrandi Corpus, & Sanguinem ejus, necnon & peccata dimittendi, & retinendi „„. Hæc enim verba utramque poteſtatem complectuntur. Deinde omnes ordines, ſi prima eorum inſtitutio ſpectetur, creati non ſunt tantum ad Sacrificium Eccleſiæ celebrandum, ſed etiam ad bonum Eccleſiæ regimen conſtituendum. Quemadmodum enim, ſi Sacrificium tollas, perit omnis religio; ita ſi regimen auferas, Eccleſia non erit amplius Eccleſia, ſed hominum turba, quæ ut temere confluit, ſic nullo cum conſilio diſſolvitur.

Sacramentum Ordinis quando inſtitutum a Chriſt

Spiritualem illam Ordinis poteſtatem contulit Chriſtus Dominus diſcipulis ſuis, quando Corporis, & Sanguinis ſui Sacramentum, & Sacrificium inſtituens, dixit illis: *Hoc facite in meam commemorationem;* (ut refert Apoſtolus 1. ad Cor. 11.) Illis enim verbis, ut recte docet Tridentina Synodus, Chriſtus Apoſtolos ſuos novæ Legis Sacerdotes inſtituit. Et rurſum quando poſt Reſurrectionem inſufflavit in eos dicens: *Sicut miſit me Pater, & ego mitto vos... Accipite Spiritum ſanctum; quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis; & quorum retinueritis, retenta ſunt:* (Joan. 20.) Et cum illos his verbis compellavit (Matth. 18.) *Amen dico vobis quæcunque alligaveritis ſuper terram, erunt ligata & in cœlo, & quæcunque ſolveritis ſuper terram, erunt ſoluta & in cœlo.*

PROPOSITIO UNICA.

Ordo eſt verum, & proprie dictum novæ Legis Sacramentum.

Ordo verum Sacramentum.

Eſt enim ſacræ rei ſignum efficax, ſive ſignum viſibile inviſibilis gratiæ. Signum, ſeu elementum eſt manus impoſitio, vel certorum inſtrumentorum contractus; ad quod elementum, cum accedit verbum, fit Sacramentum. Nec enim ſignificatur modo, verum etiam reipſa confertur inviſibilis gratia, qua

fit, ut tradita sibi spirituali potestate recte fungi possit ordinatus. Quod autem sacer ille Ritus gratiam conferat, testis est S. Paulus, cum Timotheum suum his verbis alloquitur (1. ad Timoth. 4.) *Noli negligere gratiam, quæ in te est, quæ data est tibi per Prophetiam, cum impositione manuum Presbyteri*, (id est, Episcoporum, qui te mecum inaugurarunt, ut *S. Joan. Chrys.* interpretatur) Et iterum: *Admoneo te, ut resuscites gratiam Dei, quæ in te est per impositionem manuum mearum.* Quæ gratia cujusmodi sit, verbis sequentibus indicat, quæ internam, & occultam Spiritus sancti subministrationem significant: *Non enim dedit nobis Deus spiritum timoris, sed virtutis, & dilectionis, & sobrietatis.* Hæc enim verba ad gratiam in ordinatione collatam pertinere intellexit Ecclesia in Concilio Trid. congregata, sess 23. cap. 3. Ad hujusmodi gratiam & illud referendum est, quod ait Dominus, Joan. 20. *Accipite Spiritum sanctum*; cum enim potestatem daret sacri muneris exequendi, etiam gratiam addere voluit, qua ad functionem illam sacram rite, & sancte obeundam præpararentur, & instruerentur. Eam gratiam ad sanctificationem hominis pertinere constat, quia Spiritus sanctus omnis sanctificationis est auctor. Atque ita hunc locum explicant *S. Cyrillus* lib. 12. in Joan. & antiquus auctor Quæstionum in vetus, & novum Testamentum, inter *S. Augustt.* Opera editarum, qu. 93. Nec vero gratiam duntaxat gratis datam Ordinatione sacra conferri, quis recte colligeret ex eo, quod gratiam Timotheo datam *per Prophetiam* Apostolus testatur. Non enim hoc loco data fuisse dicitur Timotheo gratia Prophetiæ, sed *per Prophetiam*, id est, secundum præcedentem de illo prophetiam, ut dicitur explicatius cap. 1. *Hoc præceptum commendo tibi, fili Timothee, secundum præcedentes in te prophetias, ut milites in illis bonam militiam.* Hoc est, secundum revelationem prius factam, qua significatum fuerat, Timotheum tanquam Ecclesiæ utilem, Sacerdotem, & Episcopum esse inaugurandum.

2. ad Timoth. 1.

Idem

Idem ex apoſtolica Traditione, & Patrum conſenſu confirmatur. Unus ſit inſtar omnium *S. Auguſt.* lib. 2. *Contra Epiſtolam Parmeniani*, cap. 13. ubi Sacramentum ordinationis cum Sacramento Baptiſmi ita comparat, ut utrumque Sacramentum eſſe, & quadam conſecratione homini dari aſſerat, illud, cum baptizatur, iſtud, cum ordinatur; ideoque neutrum iterandum eſſe, ne injuria fiat Sacramento. „„ Nam illud (*inquit*) quod quidam eorum veritate convicti dicere cœperunt, Baptiſmum quidem non amittit, qui recedit ab Eccleſia, ſed jus tamen dandi amittit, multis modis apparet fruſtra, & inaniter dici. Primo, quia nulla oſtenditur cauſa, cur ille, qui ipſum Baptiſmum amittere non poteſt, jus dandi poteſt amittere. Utrumque enim Sacramentum eſt; & quadam conſecratione utrumque homini datur, illud cum baptizatur, iſtud cum ordinatur; ideoque in Catholica utrumque non licet iterari. Nam ſi quando ex ipſa parte venientes etiam præpoſiti pro bono pacis correcto ſchiſmatis errore ſuſcepti ſunt, & ſi viſum eſt, opus eſſe, ut eadem Officia gererent, quæ gerebant, non ſunt rurſum ordinati; ſed ſicut Baptiſmus in eis; ita ordinatio manſit integra; quia in præciſione fuerat vitium, quod unitatis pace correctum eſt; non in Sacramentis, quæ, ubicunque ſunt, ipſa ſunt. Et cum expedire hoc judicatur Eccleſiæ, ut præpoſiti eorum venientes ad catholicam Societatem honores ſuos ibi non adminiſtrent; non eis tamen ipſa ordinationis Sacramenta detrahuntur, ſed manent ſuper eos. Ideoque non eis in populo manus imponitur, ne non homini, ſed ipſi Sacramento fiat injuria. *Et paulo poſt*: Si enim utrumque Sacramentum eſt, quod nemo dubitat; cur illud non amittitur, & illud amittitur? Neutri Sacramento injuria facienda eſt „„. Ex quibus perſpicuum eſt, ordinem non minus proprie Sacramentum eſſe, quam Baptiſmum; & ea de re dubitaſſe neminem *S. Auguſt.* ætate, adeoque illud ex Traditione acceptum.

S. Leo Epiſt. 11. alias 81. ſacram Ordinationem Sacramen-

cramentum vocat. „ „ Nam præter auctoritatem consuetudinis (*inquit*) quam ex apostolica novimus venire doctrina, etiam sacra Scriptura manifestat, quod cum Apostoli Paulum, & Barnabam ex præcepto Spiritus sancti ad Evangelium gentibus mitterent prædicandum, jejunantes & orantes imposuerunt eis manus, ut intelligamus quanta, & dantium, & accipientium devotione curandum sit, ne tantæ Benedictionis Sacramentum negligenter videatur impletum. Et ideo pie, & laudabiliter Apostolicis morem gesseris institutis, si hanc ordinandorum Sacerdotum formam per Ecclesias, quibus Dominus præesse te voluit, etiam ipse servaveris; ut his, qui consecrandi sunt, nunquam Benedictio, nisi in die Resurrectionis dominicæ, tribuatur „ „; id est, Dominica die, qua Resurrectionis Christi memoria recolitur. Et Epist. 1. alias 87. de sacris Ordinationibus loquens: „ Quis ergo (*inquit*) dissimulare audeat, quod in tanti Sacramenti perpetratur injuriam „ „?

Denique *Eugenius IV.* in Decreto pro instructione Armenorum, ordinem Sacramentum esse docet, ejusque effectum esse *Augmentum gratiæ*, ut possit quis esse idoneus minister. Et Conc. Trid. sess. 23. cap. 3. „ „ Cum Scripturæ (*inquit*) testimonio, apostolica Traditione, & Patrum unanimi consensu perspicuum sit, per sacram Ordinationem, quæ verbis, & signis exterioribus perficitur, gratiam conferri, dubitare nemo debet, ordinem esse vere, & proprie unum ex septem sanctæ Ecclesiæ Sacramentis „ „.

Et can. 3. „ „ Si quis dixerit, Ordinem, sive sacram Ordinationem non esse vere, & proprie Sacramentum, a Christo Domino institutum; vel esse figmentum quoddam humanum, excogitatum a viris rerum ecclesiasticarum imperitis; aut esse tantum ritum quemdam eligendi ministros verbi Dei, & Sacramentorum; anathema sit „ „.

ARTICULUS II.

Quot sint Ordines.

„„ Cum divina res sit Sacerdotii ministerium; consentaneum fuit, quo dignius, & majori cum veneratione exerceri posset, ut in Ecclesiæ ordinatissima dispositione plures, & diversi essent ministrorum ordines, qui Sacerdotio ex officio deservirent; ita distributi, ut qui jam clericali Tonsura insigniti essent, per minores ad majores ascenderent „„ (inquit Tridentina Synodus sess. 23. cap. 2.) Proinde visum est Spiritui sancto septiformis gratiæ largitori omnes ordines ad Corpus Christi verum, id est, ad Eucharistiæ Sacrificium directe destinatos septennario numero concludere, quorum tres Majores, & peculiari ratione sacri dicuntur; quatuor minores, tametsi & hi generali quadam ratione sacri dici possunt. Majores sunt Sacerdotium, Diaconatus, & Subdiaconatus; Minores, Ostiariatus, Lectoratus, Exorcistatus, & Acolytatus. Ad septennarium numerum Ordinum, qui ad verum Christi Corpus referuntur, addere licet octavum Ordinem his omnibus eminentiorem, nempe Episcopatum, qui ad Corpus Christi mysticum, scilicet Ecclesiam regendam, ab ipso Christo institutus est. Hic apex est, & consummatio Sacerdotii, huncque verum Ordinem a Presbyteratu distinctum esse docet, & propugnant doctissimi Theologi. Ad hunc dignitatem per inferiorum Ordinum gradus pervenitur. Æquum enim esse visum est, quod in gubernatore navis observatur, ut id multo diligentius observetur in Ecclesiæ navi gubernanda. Sicut enim in illa non statim alicui gubernacula creduntur, sed primam adhibetur ad remos, postea in proram deducitur, inde paulatim ad ulteriora procedit, ac ubi multam rerum maritimarum experientiam consecutus est, tandem ad gubernacula admovetur; sicut etiam in rebus bellicis, Militis primum officio fungitur aliquis, postea fit Decurio, deinde Centurio, ac posteaquam Ordines

Plures Ordines.

duxit aliquamdiu, tandem si judicetur idoneus, Dux, & Imperator Militum designatur; ita fieri oportet in Ecclesia, ut ne quis ad summum gradum subito prosiliat, verum in Minoribus aliquandiu se exerceat, ac pedetentim ad Majores progrediatur. Quod ita factum esse a *S. Cornelio* narrat *S. Cyprianus* Ep. 52. „ „ Nam, quod Cornelium chariſſimum noſtrum Deo, & Chriſto, & Eccleſiæ ejus, item Conſacerdotibus cunctis laudabili prædicatione commendat; non iſte ad Epiſcopatum ſubito provenit; ſed per omnia eccleſiaſtica Officia promotus, & in divinis Adminiſtrationibus Dominum ſæpe promeritus, ad Sacerdotii ſublime faſtigium cunctis Religionis gradibus aſcendit „ „. Ita quoque de Nepotiano *S. Hieronymus* Ep. 3. *Fit Clericus, & per ſolitos gradus Presbyter ordinatur.* Hos omnes Ordines præcedit Tonſura Clericalis, quæ & prima Tonſura dicitur, quæ eſt *Cæremonia ſacra, qua homines in Clerum alleguntur.*

ARTICULUS III.

De prima Tonſura.

Prima Tonſura non eſt Ordo.

Primam Tonſuram non eſſe Ordinem, certum eſt, cum a Chriſto non ſit inſtituta, ſed ab Eccleſia, nec ſpiritualem poteſtatem conferat ad Miniſterium aliquod eccleſiaſticum obeundum, eamque Tridentina Synodus ab Ordinibus diſerte diſtinguat; ſed eſt præparatio ad Ordines accipiendos; meraque ad cultum divinum deputatio. Ut enim homines ad Baptiſmum Exorciſmis, ad Matrimonium Sponſalibus præparari ſolent, ita cum tonſo capillo Deo dedicantur, tanquam aditus ad Ordinis Sacramentum illis aperitur (inquit Concilii Trid. Catechiſmus.)

Clerici nomen, quid ſignificet?

Tunc primum eis imponitur *Clerici* nomen, quod tamen ſacris omnibus hominibus commune eſt, etiam Presbyteris, & Epiſcopis, ad quos imprimis pertinent Canones Clericis præſcripti, & in quibus hujus vocabuli ratio conſpici debet. Dicuntur enim *Clerici* græcè *apo pauklyru*, id eſt, a ſorte, ad ſignificandum, quod

Cleri-

Clericus Dominum ſortem ſuam, & hæreditatem habere debeat, veluti qui in Hebræorum populo divino cultui mancipati erant; quibus vetuit Dominus aliquam agrorum partem in terra promiſſionis diſtribui, cum ait num. 18. *Ego pars, & hæreditas veſtra.* Quod quamvis omnibus Fidelibus commune ſit, præcipua tamen ratione eis conveniat, neceſſe eſt, qui ſe Dei miniſterio conſecrarunt. Unde *S. Hieronymus* Epiſt. 2. ad *Nepotianum* ſcribit: „ „ Clericus, qui Chriſti ſervit Eccleſiæ, interpretetur primo vocabulum ſuum, & nominis definitione prolata, nitatur eſſe, quod dicitur. Si enim *klaros* græce, ſors latine appellatur; propterea vocantur Clerici, vel quia de ſorte ſunt Domini; vel quia ipſe Dominus ſors, id eſt, pars Clericorum eſt. Qui autem, vel ipſe pars Domini eſt, vel Dominum partem habet; talem ſe exhibere debet, ut & ipſe poſſideat Dominum, & poſſideatur a Domino. Qui Dominum poſſidet, & cum Propheta dicit: *Pars mea Dominus*, nihil extra Dominum habere poteſt. Quod ſi quidem aliud habuerit præter Dominum, pars ejus non erit Dominus; v. gr. ſi aurum, ſi argentum, ſi poſſeſſiones, ſi variam ſupellectilem, cum iſtis partibus Dominus pars ejus fieri non dignabitur. Si autem ego pars Domini ſum, & funiculus hæreditatis ejus; nec accipio partem inter cæteras Tribus, ſed quaſi Levita, & Sacerdos vivo de Decimis; & Altari ſerviens, altaris oblatione ſuſtentor, habens victum, & veſtitum, his contentus ero, & nudam Crucem nudus ſequar „ „. Quæ tamen non eo dicta ſunt animo a ſanctiſſimo Doctore, ut Clericis interdictam bonorum temporalium poſſeſſionem vellet, qui *Joan. Wicleff* error fuit in Concilio Conſtantienſi damnatus; ſed ut ſignificaret, Clericos congerendis opibus ſtudere non debere, ſed iis, quæ ad victum, & veſtitum ſufficiant, contentos, negotiis, & curis ſæcularibus ſe non implicare. „ „ Obſecro itaque te (*inquit*) & repetens iterum iterumque monebo, ne officium Clericatus genus antiquæ militiæ putes, id eſt, ne Pſalm. 15.

lucra sæculi in Christi quæras militia, ne plus habeas quam quando Clericus esse cœpisti; & dicatur tibi: *Clericorum non proderunt eis.* Nonnulli enim sunt ditiores Monachi, quam fuerant sæculares; & Clerici, qui possideant opes sub Christo paupere, quas sub locuplete, & fallace diabolo non habuerant; ut suspiret eos Ecclesia divites, quos mundus tenuit ante mendicos „ „. Refertur Can. *Clericus*, causa 12. qu. 2.

Quid significet hæc Professio Clericorum Dominus pars hæreditatis meæ?

Quod igitur profitentur Clerici, cum Tonsura initiantur: *Dominus pars hæreditatis meæ*, non significat ipsos omni hæreditati, & possessioni terrenæ renuntiare, sed spem suam, & amorem in Deo defigere, cujus se ministerio mancipant. Id enim pars alicujus vocatur more Scripturæ sacræ, quod habet pro re præstantissima, quam præcipue amat, & in qua spem suam constituit. Quo sensu de voluptatibus hujus sæculi dicunt impii, Sap. 2. *Hæc est pars, & sors nostra.* Et David. Psalm. 118. *Portio mea, Domine, dixi custodire legem tuam.* Hoc sensu partem si Clericus habuerit extra Dominum, pars ejus non erit Dominus, quia *Nemo potest duobus Dominis servire.* Cæterum sicut David, qui dixit: *Dominus pars hæreditatis meæ*, divitias habuit, & sancti Patriarchæ, qui hoc dicere potuerunt, bona terrena possederunt; ita Clericus, & vere dicere potest: *Dominus pars hæreditatis meæ*, & nihilominus bona temporalia possidere, modo cor iis non apponat, ut idem Psalmista monet; imo, ut superius dictum est, omnibus Christianis commune est, ut Dominum partem habeant, sed excellentiori modo id competit iis, qui sacris Officiis, & ministeriis consecrati sunt; non quo facultates suas relinquere teneantur, sed animum a terrenis rebus; & curis avocare, secundum illud Apostoli 2. ad Tim. 2. *Nemo militans Deo, implicat se negotiis sæcularibus.* Hinc *S. Thomas* in 4. *Sent.* dist. 24. qu. 1. art. 1. qu. 3. ait: „ „ Clerici in hoc, quod Coronam accipiunt, non renuntiant patrimonio, neque aliis rebus temporalibus; quia terrenorum pos-

Matth. 6.

Psalm. 15.

sessio

sessio non contrariatur divino cultui, ad quem Clerici deputantur, sed nimia eorum solicitudo „„; quia, ut ait *S. Gregorius*, lib. 10. *Moral.* cap. 17. *Non census in crimine; sed affectus.* Imo ipsi Levitæ veteris Legis, qui Clericorum nostrorum typi fuerunt, bona temporalia possederunt. Ipsis enim attributæ sunt civitates ad habitandum, & suburbana ad alendum pecora, *Num.* 35. Quin & *Barnabas* Levita agnum habuisse legitur, cujus pretium ad pedes Apostolorum deposuit *Act.* 4. Jeremias Sacerdos a patruele suo agrum emit. *Jerem.* 22. & cap. 12. hæreditatem se habuisse testatur. Judas Machabæus, & fratres ejus Levitæ, cum Principes populi, bellique Duces essent, bona temporalia procul dubio habuerunt. Quod ergo Lex *Num.* 18. Levitas quidquam possidere vetat id de parte terræ promissæ distincta, ac separata a reliquis Tribubus intelligendum est, ut Scriptura manifeste significat. Voluit enim Dominus Levitas omnibus Tribubus permixtos habitare, ut eorum opera, ac ministerio verus Dei cultus apud omnes conservaretur. Se autem esse partem, & hæreditatem Levitarum Dominus ait, quod oblationes omnes Deo factæ in eorum usum cederent.

Quod autem Levitæ Clericorum nostrorum typi fuerint, egregie confirmat *S. Cyprianus* Epist. 66. „„ Scriptum est (*inquit*) *Nemo militans Deo obligat se negotiis sæcularibus, ut possit placere ei, cui se probavit.* Quod cum de omnibus dictum sit, quanto magis Clerici molestiis, & laqueis sæcularibus obligari non debent, qui spiritualibus occupati, ab Ecclesia recedere, & ad terrenos, & sæculares actus vacare non possunt. Cujus Ordinationis, & Religionis formam Levitæ prius in Lege tenuerunt, ut cum terram dividerent, & possessiones partirentur undecim Tribus, levitica Tribus, quæ templo, & altari, & ministeriis divinis vacabat, nihil de illa divisionis portione perciperet, sed aliis terram colentibus, illa tantum Deum coleret; & ad victum, atque alimentum ab undecim Tribubus de fructibus, qui nascebantur,

Leviræ, Clericorum typi. 2. Timoth. 2. 4.

bantur, decimas perciperet. Quod totum fiebat de auctoritate, & disposítione divina; ut, qui operationibus divinis insistebant, in nulla re avocarentur, nec cogitare, aut agere sæcularia cogerentur. Quæ nunc ratio, & forma in clero tenetur, ut, qui in Ecclesia Domini Ordinatione clericali promoventur, in nullo ab administratione divina avocentur, nec molestiis, & negotiis sæcularibus alligentur, sed in honore sportulantium fratrum, tanquam decimas ex fructibus accipientes, ab Altari, & Sacrificio non recedant, sed die, ac nocte cœlestibus rebus, & spiritalibus inserviant „„.

Sportulantes Clerici dicti a sportulis, seu canistellis, in quibus ipsis honoraria, seu portiones ex Ecclesiæ bonis, & oblationibus ad victum conferebantur.

Quid significet ritus tonsionis capillorum?

Iis porro, qui clericali Militiæ adscribuntur, tondentur Capilli ad Coronæ speciem; quem ritum *S. Petrum* induxisse ferunt in memoriam coronæ, quæ ex spinis contexta, Salvatoris nostri capiti fuit imposita; ut, quod impii ad Christi ignominiam, & cruciatum excogitarunt, eo Apostoli ad decus, & gloriam uterentur; simulque significarent, curandum esse a Ministris Ecclesiæ, ut omnibus in rebus Christi Domini nostri speciem, & figuram gerant. Hanc rationem Trid. Concilii Catechismus affert, quam tradidit *Geolfridus* Abbas apud *Bedam* venerabilem, lib. 5. *Historiæ ecclesiasticæ gentis Anglorum*, cap. 12. „„ Neque vero (*inquit*) ob id tantum in Coronam attondemur, quod Petrus ita attonsus est; sed quia Petrus in memoriam Dominicæ Passionis ita attonsus est, idcirco & nos qui per eamdem Passionem salvari desideramus, ipsius Passionis signum cum illo in vertice, summa videlicet corporis nostri parte, gestamus „„. Ad exemplum S. Petri Coronam clericalem pariter referunt Ordo romanus, *Amalarius* lib. 4. *De ecclesiasticis officiis*, cap. 39. *S. Greg. Turonensis* lib. *De Gloria Martyrum*, cap. 8. & *Rabanus Maurus* lib. 1. *De Institutione Clericorum*, cap 3.

Nonnulli afferunt, hac nota regiam Dignitatem declarari, quæ iis maxime, qui in sortem Domini vocati sunt, videtur convenire. Quod enim Apostolorum Princeps fideli populo tribuit; *Vos estis ge-*

1. Petri 2.

nus

nus electum, *regale Sacerdotium*, *gens ſancta*, peculiari quadam, & magis propria ratione, ad eccleſiaſticos Miniſtros pertinet (inquit Concilii Trid. Catechiſmus.) Quæ ratio ex *S. Iſidoro* Hiſpalenſi lib. 2. *De Eccleſiaſticis officiis*, cap. 4. ſumpta eſt.

Alii vitæ perfectionis profeſſionem a Clericis ſuſceptam circuli figura, quæ omnium perfectiſſima eſt, ſignificari exiſtimant, ut Auctor libri, qui *Gemma animæ* inſcribitur, 195. „ Rotunditas, quæ remanet, „ crinium (*inquit*) eſt ornatus virtutum. Capilli vero „ in circulum coæquantur, quia omnes virtutes in „ charitatis concordia conſummantur „. Coronæ clericalis figuram expreſſit Conc. Toletanum 4. Can. 40. „ Omnes Clerici (*inquit*) detonſo ſuperius capite „ toto, inferius ſolam circuli coronam relinquant „.

Alii denique hoc ſigno externarum rerum contemptum, animique ab omnibus curis vacuitatem declarari putant; quod capilli ſupervacaneum quidam in corpore tondeantur. Vitiorum refectionem hoc ritu ſignificari docet *S. Iſidorus* lib. 2. *De Officiis Eccleſiaſticis*, cap. 4. Quia ſcilicet Deo ſacri homines præ cæteris omnibus „„ Exſpoliare *debent* veterem hominem cum actibus ſuis, & induere Novum, qui in agnitionem Dei renovatur. Quam renovationem in mente oportet fieri; ſed in capite demonſtrari, ubi mens noſcitur habitare „„. Hinc pro Clericis initiandis Deum orat Epiſcopus: „„ Ut donet eis Spiritum ſanctum, qui habitum Religionis in eis perpetuum conſervet, & a mundi impedimento, ac ſæculari deſiderio corda eorum defendat; ut ſicut immutantur in vultibus, ita dextera manus ejus virtutis tribuat eis incrementa, & ab omni cæcitate ſpirituali, & humana oculos eorum aperiat, & lumen eis æternæ gratiæ concedat „„; ut legitur in Pontificali romano. Præclare omnino *S. Thomas*, in 4. *Sentent.* diſt. 24. qu. 3. art. 1. qu. 2. „„ Eis (*inquit*) qui ad divina Miniſteria applicantur, competit Tonſura, & raſura in modum Coronæ, & ratione figuræ, quia Corona eſt ſignum Regni; & ratione per-

perfectionis, cum sit circularis; illi autem, qui divinis Ministeriis applicantur, adipiscuntur regiam dignitatem, & perfecti in virtute esse debent. Competit etiam eis ratione subtractionis capillorum; & ex parte superiori per rasuram, ne mens eorum temporalibus occupationibus a contemplatione divinorum retardetur; & ex parte inferiori per Tonsuram, ne eorum sensus temporalibus obvolvantur „ „.

Quid significet superpelliceum?

Superpelliceo ab Episcopo induuntur, quo significatur ipsos sæcularis habitus servitute, & ignominia deposita, & *Sacræ Religionis habitu* assumpto, novos homines esse oportere. Morum enim candorem vitæque integritatem designat. Unde ipsos induens Episcopus ita precatur. *Induat te Dominus novum hominem, qui secundum Deum creatus est in justitia, & sanctitate veritatis.*

Clericorum jura, & Privilegia.

Qui Tonsura Clericali initiantur, Beneficiorum Ecclesiasticorum capaces redduntur, de foro Ecclesiæ fiunt, & Clericalia Privilegia sortiuntur, ut declarat Episcopus sic ipsos allocutus ex romani Pontificalis præscripto „ Hodie de foro Ecclesiæ facti estis, & Privilegia clericalia sortiti estis. Cavete igitur, ne „ propter culpas vestras illa perdatis „. Non tamen privilegio fori eo ipso gaudent, quo prima Tonsura sunt initiati, nisi positis conditionibus a Concilio Trident. præscriptis sess. 23. *De Reformat.* cap. 6. de quibus inferius dicemus.

ARTICULUS IV.

De minoribus Ordinibus.

Minorum Ordinum antiquitas.

Minores Ordines antiquissimos esse, & ab Apostolis, vel immediatis eorum Successoribus institutos, scholastici Doctores asserunt, quamvis nec in Actis, nec in Scriptis Patrum primi, & secundi sæculi inveniatur. Sed cum *S. Thoma* in 4. *Sentent.*, dist. 24. qu. 1. art. 1. qu. 2 ad 2. dicendum, quod „ „ In primitiva Ecclesia propter paucitatem ministrorum om-

omnia inferiora ministeria diaconis committebantur; ut patet per Dionysium 3. cap. ecclesiasticæ Hierarchiæ, ubi dicit: *Ministrorum alii stant ad portas templi clausas; alii aliud quid proprii Ordinis operantur; alii cum Sacerdotibus proponunt super altare sacrum Panem, & benedictionis Calicem.* Nihilominus erant omnes prædictæ potestates, sed implicite in una Diaconi potestate. Sed postea ampliatus est cultus divinus, & Ecclesia, quod implicite habebat in uno Ordine, explicite tradidit in diversis „„. Contingit nimirum Ecclesiæ, quod hominibus solet, qui dum tenue patrimonium habent, uno servo contenti sunt, qui solus omnia administrat; si vero redditus augeantur, servorum etiam augetur numerus; eoque magis crescit familia, quo illi locupletiores, & spectabiliores evadunt. Sic evangelicæ prædicationis initio parvula adhuc, & latitans Ecclesia paucis indiguit ecclesiasticarum functionum ministris. Crescente autem Fidelium multitudine, & auctis Ecclesiæ facultatibus ex Christianorum oblationibus, cum soli Diaconi omnia exequi ministeria non possent, diversa Officia diversis personis distributa sunt; ex quo factum est, ut splendidiori, & augustiori apparatu ecclesiasticarum functionum cæremoniæ peragerentur.

Ex minoribus Ordinibus unum tantum agnoscunt Græci, nempe Lectoratum, cæteros prætermittunt, ut ex eorum Euchologiis ante annos octingentos scriptis, ex antiquis Canonibus Conciliorum in Oriente celebratorum, & exemplis, ac monumentis græcorum Antistitum sanctitate illustrium probat *Joan. Morinus* p. 3. *De sacris Ordinationibus*, Exercitatione 14. cui subscribit Cardinalis *Bona* lib. 1. *Rerum Liturgicarum*, c. 25. Ministeria tamen quatuor minoribus Ordinibus a latinis tributa in Liturgiis, & Officiis suis ecclesiasticis non omiserunt græci, sed ea partim Lectori, partim Subdiacono diviserunt. In Ecclesia autem occidentali distinctam singulorum Ordinum minorum mentionem faciunt certissima sacræ Antiquitatis monumenta. Nam *S. Cornelius* Pontifex,

&

& Martyr Epistola ad *Fabium Antiochenum*, apud *Eusebium* lib. 6 Historiæ ecclesiasticæ, c. 43. scribit suo tempore in Ecclesia romana fuisse „ „ Presbyteros quatuor, & quadraginta septem Diaconos, totidemque Subdiaconos; Acolythos duo, & quadraginta, Exorcistas, & Lectores, cum Ostiariis, quinquaginta duos „ „ Lectorum meminit *Tertullianus* lib. *de Præscriptionibus hæreticorum*, cap. 41. „ „ Ordinationes (*inquit*) eorum temerariæ leves, inconstantes. . . Itaque alius hodie Episcopus, cras alius; hodie Diaconus, qui cras Lector; hodie Presbyter, qui cras Laicus „ „.

Sed & *S. Cyprianus* Epist. 24. Lectorem *Saturum* se constituisse, significat; Epist. 23. *Aurelium* Confessorem lectorem a se ordinatum denuntiat „ „ Merebatur (*inquit*) talis clericæ Ordinationis ulteriores gradus, & incrementa majora, non de annis suis, sed de meritis æstimandus; sed interim placuit, ut ab officio lectionis incipiat. Quia & nihil magis congruit voci, quæ Dominum glorioſa prædicatione confessa est; quam celebrandis divinis lectionibus personare; post verba sublimia, quæ Christi Martyrium prolocuta sunt, Evangelium Christi legere, unde Martyres fiunt; ad pulpitum, post catastam venire. Hunc igitur a me, & collegis, qui præsentes aderant, ordinatum sciatis, quod vos scio, & libenter amplecti, & optare tales in Ecclesia nostra quamplurimos ordinari „ „. Et Epist. 34. *Celerimum* confessione nominis Christi insignem, pariter ordinatum Lectorem scribit. „ „ Nihil est (*inquit*) in quo magis Confessor fratribus prosit, quam, ut dum evangelica lectio de ore ejus auditur, Lectoris fidem quisquis audierit, imitetur. Jungendus in lectione Aurelio fuerat, cum quo & divini honoris Societate conjunctus est. Hos lectores interim constitutos sciatis, quia oportebat lucernam super candelabrum poni, unde omnibus luceat, & glorioſos vultus in loco altiore constitui, ubi ab omni populo circumstante conspecti incitamentum gloriæ videntibus præbeant.

Cæ-

Cæterum Presbyterii honorem designasse nos illis jam sciatis „„. Acolythorum etiam meminit Epist. 42. 55. & 78. Exorcistas nominat Epist. 76. „ Quod ho„ die (*inquit*) etiam geritur, ut per Exorcistas voce „ humana, & potestate divina flagelletur, & uratur, „ & torqueatur diabolus „. Apostolicarum Constitutionum Actor lib. 8. cap. 26. Exorcistam ordinari negat, quia „ Hoc munus spontaneæ Dei erga ho„ mines benevolentiæ, & gratiæ est, qui illud nimi„ rum gratis dat, cui vult „. Hanc gratiam initio Ecclesiæ Fidelibus plerisque datam certum est, ut in Christi nomine dæmonia ejicerent; sed hac potestate subtracta Ecclesia S. Spiritus afflatu Ordinem constituit, qui dæmonia ex officio expelleret. Concilium Antiochenum can. 10. facultatem tribuit Chorepiscopis ordinandi Exorcistas. *S. Martinum* a *S. Hilario* Pictavienſi Episcopo Exorcistam ordinatum testatur *Severus Sulpitius* in ejus vita. „ „ Intellexit vir altioris ingenii (*inquit*) hoc eum modo posse constringi, si id ei officii imponeret, in quo quidem locus injuriæ videretur. Itaque Exorcistam eum esse præcepit Quam ille Ordinationem, ne despexisse tanquam humiliorem videretur, non repudiavit „„. Ordo igitur Exorcistarum ab aliis distinctus erat, & inter humiliores, seu minores habebatur, adeo ut injuriæ tribui posse videretur, quod vir aliquis eximius ad illum assumeretur. *S. Felicem* primo Lectorem, deinde Exorcistam ordinatum fuisse, testatur *S. Paulinus* in ejus Natali 4.

primis Lector servivit in annis;
Inde gradum cœpit, cui minus voce fideli
adjurare malos, & sacris pellere verbis.

Lectores, Acolytos, Exorcistas recensent *Siricius* Ep. 1. & *Zosimus* Epist. 1. Ostiarios, Lectores, Acolythos *Gelasius I.* Epist. 6. Singulos illos Ordines recenset Conc. Carthag. 4. cui *S. Aug.* interfuit; Psalmistas, seu Cantores addit; sed merum Officium, non Ordinem esse perspicue significat; unde cum cæterorum Ordinum Ministrum esse doceat Episcopum,

Cantores a Presbytero constitui posse declarat can. 10. „„ Psalmista (*inquit*) id est, Cantor, potest absque scientia Episcopi, sola jussione Presbyteri, Officium suscipere cantandi, dicente sibi Presbytero: Vide, ut quod ore cantas, corde credas; & quod corde credis, operibus comprobes „„. Hinc *S. Thomas* in 4. *Sentent.* dist. 24. q. 1. art. 1. qu. 2. ad 5. „„ Psalmistatus (*inquit*) non est Ordo, sed officium Ordini annexum; quia enim Psalmi cum cantu pronuntiantur, ideo dicitur Psalmista, & Cantor; Cantor autem non est nomen Ordinis specialis; tum quia cantare pertinet ad totum chorum; tum quia non habet aliquam specialem relationem ad Eucharistiæ Sacramentum; tum quia officium quoddam est, quod inter Ordines largo modo acceptos quandoque computatur „„. Minores autem Ordines ad Eucharistiam referuntur. Acolythi enim materiam Sacramenti in urceolis præparant, & subministrant. Ostiarii infideles, & excommunicatos arcent a conspectu Sacrorum, & a cætu Fidelium. Lectores Fidei rudimentis Catechumenos instruunt, ipsosque Fideles erudiunt Scripturarum publica lectione. Exorcistæ Energumenos a Dæmonis potestate liberant, ut Eucharistiæ participes esse possint.

Utrum Minores Ordines sint Sacramenta, quæstio est fidei summam non spectans.

Minores Ordines vere, & proprie Sacramenta esse, negant plerique magni nominis Theologi, *Durandus*, Cardinalis *Cajetanus*, *Dominicus Soto*, *Navarrus*, *Vasquezius*, *Morinus*, & alii; quod ab Ecclesia, non a Christo instituti sint; quod eorum officia possint a Laicis exerceri; quod possint a Cardinalibus, Abbatibusque, & aliis simplicibus Presbyteris, ex Sedis apostolicæ privilegio conferri; quod Sacerdotium duntaxat, & Diaconatum Ecclesia primitiva habuerit; Subdiaconatus, & cæteri Ordines postea introducti sint, & adjecti crescente credentium multitudine, ut diversis verbis afferunt *Amalarius* lib. 2. *De Officiis Ecclesiasticis*, cap. 6. *Urbanus II.* in Conc. Beneventano, ut apud *Ivonem* 3. p. Decreti, cap. 72. citatur; *Petrus Blesensis* Serm. 47. *Hugo a S. Victore* lib.

lib. 2. *De Sacramentis Fidei*, p. 3. cap. 13. *Gratianus* dist. 21. & Magister Sententiarum lib. 4. dist. 24. litera 1. Secundo, quod tres ex quatuor istis Minoribus Ordinibus, ab annis saltem mille, & ducentis in Ecclesia Orientali prorsus desierint, si modo in ea aliquando fuerunt; tantoque tempore Latinorum nemo Græcos redarguerit, aut mutilum esse apud eos Sacerdotium conquestus sit. Tertio, quod istorum Ordinum subordinatio in altiorum Ordinum collatione sæpe non fuerit observata, & sæpe fuerint ordinati Subdiaconi, Diaconi, & Præsbyteri, qui minoribus Ordinibus initiati non fuerant. Sic *S. Ephiphanium* a *Pappo* Citriæ Episcopo Diaconum ordinatum, quamquam repugnantem, deinde Presbyterum, & Episcopum, cum ad Ordinationem effugiendam sæpius clamaret, & affirmaret se non esse Clericum, refert vitæ ejus Auctor *Surius*, die 12. Maji. Sic *S. Epiphanius* ipse *Paulinianum* Monachum *S. Hieronymi* fratrem, comprehensum; ore compresso, ne repugnaret, omissis cæteris Ordinibus, Diaconum, & Presbyterum ordinavit, ut testatur *S. Epiphanius* apud *S. Hieron.* Ep. 40. Sic *Macedonius* Eremita a *Flaviano* Antiocheno Episcopo; sic alius Eremita *Acepsemas* nomine; sic *Salamanus*, qui toto vitæ tempore abditi fuerant, & cellis subterraneis inclusi, non solum Minoribus Ordinibus, sed etiam Subdiaconatu prætermisso, ab Episcopis Sacerdotes ordinati sunt, ut colligitur ex *Theodereto* Historiæ religiosæ cap. 13. 15. & 19. Ita *S. Marcellus* primum Lector, deinde Subdiaconus ordinatus est ut refert *Fortunatus* apud *Surium* die 1. Novembris. Sic *S. Bernardus* Episcopus Hildesmensis primum Exorcista ab *Osdago* Episcopo ordinatus est, deinde Subdiaconus ab *Willegiso* Archiepiscopo, ut in illius vita a Præceptore conscripta, apud *Surium* 20 Novembris legimus. *Siricius* Pontifex maximus Ep. 1. Ordines enumerans, in quorum functionibus mereri debebant Clerici antequam ad Episcopatum pervenirent, Ostiariatum prætermittit.

Ordines tamen minores esse Sacramenta, *S. Tho-*

mas; aliique censent. Tridentina vero Synodus hanc de, inferioribus Ordinibus controversiam seponens, ea quæ contra hæreticos universa constanter propugnat Ecclesia, definire tantum voluit, nullo præjudicio adversus catholicorum Theologorum opiniones edito scilicet: „ Præter Sacerdotium esse in Ec-
Sess. 23. Can. 2. „clesia catholica alios Ordines majores, & minores,
„ per quos, velut per gradus quosdam, in Sacerdo-
Unum est Ordinis Sacramentum. „tium tendatur „. Ut ut est, unum tantum est Ordinis Sacramentum, quamvis sint Ordines diversi, quia omnes ad Sacerdotium referuntur, atque ita omnes in illo quodammodo unum sunt, sicut uno Ordinationis nomine comprehenduntur, ut docet *S. Thomas* in 4. *Sentent.*, dist. 24. qu. 2. art. 1. qu. 1. ad 2. „„ Tota (*inquit*) plenitudo hujus Sacramenti est in uno Ordine, scilicet Sacerdotio; sed in aliis est quædam participatio Ordinis... Et ideo omnes Ordines sunt unum Sacramentum „ „.

Atque hæc de minoribus Ordinibus generatim sufficiunt; nunc de singulis speciatim agendum.

§. I. *De Ostiariis.*

Ostiariatus materia, & forma. Inter minores Ordines primus occurrit *Ostiarii* Ordo, cujus materia est clavium Ecclesiæ traditio ab Episcopo; forma: „ Sic age, quasi redditurus Deo „ rationem pro his rebus, quæ his clavibus reclu-„ duntur „. Id constat ex Conc. Carthag. 4. can. 9. & ex Pontificali romano.

Ostiariorum Munus. Ostiariorum munus est Templi claves, & januam custodire, & aditu Templi arcere Infideles, & excommunicatos. Ad sanctum etiam Missæ Sacrificium adsistebant, curaturi, ne quis propius, quam par esset, ad sacram Aram accederet, & Sacerdotem rem divinam facientem interpellaret. Illis etiam convenit ex officio pulsare campanas. Unde benedictionem divinam illis adprecatur Episcopus: „ Ut sit eis fide-„ lissima cura in domo Dei diebus, ac noctibus, ad „ distinctionem certarum horarum, ad invocandum „ nomen Domini „. Quamobrem Archidiaconus du-

cit

cit illos ad ostium Ecclesiæ, illudque aperire, & claudere jubet; funemque companæ tradit; quæ potestatis jam collatæ executio est, & veluti missio in possessionem ejus. Ipsis etiam olim incumbebat librum aperire Episcopo verbum Dei prædicanti. Studere autem debent, ut sicut materialibus clavibus Ecclesiam visibilem aperiunt, & claudunt, sic & invisibilem Dei domum, corda scilicet Fidelium, dictis & exemplis suis claudant diabolo, & aperiant Deo; ut divina verba, quæ audierint, corde retineant, & opere compleant; quemadmodum ipsos admonet Episcopus ex Pontificalis romani præscripto.

Magnam autem in veteri Ecclesia fuisse hujus Ordinis dignitatem, ex eo intelligitur, quod his temporibus servari animadvertimus. Nam Thesaurarii officium, qui erat idem, ac Sacrarii Custos, quod ad Ostiarios pertinebat, inter honestiores Ecclesiæ functiones etiam nunc habetur; (inquit Concilii Trid. Catechismus.)

§. II. *De Lectoribus.*

Secundus inter minores Ordines est *Lectoris* gradus, cujus Munus est, veteris, & novi Testamenti libros clara voce, & distincte in Ecclesia recitare, præsertim vero eos, qui inter nocturnam Psalmodiam legi solent. In veteri Ecclesia, Episcopo Concionem ad populum habituro, stabat Lector toti populo conspicuus, & de pulpito legebat præscriptam ab Episcopo Evangelii, vel alterius Libri sacri partem, quam deinde Episcopus christianæ plebi exponebat. Id ex antiquorum Patrum sermonibus compertum est, maxime ex Enar. *S. Augustin.* in Ps. 138. Lectorum quoque partes erant prima christianæ Religionis rudimenta Fidelibus tradere, ut observat Conc. Trid. Catechismus: *Panem* etiam, *& omnes fructus novos benedicere*, ut admonet Episcopus ipsorum officia explicans ex romani Pontificalis præscripto; quamquam hodie benedictiones illæ a solis Presbyteris peragantur. Lectores longe pluribus officiis funguntur apud

Munus Lectoris.

græcos. Epistolam in Missa legunt, quod solis Subdiaconis in Ecclesia latina convenit: Lampades, & cereos Altaris accendunt, Oblationes, vinum, & aquam Sacerdoti celebranti deferunt; præeunt sanctis Mysteriis luminaria ferentes in magno (ut vocant) introitu; singula quæque in Ecclesia præparant, ornantque, &c.

Lectoratus materia, & forma, in Ecclesia latina.

Hujus Ordinis materia est traditio sacri Codicis, de quo lecturus est. Forma: „ Accipe, & esto verbi „ Dei relator, habiturus, si fideliter, & utiliter im- „ pleveris officium, partem cum iis, qui verbum Dei „ bene administraverunt ab initio „. Orat Episcopus, ut Deus super eos benedictionem suam clementer effundat. „ Quatenus distincte legant, quæ in Ec- „ clesia Dei legenda sunt, & eadem operibus im- „ pleant „. Ipsos admonet, ut verba Dei, videlicet lectiones sacras distincte, & aperte ad intelligentiam, & ædificationem Fidelium, absque omni mendacio falsitatis proferant; ut quod ore legunt, corde credant, atque opere compleant, quatenus auditores suos verbo pariter, & exemplo docere possint. Ideo, dum legunt, in alto Ecclesiæ loco stare, ut ab omnibus videantur, figurantes positione corporis, se in alto virtutum gradu debere conversari; „ Quatenus „ cunctis, a quibus audiuntur, & videntur, cœlestis „ vitæ formam præbeant „.

In Ecclesia græca.

In Ecclesia græca, Ordinationis hujus materia manus impositio, forma oratio manuum impositioni adjuncta, ut constat ex Euchologiis, & ex Concilii 7. Generalis can. 14. cujus hæc sunt verba: „ „ Lectoris autem manus impositionem licet in proprio Monasterio, etiam soli unicuique Abbati facere... Similiter & ex antiqua consuetudine Chorepiscopos, Episcopi permissu oportet per manuum impositionem Lectores creare „ „. Constitutiones Apostolis adscriptæ lib. 8. nihil aliud referunt in Ordinatione Lectoris, quam orationem, & manus impositionem.

Pueros olim, modo legendi periti essent, in hoc gradu constitutos, discimus ex *S. Augusti.*, lib. 1. *De Consensu Evangelistarum*, cap. 10. §.

§. III. *De Exorciſtis.*

Tertius eſt Ordo *Exorciſtarum*, quibus poteſtas data eſt nomen Domini invocandi in eos, qui ab immundis ſpiritibus obſidentur. Hujus Ordinis materia eſt traditio libri Exorciſmorum, ut docent Conc. Carthag. 4. can. 7. Ordo romanus, Ritualia edita a *Morino* p. 2. *De ſacris Ordinationibus*, Miſſale Francorum editum a Domino *Jo. Mabillonio*, *S. Iſidorus Hiſpalenſis* lib. 2. *De Divinis Officiis*, cap. 13. *Rabanus* lib. 1. *De inſtitutione Clericorum*, cap. 10. *Amalarius* lib. 2. cap. 9. *Ivo Carnotenſis* Sermone *De Excellentia Ordinum.* Hanc materiam dilatat Pontificale romanum; permittit enim loco libri Exorciſmorum, Pontificalis, aut Miſſalis traditionem. Forma ſunt verba in Conc. Carthaginenſi 4. in Ritualibus antiquis, & romano Pontificali præſcripta: „ Accipe, & commenda memoriæ, & habe poteſtatem „ imponendi manus ſuper Energumenos, ſive baptizatos, ſive Catechumenos „. Enuntiatur in plurali, *Accipite*, &c. cum plures ſimul traditum librum dextera manu tangunt. Deum orat Epiſcopus, ut Famulos ſuos in Officium Exorciſtarum benedicere dignetur; ut per impoſitionem manuum, & oris officium poteſtatem, & imperium habeant Spiritus immundos coercendi. „ Ut probabiles ſint medici Eccleſiæ „ gratia curationum, virtuteque cœleſti confirmati „.

Ordinis Exorciſtarum materia & forma.

Exorciſtarum officium eſt ejicere dæmones, & dicere populo: *Ut qui non communicat, det locum*; & aquam in Miniſterio fundere, ut habet Pontificale romanum.

Exorciſtarum officium.

Qua vitæ ſanctimonia, & morum integritate debeant effulgere, ipſos admonet Epiſcopus his verbis, ex ejuſdem Pontificalis præſcripto: „„ Studete, ut ſicut a corporibus aliorum dæmones expellitis, ita a mentibus veſtris omnem immunditiam, & nequitiam ejiciatis; ne illis ſuccumbatis, quos ab aliis, veſtro Miniſterio, effugatis. Diſcite per officium veſtrum vitiis imperare; ne in moribus veſtris

Morum integritas.

aliquid ſui juris Inimicus valeat vindicare. Tunc etenim recte in aliis dæmonibus imperabitis, cum prius in vobis multimodam eorum nequitiam ſuperabitis.

Quod ſpectat hujus Ordinis functionem, optimum interdum foret illam non a Presbyteris, multo minus ab Epiſcopis, ſed ab Exorciſtis junioribus, ab adoleſcentulis ad hoc officium ordinatis, ac morum innocentia, & ſapientia huic Miniſterio paribus, exerceri ad majorem dæmonis contemptum, & confuſionem. Hæc autem in Exorciſmi Energumenorum obſervanda præſcribunt Concilia Mediolanenſia primum, & quartum ſub *S. Carolo Borromæo.*

Regulæ in Exorciſmis Energumenorum obſervandæ.

Ne Sacerdoti, Clericove ſæculari, aut regulari Exorciſmum Energumenis adhibere liceat, niſi exorcizandi facultatem ſcripto exaratam ab Epiſcopo impetraverit.

Antequam vero exorcizare aliquem aggrediatur, perquirat imprimis Energumeni, Energumenæve vitam, ac mores; tum exploret actiones, & Medicum, ſi expedire cenſuerit, conſulat; ut videat, an quod ab illo, illave agitur, fiat morbi alicujus, aut bilis atræ vi; an vero ſponte, ac diſſimulanter; an denique dæmonis, malorumque Spirituum vexatione. Signa porro certiora poſſeſſionis alicujus a dæmone ſunt, ſi quis incognitis linguis loquatur, longa præſertim oratione, quam imparatam eſſe conſtet; ſi literarum, atque artium ignarus, legit, ſcribit, pingit, aut de rebus altiſſimis diſſerit, qui nunquam ſtuduit; ſi res prorſus arcanas, & occultas aperiat, quæ in locis remotis fiunt; præſertim vero, quæ phantaſiæ cujuſquam obverſantur, aut cogitationes cordis ad ipſum directas, nulloque externo ſigno manifeſtat; ſi quid agat vires hominis, aut mulieris, ſive ſanæ, ſive quovis morbo vexatæ, medici judicio, ſuperans; ſi, vexatione ceſſante, eorum, quæ dixit, non recordetur.

„ Videndum præterea, an Energumenus, vel Ener-
„ gumena excommunicationis vinculo *irretiti* un-
„ quam fuerint, atque Abſolutionem rite acceperint?

„ In

„ In hoc exorcizandi munere, ejusve occasione, „ non modo quæstum fugiat Exorcista; sed ne doni, „ aut muneris quidquam, vel minimum capiat.

„ Ne in profanis ædibus, lociſve privatis, sed in „ Ecclesia, loco aperto, & conspicuo; neque in om- „ ni quavis Ecclesia, sed in iis solum, quas Episco- „ pus statuerit, Energumenum exorcizet, idque in „ inferiori Ecclesiæ parte, non in Choro, non in „ Sacellis. Neque in conspectu multitudinis; non re- „ motis tamen arbitris, sed præsentibus viris hone- „ stis, atque ætate gravibus, in iisque uno saltem, „ vel duobus Ecclesiasticis hominibus. Mulieri ener- „ gumenæ cum Exorcismum adhibet, id præstet duo- „ bus ætate, vitaque probatis viris, tum fæminis „ etiam itidem probatis præsentibus, iisque omnibus, „ si fieri potest, Energumenæ consanguineis, vel af- „ finibus. Mares autem alios præsentes adesse, ne „ omnino patiatur, nisi unum ecclesiastici Ordinis „ hominem.

„ Ne ante ortum, nec vero post occasum Solis „ quemquam exorcizet. Ne duos simul eodem tem- „ pore, sed unumquemque sigillatim, ac separatim.

„ In hujus muneris functione, graviter, pie, & „ religiose imprimis se gerat. Quamobrem pridie il- „ lius diei, quo alicui Exorcismum adhibere incœ- „ perit, se jejunio, & oratione præparare studeat. Tum „ confessus, conscientia ab omni culpa pura, ac „ munda, magna cum humilitate, & fide, memor „ potestatis, quam a Domino accepit, expellendi dæ- „ mones, ad id munus obeundum accedat. Si Sa- „ cerdos autem est, antequam Exorcismum inchoet, „ Missæ sacrum faciat, si id commode præstare potest.

„ Energumenis vero Exorcismum ne adhibere in- „ cipiat, nisi illi primum confessi sint; ad hocque „ eos cohortetur, ut omnis ante actæ vitæ peccata „ diligenti conscientiæ discussione confiteantur. Tum „ sæpe moneat; ut precibus, orationi, & sanctis me- „ ditationibus, & pietatis studiis, atque exercitatio- „ ni se dent; religiosas Ecclesias, ubi Sanctorum Re-

„ liquiæ reconditæ sint, certis diebus pie visitent;
„ Jejunia præterea, & in sexta quaque imprimis fe-
„ ria, quo die Passionis Jesu Christi Domini nostri
„ memoria recolitur, religiose amplectantur.

„ Caveat, dum exorcizat, ne Energumenæ mu-
„ lieris capiti, corporive, nisi cum magna honestate,
„ atque cautione, manum adhibeat; neve Energume-
„ num, Energumenamve altari imponat, neve quid-
„ quam aliud agat, quod offensionem præbeat.

„ Ne aliis vero Exorcismis, precibus, ritibusque
„ ad id munus utatur, nisi ad libri, Episcopi judicio
„ comprobati, rationem præscriptam. Cui nihil ab
„ eo addi, detrahi, aut mutari fas sit.

Interrogandus est dæmon de nomine, numero eorum, qui hominem vexant, causa possessionis, nec permittendum, ut sermones inutiles, & vanos effundat. Cavendum, ne de quæstionibus curiosis, aut futuris eventibus interrogetur; comprimendus est, ne calumniis, detractionibus, scurrilibus, ac ludicris verbis adstantibus illudat, eosque ad curiositatem, levitatem, aut voluptatem incitet. Artes dæmonis exploratas habere debet Exorcista, ne ab ipso fallatur, sive responsorum ambiguitate, sive latendi maligna industria, ne possessio vera videatur; sive recessus simulatione, ut intermittantur Exorcismi. Quibus artibus constantiam, & patientiam singularem opponere debet Exorcista, nec ab Exorcismis cessare, donec certis, & evidentibus signis compertum habeat Energumenum liberatum esse. Adhiberi possunt Reliquiæ ad caput, vel ad pectus Energumeni; cavendum tamen, ne sacræ illæ res a dæmone indigne tractentur; nusquam adhibenda in Exorcismis Eucharistia, propter irreverentiæ periculum; neque Hostia etiam non consecrata, ad veritatem possessionis explorandam.

§. IV. *De Acolythis.*

Munus Acolytho-rum.

Acolythorum quartus est gradus, & ultimus eorum omnium, qui Minores, & non Sacri appellantur.

tur. Eorum munus est, ministros majores, Subdiaconos, & Diaconos, in Altaris ministerio assectari, eisque operam dare. Præterea lumina deferunt, & asservant, cum Missæ Sacrificium celebratur, præcipue vero cum Evangelium legitur; ex quo *Ceroferarii* alio nomine vocati sunt.

Hujus Ordinis materia duplex; una est Ceroferarii cum cæreo traditio, altera Urceoli vacui. Atque in hoc conveniunt antiqui libri rituales, & recentiores cum Concil. Carth 4. & antiquis Officiorum ecclesiasticorum auctoribus. Sed materiam illam Conc. Carthag. omnesque antiqui rituales Libri volunt ab Archidiacono tradi, idemque præscribit Ordo romanus, sed formam ab Episcopo pronuntiari jubet. Nulla verba proferebantur ab Episcopo, cum hæc instrumenta porrigebantur ordinandis, sed sui duntaxat officii admonebantur, ut docet can. 6. Concilii Carth. „ „ Acolythus cum ordinatur (*inquit*) ab Episcopo quidem doceatur, qualiter in officio suo agere debeat. Sed ab Archidiacono accipiat Ceroferarium cum cereo, ut sciat se ad accendenda Ecclesiæ luminaria mancipari. Accipiat & Urceolum vacuum, ad suggerendum vinum in Eucharistiam Sanguinis Christi „„. Ex Pontificalis autem Romani præscripto, Episcopus tradit omnibus Ordinandis candelabrum cum candela extincta, quod successive manu dextera singuli tangunt, eo dicente: „ Accipite Ceroferarium, cum cereo, & sciatis vos ad „ accendenda Ecclesiæ luminaria mancipari, in no„ mine Domini „. Tradit illis etiam urceolum vacuum, quem similiter tangere debent, dicens communiter omnibus: „ Accipite urceolum, ad sugge„ rendum vinum, & aquam in Eucharistiam Sangui„ nis Christi „.

Hujus Ordinis materia, & forma.

Deum orat, ut eos benedicere dignetur: „„ Quatenus lumen visibile manibus præferentes, lumen quoque spirituale moribus præbeant; utque eorum mentes, & lumine scientiæ illustret, & pietatis rore irriget „„.

Illos

Acolythorum admonitio.

Illos admonet Episcopus ante Ordinationem, ne lucem Deo manibus præferentes, operibus tenebrarum inserviant, & per hoc aliis exempla perfidiæ præbeant; sed impleant, quod veritas jubet: *Luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona, & glorificent Patrem vestrum, qui in cœlis est;* Matth. 5. 16. & quod Apostolus Paulus ait: *In medio Nationis pravæ, & perversæ lucete sicut luminaria in mundo,* Phil. 2. 15. *verbum vitæ continentes.* Ut sint filii lucis; ut abjiciant opera tenebrarum, & arma lucis induantur; ut fructus lucis afferant. *In omni bonitate, & justitia, & veritate*; ut seipsos, & alios, & Dei Ecclesiam illuminent. Tunc etenim in Dei Sacrificium digne vinum suggesturos, & aquam: *Si ipsi Deo* Sacrificium, *per castam vitam, & bona opera oblati fuerint.*

Ritus antiquus Ordinandi Acolythum porrecto sacculo.

In Libello octavo Ordinis romani, quem edidit *D. Mabillonius* Tom. 2. *Musæi Italici*, ritus ordinandi Acolythi ita describitur: „ „ Dum Missa celebrata fuerit, induunt Clericum illum Planetam, & Orarium. Dumque venerit Episcopus, aut ipse Dominus Apostolicus ad communicandum, faciunt eum venire ad se, & porrigit in ulnas ejus sacculum super planetam; & prosternit se in terram cum ipso sacculo, & dat ei Orationem sic: *Intercedente* beata, & gloriosa semperque Virgine Maria, & beato Apostolo Petro, salvet, & custodiat, & protegat te Dominus. Amen „ „. Acolythi ordinabantur olim porrecto sacculo; quia hujusmodi sacculos in Missa pontificia tunc gestare solebant ad excipiendas oblationes consecratas, tum quæ in Missa confringebantur ad Fidelium communionem, tum quæ fermenti nomine ad Titulos mittebantur ad fovendam unitatem, concordiam, charitatem, teste *Innocentio I.* Epist. 29. ad Decentium: „ „ De fermento (*inquit.*) quod die Dominica per titulos mittimus, superflue nos consulere voluisti, cum omnes Ecclesiæ nostræ intra civitatem sint constitutæ; quarum Presbyteri, quia die ipsa, propter plebem sibi creditam nobiscum convenire non possunt, idcirco fermentum a nobis con-

Acolythi Eucharistiam ad Titulos, seu Ecclesias urbis Romæ deferebant.

fectum

fectum per Acolythos accipiunt, ut se nostra Communione, maxime illa die, non judicent separatos „„. Sane *Tharsicius* Martyr ex illorum Acolythorum numero erat: „„ Qui cum quodam die deferret Christi Corporis Sacramenta, nec vellet ea discutientibus prodere paganis, tamdiu est fustibus, & lapidibus maceratus ab eis, quousque exhalaret spiritum „„, teste *Usuardo*, ad 18. Kal. Septembris.

ARTICULUS V.

De Subdiaconatu.

A Minoribus Ordinibus, iisdemque non sacris, ad ad Majores, & sacros legitimus aditus, & ascensus patet. Hi sunt Subdiaconatus, Diaconatus, & Sacerdotium. „„ Ordo (*inquit*) *S. Thomas*, in 4. *Sentent.* dist. 24. q. 1. art. 1. qu. 3. Sacer dicitur dupliciter; non modo secundum se; & sic quilibet Ordo est sacer, cum sit Sacramentum quoddam; alio modo ratione materiæ, circa quam habet aliquem actum; & sic Ordo sacer dicitur, qui habet aliquem actum circa rem aliquam consecratam; & sic sunt tantum tres Ordines sacri; scilicet Sacerdos, & Diaconus, qui habet actum circa Corpus Christi, & Sanguinem consecratum, & Subdiaconus, qui habet actum circa vasa consecrata; & ideo etiam eis continentia indicitur, ut sancti, & mundi sint, qui sancta tractant „„. Antiquissima est in ecclesiasticis Monumentis Subdiaconorum mentio. Fuisse enim Romæ septem Diaconos, totidemque Subdiaconos testatur *S. Cornelius* Pontifex, & Martyr in Epistola ad *Fabium* Episcopum Antiochenum, apud *Eusebium* lib. 6. *Historiæ ecclesiasticæ*, cap. 43. Eodem ævo *Optatum* quemdam in Africa Subdiaconum a se ordinatum scribit *S. Cyprianus* Ep. 24. Eorumdem meminere Epist. *S. Ignatii* ad Antiochenos interpolata, Constitutiones apostolicæ lib. 8. & Conc. Laodicenum. Ab initio tamen, & deinceps per aliquot sæcula Subdiaconatus inter minores Ordines enumerabatur, nec

Subdiaconatus primis Eccle-

ſiæ ſæculis non erat Ordo ſacer.

nec ei annexus erat cœlibatus. Poſt ſextum ſæculum vix ulla Subdiaconorum occurrit memoria, qui continentiæ voto non fuerint adſtricti. Romæ jam ab iis continentia ſervabatur tempore *Pelagii II.* qui Subdiaconis Siciliæ præcepit, ut more romanæ Eccleſiæ nullatenus uxoribus ſuis miſcerentur, teſte *S. Gregorio* Ep. 42. libri primi, & 34. libri tertii. A romana autem ad alias Occidentis Eccleſias eadem diſciplina propagata eſt; qua occaſione paulatim cœpit hic Ordo a Minoribus ſeparari, & inter Majores, ac ſacros recenſeri. Nam cum prius extra Sanctuarium, & Altare conferri ſoleret, ut conſtat ex *Amalario* lib. 2. *De divinis officiis*, cap. 6. (quod etiamnum apud Græcos obſervatur) invaluit poſtea quorumdam Epiſcoporum conſuetudo, eum intra Miſſarum ſolemnia conferentium & ita ſenſim majoribus æquiparatus eſt. Multum nihilominus tempus interceſſit antequam certa, & firma lege inter ſacros Ordines recenſitus ſit. Nam *Petrus Cantor*, qui anno ducenteſimo ſupra milleſimum florebat, ab *Hugone Menardo* in Notis ad Sacramentarium *S. Gregorii* laudatus, pag. 280. ait: *De novo inſtitutum eſt, Subdiaconatum eſſe ſacrum Ordinem.* Id ante nos obſervarunt Viri doctiſſimi *Jo. Morinus* p. 3 *De ſacris Ordinationibus*, Exercit. 12. & Cardinalis *Bona*, rerum Liturgicarum lib. 1. cap. 25.

Subdiaconorum Officia.

Subdiaconorum officia ex romano Pontificali hæc ſunt: Aquam ad miniſterium Altaris præparare; Diacono miniſtrare; pallas Altaris, & corporalia abluere; Calicem, & Patenam in uſum Sacrificii Diacono offerre; oblationes, quæ veniunt ad Altare, ſuſcipere, ut ex iis, quantum ſatis eſt, in Altari ponatur, ne aliquid putridum in Sacrario remaneat. Eadem miniſteria recenſet *S. Iſidorus Hiſpalenſis* Epiſt. ad *Ludifredum* Cordubenſem Epiſcopum. Olim nec Calicem, nec Patenam, nec oblationes, in Altari ponebant, ſed hæc omnia porrigebant Diaconis, eiſque miniſtrabant intra Sanctuarium; verum ad Altare minime accedebant, ut conſtat ex eodem Patre, nec

non

non ex *Rabano Mauro* lib. 1. *de Institutione Clericorum*, c. 8. De legenda ab illis Epistola nihil habet antiquus Ordinationis eorum ritus, nec veteres Scriptores; hoc enim munere Rectores fungebantur, ut funguntur etiamnum apud græcos. Ex Conc. Carthag. 4. constat, licuisse eis vasa sacra contingere, sed vacua; cum enim Corpus, & Sanguinem Christi continent, id illis prohibet Conc. Laodiceni Can 21., quo sancitur: *Non oportere ministrum* (id est Subdiaconum, qui Diacono ministrat) *locum habere in Diaconiis, & sacra vasa tangere.* Sic enim hunc Canonem interpretatur *Balsamon.*

Lex perpetuæ continentiæ Subdiaconis ab Ecclesia imposita.

Subdiaconis ordinandis significat imprimis Episcopus legem perpetuæ continentiæ huic Ordini esse impositam; illisque, cum hunc Ordinem suscepe-rint, amplius non licere a proposito resilire; sed Deo, cui servire regnare est, perpetuo famulari, atque in Ecclesiæ ministerio semper esse mancipatos. Ipsos deinde admonet quanta sedulitate, & sanctimonia sacrum ministerium exercere debeant. „ „ Si usque nunc (*inquit*) fuistis tardi ad Ecclesiam, amodo debetis esse assidui. Si usque nunc somnolenti, amodo vigiles. Si usque nunc ebriosi, amodo sobrii. Si usque nunc inhonesti, amodo casti „ „.

Subdiaconatus materia, & forma.

Subdiaconatus materia est traditio Patenæ vacuæ, & Calicis vacui ab Episcopo; urceolorum vero cum vino, & aqua, & linteolo, quo manus abstergun-tur, ab Archidiacono, ut intelligatur Subdiaconum Diacono ministrare debere. Ideo autem Subdiaconus horum instrumentorum traditione ordinatur: *Quia manus impositionem non accipit* (inquit Conc. Carth. 4. can. 5.) Idem constat ex Pontificali romano, & antiquis ritualibus omnibus Ecclesiæ latinæ. Forma huic materiæ respondens, sunt verba, quæ profert Episcopus ex romani Pontificalis præscripto, dum singuli Calicem, & Patenam successive tangunt: „ Videte, cujus ministerium vobis traditur; ideo vos „ admoneo, ut ita vos exhibeatis, ut Deo placere „ possitis „. Tum orat Episcopus, ut Deus super eos bene-

benedictionem ſuam effundat ; eoſque in Sacrario ſuo ſancto ſtrenuos, ſolicitoſque cœleſtis militiæ inſtituat excubitores, ſanctiſque Altaribus fideliter ſubminiſtrent ; & requieſcat ſuper eos Spiritus ſapientiæ, & intellectus ; Spiritus conſilii, & fortitudinis ; Spiritus ſcientiæ, & pietatis ; & repleat eos Spiritu timoris ſui ; & in miniſterio divino confirmet ; ut obedientes facto, ac dicto parentes gratiam conſequantur.

Deinde amictum, manipulum, tunicam ipſos induit Epiſcopus, præſcriptam in Pontificali verborum formam adhibens. Tradit denique ipſis librum Epiſtolarum, quem dum ſinguli manu dextera contingunt, hæc verba profert : „ „ Accipite librum Epiſtolarum, & habete poteſtatem legendi eas in Eccleſia ſancta Dei, tam pro vivis, quam pro Defunctis. In nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti „ „. Ad materiæ, formæque integritatem hæc in Eccleſia latina pertinere nemo negaverit ; ſed in ſola libri Apoſtolici traditione Subdiaconatus materia ſita eſſe non videtur. Traditio enim iſtius libri in Ordinatione Subdiaconi perpetua non fuit. Ejus non meminerunt Conc. Carth. 4. nec antiqua ritualia, nec *S. Iſidorus* in libris *de Officiis eccleſiaſticis*, nec *Rabanus Maurus* in libris *de Inſtitutione Clericorum*, licet ritus Ordinationum ſigillatim explicent. Tam altum ſilentium probat Subdiaconus antiquitus Epiſtolam in ſynaxi, ſive publico Eccleſiæ cœtu ex officio non legiſſe. Id confirmant *Amalarius* lib. 1. *de Officiis*, cap. 11. *Micrologus* cap. 8. *Stephanus Æduenſis* lib. *de Sacramento Altaris*, c. 5. Auctor libri, qui ſcribitur *Gemma animæ*, lib. 1. c. 179. *Hugo a S. Victore* in ſpeculo *de Myſteriis Eccleſiæ*, cap. 5. *Petrus Lombardus* in 4. *Sentent.* diſt. 24. litera G. Ad integritatem igitur materiæ, & formæ Subdiaconatus, non ad eſſentiam, pertinent Traditio libri Epiſtolarum, verbaque illi reſpondentia.

Traditio libri Epiſtolarum, & verba illi reſpondentia, non ſunt materia & forma eſſentialis Subdiaconatus.

Apud græcos, ſola manus impoſitio materiæ, oratio formæ vicem ſubit, ut conſtat ex Euchologiis.

Man-

Mantile quidem, & pollubrum manibus lavandis ab Episcopo eis traduntur, multaque alia ministeria exercere jubentur, sed hæc omnia fiunt post Ordinationem completam, ut munere, quod recens acceperunt, fungantur.

Tres obligationes contrahunt, qui Subdiaconatus Ordinem suscipiunt. Prima est obligatio titulum sive beneficii, sive patrimonii habendi; ne rerum temporalium curis a sacris ministeriis distrahantur. Secunda est castitatis, quæ huic Ordini, ac superioribus Ecclesiæ lege inviolabili annexa est. Tertia est obligatio recitandi divinum Officium, seu Breviarium, Ecclesiæ etiam lege, seu consuetudine universali illis imposita. Triplex Subdiaconorum obligatio.

ARTICULUS VI.

De Diaconatu.

Secundum sacrorum Ordinum gradum *Diaconus* obtinet; cujus ministerium latius patet, sanctiusque semper habitum est. Ejus functiones sunt, Episcopum perpetuo sequi, concionantem custodire, eique, & Sacerdoti sacra facienti, vel alia Sacramenta administranti præsto esse. Hinc *S. Epiphanius* hæresi 75. tanti facit Diaconi ministerium, ut Episcopum absque Diacono nunquam fuisse, aut esse posse asseveret. Unde Pontificale romanum Diaconos vocat *Comministros*, *& Cooperatores Corporis*, *& Sanguinis Domini*. Ejus præterea munus est, in Missæ Sacrificio Evangelium legere, ut constat ex *S. Hieronymo* in Epist. ad Sabinianum, ex Conc. Vasensi 2. can. 2. ex *S. Greg.* Epist. 44. libri 4. Ind. 13. & *S. Isidoro* lib. 2. de divinis Officiis, cap. 8. Ejus munus est, panem & vinum offerre, non quidem consecrando, ut ex Conc. Ancyrani can. 2. male colligunt hæretici, sed utrumque Sacerdoti consecraturo porrigendo. Olim Fidelium animos Diaconi sæpius excitabant, ut sacra attenderent. Quod & nunc præstant apud græcos. Dominicum Sanguinem, imo Sacræ Diaconorum functiones.

& Corpus Fidelibus distribuebant, ut testantur *S. Justinus* Martyr Apologia 2 *S. Cyprianus* lib. *De Lapsis*, Auctor constitutionum Apostolicarum, *S. Ambrosius*, & plures alii Patres. Hic mos ante Conc. Nicænum adeo invaluerat, ut etiam Presbyteris Eucharistiam porrigerent, quam audaciam sancta Synodus coercuit, edito contra hujusmodi abusum can. 18. Ipsis etiam vetitum est can. 15 Concilii 2. Aurelianensis, & can. 38 Con. Carth. 4. ne præsente Presbytero Corpus Domini Fidelibus traderent. Diacono præterea ecclesiasticorum bonorum dispensatio commissa erat; ut unicuique necessaria ad victum subministraret, ac eleemosynas distribueret. Ejus erat curam gerere Martyrum, & Confessorum, qui in carcere ob Christi fidem detinebantur, eisque necessaria suppeditare; eorum vota, precesque pro Lapsis excipere, & ad Episcopum deferre, ut in ipsorum gratiam infelicibus illis Christianis, qui in persecutione ceciderant, & pœnitentiam agebant, indulgentiam concederet, pœnitentiæque tempus contraheret, ac rigorem moderaretur, ut ex pluribus *S. Cypriani* Epistolis, & lib. *De Lapsis* compertum est. Pœnitentes etiam reconciliare in absentia Episcopi, & Presbyteri aliquando ipsis licuit, eosque absolvere, non quidem sacramentaliter, sed a pœnis satisfactoriis, vel ab excommunicatione, quæ ipsos a Sacramentis Altaris participandis removebat. Hujus disciplinæ testis est *S. Cyprianus* Ep. 13. „„ Si Presbyter (*inquit*) repertus non fuerit, & urgere exitus cœperit, apud Diaconum quoque Exomologesim facere delicti sui possint, ut manu eis in pœnitentiam imposita veniant ad Dominum cum pace, quam dari Martyres literis ad nos factis desideraverunt „„ Diaconorum etiam erat sacris Virginibus, & Viduis præesse, ecclesiastica negotia apud Imperatorem procurare, Catechumenorum nomina recitare, & Ordinis Sacramento initiandos ante Episcopum statuere; quod & nunc præstant Archidiaconi. Ad Diaconum etiam pertinet, *tanquam Episcopi oculum*, per-

perveſtigare, quinam in urbe pie, & religioſe, quive ſæcus vitam traducant; qui ad Sacrificium, & Concionem ſtatis temporibus conveniant, qui non conveniant; ut cum de omnibus Epiſcopum certiorem fecerit, ille vel privatim unumquemque hortari, admonere, vel palam corrigere, & objurgare poſſit, uti magis utile futurum ipſorum ſaluti perſpexerit.

Quamvis autem ab Apoſtolis electi fuerint ſeptem primi Diaconi occaſione murmuris Græcorum adverſus Hebræos: *Eo quod deſpicerentur in miniſterio quotidiano Viduæ eorum* (ut habetur *Actorum* cap. 6.) non tamen electi ſunt, ut menſis tantum communibus miniſtrarent, ſed Menſis ſacris. Et hæc eleemoſynas quotidianas Viduis diſtribuendi cura ſecundarium duntaxat Diaconorum miniſterium fuit, minuſque præcipuum; cujus ratione dixerunt Apoſtoli: *Non eſt æquum nos derelinquere verbum Dei, & miniſtrare menſis.* Sed primarium ipſorum, potiſſimumque miniſterium ſacratius, diviniuſque fuiſſe colligitur evidenter ex dotibus, quas Apoſtoli in illis ſeptem viris deſiderarunt, ut nimirum eſſent *boni teſtimonii, pleni Spiritu ſancto, & ſapientia;* & quod illos manuum impoſitione conſecrarunt, oratione prævia. Quorum enim tot dotes, tamque ſacri Ritus ad conſtituendos miniſtros menſarum communium? Apoſtolus etiam, poſtquam dotes Epiſcopis neceſſarias deſcripſit, eaſdem prope poſtulat in Diaconis 1. ad *Timotheum* cap. 3. *Diaconos* (inquit) *ſimiliter pudicos, non bilingues, non multo vino deditos, non turpe lucrum ſectantes; habentes Myſterium fidei; in conſcientia pura. Et hi autem probentur primum, & ſic miniſtrent. Diaconi ſint unius uxoris viri; qui filiis ſuis bene præſint, & ſuis domibus. Qui enim bene miniſtraverint, gradum bonum ſibi acquirent.*

Diaconatus Ordo ex inſtitutione ſua ſacer.

Præterea, vi ſuæ Ordinationis jus habent adminiſtrandi Baptiſmi ſolemni ritu, jus item prædicandi Evangelium, ubi id ipſis commiſerit Epiſcopus, quod *S. Stephani* Protomartyris, & *Philippi* Diaconorum

exempla probant a *S. Luca* in Actis Apostolorum consignata. Idque confirmant *Tertullianus* lib. *de Baptismo*, c. 18. & Conc. Illiberitanum can. 77. Plebem etiam christianam regebant olim, sacra sui Ordinis ministeria obeuntes in Ecclesiis, quæ propterea *Diaconiæ* vocabantur, ut colligitur ex eodem Concilio; & ex Tarraconensi, can. 7. Hinc Tituli Cardinalium Diaconorum. Hinc Episcopus Diaconos ordinandos admonens ex romani Pontificalis præscripto, ait: *Diaconum oportet ministrare ad Altare, baptizare, & prædicare.*

Id confirmant *S. Ignatius* Martyr in Epist. ad Trallianos: „„ Oportet (*inquit*) & Diaconos ministros existentes Mysteriorum Jesu Christi, secundum omnem modum omnibus placere. Non enim ciborum, & potuum sunt ministri, sed Ecclesiæ Dei ministri „„.

S. Cyprianus Epist. 65. „ Diaconos post Ascensum „ Domini in cœlos, Apostoli sibi constituerunt Epi„ scopatus sui, & Ecclesiæ ministros „.

S. Hieronymus Epist. 85. ad *Evagrium*, scribit Diaconos veterum Levitarum vice in Ecclesia fungi, sicut Presbyteri nostri filiorum Aaron vices implent, atque ideo in illis istorum typum præcessisse. Levitæ porro mosaicæ Legis Sacrificiis cooperabantur.

S. Isidorus Hispalensis, lib. 2. *de Officiis ecclesiasticis*, c. 8. „„ Sine ipsis Sacerdos nomen habet, officium non habet. Nam sicut in Sacerdote consecratio, ita in ministro dispensatio Sacramenti. Illi orare, huic psallere mandatur. Ille oblata sanctificat, hic sanctificata dispensat. Ipsis etiam Sacerdotibus propter præsumptionem non licet de mensa Domini tollere Calicem, nisi eis traditus sit a Diacono. Levitæ inferunt oblationes in Altaria, Levitæ componunt mensam Domini, Levitæ operiunt arcam Testamenti. Non enim omnes vident alta Mysteriorum, quæ operiuntur a Levitis, ne videant, qui videre non debent, & sumant, qui servare non possunt „„. Quæ verba in Concilio Aquisgranensi 1. cap. 7. repetuntur.

Ma-

Materia Diaconatus est manus impositio, forma Oratio manuum impositioni adjuncta, ut constat ex Actibus Apost. cap. 6. *Hos statuerunt* (inquit) *ante conspectum Apostolorum, & orantes imposuerunt eis manus.* Et ex Conc. Carth. 4. can. 4. cujus hæc sunt verba: „ Diaconus cum ordinatur, solus Episco- „ pus, qui eum benedicit, manum super caput illius „ ponat; quia non ad Sacerdotium, sed ad Mini- „ sterium consecratur „. Sola manuum impositione, non traditione certorum instrumentorum tunc fuisse consecratos Diaconos, probat evidenter Canon sequens, quo Subdiaconus ordinari dicitur traditione Patenæ vacuæ, & Calicis vacui: *Quia manus impositionem non accipit;* ex quo certo colligitur, in Ordinationibus, quæ per manus impositionem fiebant, nulla instrumenta fuisse tradita. Id confirmant antiqui libri Rituales nongentorum annorum, qui traditionis Evangeliorum non meminerunt; uti nec Missale vetus Francorum editum a *P. Mabillonio*; nec Græcorum Euchologia. Quin & *Amalarius* lib. 2. *De Officiis ecclesiasticis* cap. 11. & 12. Evangelii traditionem ab Ordinatione Diaconi excludit, cum de Evangelii lectione facienda in Missa a Diacono scribit. „ „ Primævo tempore Diaconus non legebat Evangelium, quod nondum erat scriptum. Sed postquam statutum est a Patribus nostris ut Diaconus legeret Evangelium, statutum, ut & Subdiaconus legeret Epistolam „ „.

Diaconatus materia, & forma.

Essentialis Diaconatus materia est manuum impositio; accidentaria & integrans, libri Evangeliorum traditio.

Non semper igitur traditus est Diaconis Evangeliorum codex in ipsorum Ordinatione. Accessit tamen ex Ecclesiæ institutione ad materiæ integritatem hujusmodi traditio, & ad integritatem formæ præscripta verba in romano Pontificali, dum singuli sacrum Codicem tangunt: „ Accipite potestatem „ legendi Evangelium in Ecclesia Dei tam pro vi- „ vis, quam pro defunctis: In nomine Domini „.

Quarumdam in Galliis Ecclesiarum olim mos fuit, ut in Diaconorum Ordinatione manus eorum chrismate ungerentur, ut docet *Hugo Menardus* in No-

tis ad Sacramentarium S. Gregorii, pag. 289. ex antiquo Pontificali; & ex Epistola *Nicolai I.* Pontificis maximi ad *Rodulphum* Archiepiscopum Bituricensem.

ARTICULUS VII.

De Sacerdotio.

Tertius omniumque sacrorum Ordinum summus est *Sacerdotium.* Qui vero illo præditi sunt, eos veteres Patres duobus nominibus vocare solent. Interdum enim *Presbyteros* appellant, quod græce Seniores significat, non solum propter ætatis maturitatem, quæ huic Ordini minime necessaria est; sed multo magis propter morum gravitatem, doctrinam, & prudentiam. Ut enim scriptum est Sap. 4. *Senectus venerabilis est, non diuturna, neque annorum numero computata; cani autem sunt sensus hominis, & ætas senectutis vita immaculata.* Interdum vero *Sacerdotes* vocant, tum quia Deo consecrati sunt, tum quia ad eos pertinet Sacramenta administrare, sacrasque res, & divinas tractare.

§. I. *De Sacerdotii proprie dicti existentia.*

Præter Sacerdotium internum, & spirituale, quod *S. Hieronymus* in Dialogo contra Luciferianos *Sacerdotium Laicorum* appellat, de quo 1. Petri 2. *Et ipsi tanquam lapides vivi superædificamini, domus spiritualis, Sacerdotium sanctum, offerre spirituales hostias, acceptabiles Deo per Jesum Christum.. Vos autem genus electum, regale Sacerdotium, gens sancta, populus acquisitionis*: Et Apoc. 1. *Fecit nos regnum, & Sacerdotes Deo, & Patri suo.* Præter hoc (inquam) Sacerdotium generale Christianorum omnium, cujus fundamentum est Baptismus, & quod in oblatione orationum, & gratiarum actionum positum est, dogma fidei est, aliud esse Sacerdotium externum, & visibile a Christo Domino institutum ad sacrificandum, & offerendum Deo Corpus, Sanguinemque suum. Unde

de Conc. Nicænum can. 14. Diaconos poteſtatem habere negat offerendi Corpus Chriſti, eamque ſolis convenire Presbyteris aſſerit. „„ Pervenit ad ſanctum Concilium (*inquit*) quod in locis quibuſdam, & civitatibus, Presbyteris Sacramenta Diaconi porrigant. Hoc neque regula, neque conſuetudo tradidit, ut hi, qui offerendi Sacrificii non habent poteſtatem, his, qui offerunt, Corpus Chriſti porrigant „„.

S. Joan. Chryſ. lib. 3. *De Sacerdotio*, Chriſti Corpus, & Sanguinem aliter confici negat quam manibus Sacerdotum. „„ Nam ſi non poteſt quis in regnum cœlorum ingredi, niſi per aquam, & Spiritum regeneratus fuerit; & qui non manducat Carnem Domini, & Sanguinem ejus non bibit, æterna vita privatur; omnia autem hæc haud aliter, quam per ſacroſanctas illas manus perficiuntur, manus (inquam) Sacerdotum; qui fiet, ut circa illarum opem aut gehennæ ignem evitare quis poſſit, aut repoſitæ in cœlo coronæ præmia aſſequi? Joan. 3. & 6.

S. Hieronymus in Dialogo adverſus Luciferianos, Orthodoxum inducit ſic loquentem: „„ Hilarius cum Diaconus de Eccleſia receſſerit, ſoluſque, ut putat, turba ſit mundi, neque Euchariſtiam conficere poteſt Epiſcopus, & Presbyteros non habens, neque Baptiſma ſine Euchariſtia tradere; & cum jam homo mortuus ſit, cum homine pariter interiit & ſecta, quia poſt ſe nullum Clericum Diaconus potuit ordinare. Eccleſia autem non eſt, quæ non habet Sacerdotes „„.

Conc. Later. 3. ſub Innocent. III. can. 1. de Euchariſtia loquens: „„ Hoc utique Sacramentum (*inquit*) nemo poteſt conficere niſi Sacerdos fuerit, rite ordinatus, ſecundum claves Eccleſiæ, quas ipſe conceſſit Apoſtolis, & eorum Succeſſoribus Jeſus Chriſtus „„.

Concilium Trid. ſeſſ. 23. cap. 1. „„ Sacrificium, & Sacerdotium ita Dei ordinatione conjuncta ſunt, ut utrumque in omni Lege extiterit. Cum igitur in novo Teſtamento ſanctum Euchariſtiæ Sacrificium viſi-

bili ex Domini inſtitutione catholica Eccleſia acceperit; fateri etiam oportet, in ea novum eſſe, viſibile, & externum Sacerdotium, in quod vetus translatum eſt; hoc autem ab eodem Domino Salvatore noſtro inſtitutum eſſe, atque Apoſtolis, eorumque Succeſſoribus in Sacerdotio, poteſtatem traditam conſecrandi, offerendi, & miniſtrandi Corpus, & Sanguinem ejus, necnon & peccata remittendi, & retinendi, ſacræ Literæ oſtendunt, & catholicæ Eccleſiæ Traditio ſemper docuit „„.

Et Can. 1. „„ Si quis dixerit, non eſſe in novo Teſtamento Sacerdotium viſibile, & externum; vel non eſſe poteſtatem aliquam conſecrandi, & offerendi verum Corpus, & Sanguinem Domini, & peccata remittendi, & retinendi; ſed officium tantum, & nudum miniſterium prædicandi Evangelium; vel eos, qui non prædicant, prorſus non eſſe Sacerdotes; anathema ſit „„.

Et Can. 4. „„ Si quis dixerit, Per ſacram Ordinationem non dari Spiritum ſanctum, ac proinde fruſtra Epiſcopum dicere: *Accipe Spiritum ſanctum*; aut per eam non imprimi caracterem; vel eum, qui Sacerdos ſemel fuit, laicum rurſus fieri poſſe; anathema ſit „„.

Interni, externique Sacerdotii diſcrimen.

Sacerdotii duplicis diſcrimen, interni ſcilicet, ac externi, Conc. Trid. Catechiſmus perſpicuis verbis explicat. Quod igitur (inquit) ad interius Sacerdotium attinet, omnes Fideles, poſtquam ſalutari aqua abluti ſunt, Sacerdotes dicuntur; præcipue vero juſti, qui Spiritum Dei habent, & divinæ gratiæ beneficio Jeſu Chriſti ſummi Sacerdotis viva membra effecti ſunt. Hi enim fide, quæ charitate inflammatur, in Altari mentis ſuæ ſpirituales Deo hoſtias immolant; quo in genere bonæ omnes, & honeſtæ actiones, quas ad Dei gloriam referunt, numerandæ ſunt. Quare in Apocalypſi ita legimus: *Chriſtus lavit nos a peccatis noſtris in Sanguine ſuo, & fecit nos Regnum, & Sacerdotes Deo, & Patri ſuo.* In quam ſententiam ab Apoſtolorum Principe dictum eſt: *Ipſi tan-*

Apoc. 1. 1. Petri 2.

tanquam lapides vivi superædificamini, domus spiritualis, Sacerdotium sanctum, offerre spirituales hostias, acceptabiles Deo per Jesum Christum. Et Apostolus nos hortatur: *Ut exhibeamus corpora nostra hostiam viventem, sanctam, Deo placentem, rationabile obsequium nostrum.* David item multo ante dixerat: *Sacrificium Deo spiritus contribulatus; cor contritum, & humiliatum Deus non despicies.* Quæ omnia ad interius Sacerdotium spectare, facile intelligitur. Rom. 12. Psalm. 50.

„ Externum vero Sacerdotium non omnium Fi-
„ delium multitudini, sed certis hominibus convenit,
„ qui legitima manuum impositione, solemnibusque
„ S. Ecclesiæ cæremoniis instituti, & Deo consecrati,
„ ad aliquod proprium, sacrumque Ministerium ad-
„ scribuntur.

„ Hoc Sacerdotii discrimen in veteri etiam Lege
„ observari potest; nam de interiori Davidem locu-
„ tum esse, paulo ante demonstratum est. Externi
„ vero nemo ignorare potest, quam multa Domi-
„ nus Moysi, & Aaroni præcepta dederit. Præte-
„ rea, universam leviticam Tribum Ministerio tem-
„ pli adscripsit, ac lege cavit, ne quis ex alia Tribu
„ in eam functionem se inferre auderet; quare Ozias
„ Rex lepra percussus, quod Sacerdotale munus
„ usurpasset, arrogantiæ, & sacrilegii sui gravissimas
„ pœnas dedit. Quia igitur eamdem Sacerdotii di-
„ stinctionem in lege Evangelica licet animadvertere,
„ de Sacerdotio externo hic agimus, quod certis
„ hominibus attributum est. Hoc enim tantummodo
„ ad Ordinis Sacramentum pertinet.

Præclare hoc argumentum explicat *Guillelmus Parisiensis*, Tract. *de Sacramento Ordinis*, cap. 4. „„ Sicut (*inquit*) non est Procurator, nisi constitutus ab ipso domino litis, seu causæ, ita non est Sacerdos Procurator Ecclesiæ quantum ad interpellandi officium, nisi ab Ecclesia constitutus. Iterum, sicut Procuratorem non facit gratia ipsius, quam habet apud Principem, sed constitutio, & mandatum ejus, qui causam agit coram ipso Principe; esse autem Sacer-

dotem, est esse Procuratorem, quantum ad Officium interpellandi; manifestum ergo est, quod Sacerdotem non facit gratia, seu sanctitas, quantacumque illa sit cujuscunque personæ apud Deum, sed constitutio, & mandatum Ecclesiæ, quod ei datur ad interpellandum. Nuntium non facit deportatio literarum, sed missio; idem autem est constitutio Sacerdotum, & Ordinatio, sive Missio interpellantium. Si virtus, & fortitudo bellica non faciunt militem, sed adscriptio Ducis, & institutio, nec potestas super decem milites Decurionem, sed ipsa Principis electio, & constitutio; ita gratia, & potestas impetrandi non faciunt Sacerdotem, sed Ordinatio. Sicut Advocatum publicum non scientia juris, aut eloquentia, nec etiam ipsa justitia facit; esse autem Sacerdotem, est esse publicum Advocatum in causis animarum; ergo nec scientia juris cœlestis, nec sacra eloquentia, nec ipsa spiritualis justitia facient Sacerdotem; sed quemadmodum ibi constitutio principalis, ita & hic constitutio Pontificis, id est Ecclesiæ, ministerio illius. Et quemadmodum non licebat, cuiquam usurpare publici Advocati officium, & si usurparet, repellebatur, nisi electus esset ad hoc, & institutus; sic nulli licet usurpare publicæ interpellationis officium, hoc est Sacerdotale.. Non negamus autem quin omnis vir sanctus, & in conspectu Dei glorioſus orare pro omnibus teneatur, & quin apud Deum propter divinæ misericordiæ divitias audiatur; sed auditur ut amicus, & filius, & orat similiter, atque interpellat; non autem ut Procurator, ut Nuntius universalis Ecclesiæ, neque ut ab ea missus ad hoc, quod est proprium sacerdotalis Ordinis officium. Quis enim dubitat juxta Reges, & Principes esse pauperum, & oppressorum interpellatores, & hoc non per officium ad hoc publice institutos, sed magis benevolentia, & miseratione ad hoc promptos? Nec cum eo rogatu ipsi rogant Principes, propter hoc Nuntii, aut Procuratores sunt miserorum, &c „ „.

§. II.

§. II. *De Presbyteratus materia, & forma, sacrisque Cæremoniis.*

Presbyteratus materia essentialis, manuum impositio Episcopalis, forma essentialis oratio.

I. Materia Presbyteratus est manuum impositio. Eam enim actionem esse huic Ordinationi substantialem, colligitur ex Scriptura sacra, quæ solam manuum impositionem, & orationem commemorat, cum Ordinationis sacræ meminit, *ad Timotheum* cap. 4. & 5. & 2. *ad Timotheum* cap. 4. Solam manuum impositionem commmemorant omnes antiqui Libri rituales, omnesque Patres latini, & græci: Traditionis instrumentorum non meminerunt. Græci legitime, & valide Presbyteros consecrant; semper Ecclesia romana eorum Ordinationes probavit; & tamen apud eos incognita est ista Instrumentorum traditio, semperque incognita fuit. Ea igitur non pertinet ad sacerdotalis Ordinationis substantiam.

Traditionem Instrumentorum a Græcis in Ordinatione Presbyteri non fuisse usurpatam antiquitus, probat silentium constitutionum Apostolis inscriptarum, & *S. Dionysius* in libris *de ecclesiastica Hierarchia*, ubi de Ritibus sacræ Ordinationis agunt. Idem colligitur ex Ordinatione *Salamani* Eremitæ sanctissimi, quam *Theodoretus* commemorat in Historia religiosa, cap. 19. „ „ Porro (*inquit*) Pontifex civitatis, cujus erat vicus, cum viri didicisset virtutem, accessit, volens ei donum dare Sacerdotii; & domunculæ perfossa aliqua parte est ingressus, manumque imposuit, & peregit precationem. Et sæpe quidem ei dixit, & quæ ad eum advenerat, gratiam significavit. „ „ Ex hoc testimonio perspicuum est, ad Sacerdotii Ordinem tradendum nihil apud Orientales præter Orationem, & episcopalem manuum impositionem requisitum fuisse. Si enim tradita fuissent sancto illo Monacho Calix cum vino, Patena cum Hostia, procul dubio se factum Presbyterum ignorare non potuisset; imo factus Presbyter non fuisset. Tangere namque instrumenta recusasset, aut vis illi ad contactum inferenda fuisset, quod factum *Theodoretus* non commemorat. Idem

Idem confirmat Ordinationis similis historia, ejusdem libri cap. 13. relata, *Macedonii* scilicet hominis simplicissimi, & solitarii. Scribit enim *Theoderetus*, eum Ordinatione facta nesciviſſe prorsus quid contigisset; cum autem adstantium aliquis hoc indicasset, graviſſime excanduiſſe, & obvios convitiis, & baculo, cui innitebatur, laceſſiviſſe.

Idem colligitur ex *S. Hieronymo* in cap. 58. *Isaiæ*, ad versum 9. „„ Plerique nostrorum (*inquit*) *Charotónian*, id est, ordinationem Clericorum, quæ non solum ad imprecationem vocis, sed ad impositionem impletur manus, ne scilicet, ut in quibusdam risimus, vocis imprecatio clandestina Clericos ordinet nescientes, sic intelligunt, ut assumant testimonium Pauli scribentis ad Timotheum: Manus cito nemini imposueris &c „„. Si tum instrumentorum usus viguisset, ejusmodi clandestinas Ordinationes, quibus nescientes consecrabantur, nemo tentare potuisset. Manus enim variis de causis imponuntur; ideo facile potest quis etiam manus imponens ordinatum celare, præsertim cum sine contactu imponi possint. Non ita vero latere potest Ordinatum instrumentorum traditio.

Præterea, antiqui libri rituales latini, non secus ac græci, istorum instrumentorum, & verborum, quæ pronuntiari solent, cum Ordinandis traduntur: *Accipe potestatem offerendi Sacrificium Deo*, &c. nullatenus meminerunt, uti nec *S. Isidorus*, *Amalarius*, *Rabanus Maurus*, *Walafridus Strabo*, licet de officiis ecclesiasticis uberrime scripserint. Concilium Carthag. 4. Can. 3. solam manuum impositionem, & orationem pro materia, & forma Sacerdotalis ordinationis agnoscit. „„ Presbyter (*inquit*) cum ordinatur, Episcopo eum benedicente, & manum super caput ejus tenente, etiam omnes Presbyteri, qui præsentes sunt, manus suas juxta manum Episcopi super caput illius teneant „„. Manus itaque impositio, & oratio ipsi adjuncta, quam repræsentant omnes libri Rituales antiqui, recentiores, hodierni, quæ in antiquis inscribitur, Consecratio, & in romano Pontificali

ficali notatur ad modum Præfationis, est materia, & forma essentialis Presbyteratus. Denique Conc. Trid. eamdem sententiam confirmat Sess. 14. cap. 3. ubi Extremæ Unctionis Ministros docet esse solos Episcopos: *Aut Sacerdotes ab ipsis rite ordinatos per impositionem manuum Presbyterii.* Prior igitur illa manuum impositio ab Episcopo, & deinde ab omnibus Presbyteris adsistentibus facta super caput cujuslibet ordinandi, vicem materiæ subit, Oratio adjuncta vicem formæ; atque ad substantiam Sacerdotalis ordinationis pertinet.

II. Post hanc manuum impositionem, & adjunctas Orationes, Episcopus Stolam humeris Ordinandorum aptans, eam ante pectus in formam Crucis componit; quo ritu declarat, Sacerdotem virtute indui ex alto, qua possit crucem Christi Domini, & jugum suave divinæ Legis perferre, eamque non verbis solum, sed & vitæ sanctissime, & honestissime actæ exemplo tradere. Quamobrem stolam singulis hunc in modum imponens, & aptans, ait: *Accipe jugum Domini; jugum enim ejus suave est, & onus ejus leve.* Jugum appellatur potestas excellentior, quam recipit Ordinandus, quia in Ecclesia Dei quanto quisque dignitate sublimior est, tanto humilior esse debet, ac subjectior. Qua nota ecclesiastica potestas a laica distinguitur, secundum illa Christi verba: *Reges gentium dominantur eorum; Vos autem non sic.* Luc. 22. 25.

III. Imponit deinde Episcopus cuilibet Ordinando successive casulam usque ad scapulas, quam quilibet tenet super humeros complicatam, a parte anteriori deorsum dependentem, singulis dicens; „ Accipe „ vestem Sacerdotalem, per quam charitas intelligi„ tur; potens est enim Deus, ut augeat tibi chari„ tatem, & opus perfectum „. Charitatem ergo casula significat; quia vero charitas Deum versus, & proximum extendi debet, a parte anteriori primum explicatur, quo significatur affectus in Deum; postea explicatur a parte posteriori, quo affectus erga proximum indicatur.

IV. Post hæc, manus Ordinandorum sacro Oleo in-

inungit, hunc in modum orans: „ Consecrare & „ sanctificare digneris, Domine, manus istas per istam „ unctionem, & nostram benedictionem, &c. „. Quæ unctio dum perficitur, canitur Hymnus: *Veni Creator Spiritus*. Unguntur autem manus in forma Crucis; quia Spiritus sanctus fons est benedictionum omnium, quas passione, & morte sua in Cruce Christus nobis promeruit. Hunc Unctionis ritum in Ordinatione Presbyteri non semper fuisse in Ecclesia usurpatum, colligitur ex Epist. 39. *Nicolai I.* ad *Rodulphum* Episcopum Bituricensem, a quo interrogatus sic respondet: „„ Præterea scisciteris utrum solis Presbyteris, an & Diaconibus debeant, cum ordinantur, manus Chrismatis liquore perungi. Quod in sancta hac romana, cui Deo Auctore deservimus, Ecclesia neutris agitur. Sed & quia sit a novæ Legis ministris actum, nusquam, nisi nos fallat oblivio, legimus. „„ Hunc *Nicolai I.* locum refert *Ivo Carnotensis* in Decreto P. 6. cap. 121. & *Gratianus* dist. 23. Can. 12. Id confirmant antiquissimi Libri rituales duo exquisite Romani, a *Morino* laudati P. 3. *de sacris Ordinat.* Exercit. 6. qui Unctionis in Presbyterorum Ordinatione non meminerunt. Hunc tamen ritum in Ecclesia gallicana fuisse ab antiquo receptum probat laudata *Nicolai I.* Epist. confirmant *Amalarius* lib. 2. *de Officiis Ecclesiæ*, cap. 13. & *Theodulphus* Episcopus Aurelianensis in Capitulari ad Ecclesiæ suæ Presbyteros.

Traditio Instrumentorum, verbaque illi respondentia, ad materiæ, & formæ integritatem accessere.

V. Omnium, & singulorum manibus unctis, & consecratis, Episcopus tradit cuilibet successive Calicem cum vino, & aqua, & Patenam superpositam cum Hostia, singulis dicens: „ Accipe potestatem „ offerre Sacrificium Deo, Missasque celebrare, tam „ pro vivis, quam pro defunctis: In nomine Do„ mini „. In Ritualibus antiquioribus ante annos septingentos hæc non habentur, in Ordine romano edito, & in recentioribus leguntur, ut observat *Joannes Morinus*, Vir doctissimus P. 3. *de sacris Ordinationibus*, Exercit. 7. c. 1. Documentum hoc esse po-

testatis

teſtatis acceptæ, & pignus exercendæ, docet *Hugo a ſancto Victore* lib 2. *de Sacramento Fidei*, P. 3. cap. 12. „ „ Accipiunt (*inquit*) & Calicem cum vino, & Patenam cum Hoſtiis de manu Epiſcopi; quatenus his Inſtrumentis poteſtatem ſe accepiſſe agnoſcant, placabiles Deo Hoſtias offerendi „ „. Eodem modo loquitur Magiſter Sententiarum lib. 4. diſt. 24. *S. Thomas* eadem diſt. q. 1. art. 3. aliter cenſet. „ „ Per manus impoſitionem (*inquit*) datur plenitudo gratiæ, per quam ad magna Officia ſunt idonei; & ita ſolis Diaconibus, & Sacerdotibus fit manus impoſitio; quia eis competit diſpenſatio Sacramentorum; quamvis uni ut principali, alteri ſicut miniſtro; ſed unctione ad aliquod Sacramentum tractandum conſecrantur; & ideo Unctio ſolis Sacerdotibus fit, qui propriis manibus Corpus Chriſti tangunt. Sed poteſtatis collatio fit per hoc, quod datur eis aliquid quod ad proprium actum pertinet; & quia principalis actus Sacerdotis eſt conſecrare Corpus, & Sanguinem Chriſti, ideo in ipſa datione Calicis ſub forma verborum determinata caracter Sacerdotalis imprimitur „ „. Ut ut eſt de ſcholaſtica illa quæſtione, cum romanum Pontificale hunc ritum præſcribat, & traditionem illam inſtrumentorum, verbaque præſcripta: *Accipe poteſtatem*, &c. partialis ſaltem materiæ, ac formæ vices in ordinatione Sacerdotali habere Theologi vulgo doceant, poſt *Eugenium IV.* in Decreto pro inſtructione Armenorum, ad materiæ, formæque integritatem illa pertinere cenſendum eſt, Chriſtus ſcilicet materias, & formas Ordinationum ſacrarum in genere tantum ſic inſtituiſſe, Theologis pleriſque doctiſſimis videtur, ut ex Eccleſiæ inſtitutione, ac uſu ſpeciale aliquid pro materia, & forma addi poſſit, cujus omiſſio Ordinationem irritam redderet.

VI. Tandem manibus ſuper ſingulorum capita impoſitis, Epiſcopus hæc verba profert: „ Accipite Spiritum ſanctum, quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis; & quorum retinueritis, retenta ſunt „; eiſ-

eisque cœlestem illam, quam Dominus discipulis suis dedit, peccata retinendi, ac remittendi potestatem tribuit.

Si quis Rituum, qui ad materiam vel formam sacrarum ordinationum pertinent, secundum varias Theologorum opiniones omissus fuerit, Ordinatio non est iteranda, sed Ritus ille ab Episcopo supplendus tempore ad ordines conferendos statuto.

Postrema hæc manuum impositio, hæcque verba illi adjuncta, cum græcis ignota sint, ut ex eorum Euchologiis patet; cum etiam absint ab antiquis Ecclesiæ latinæ Ritualibus ante duodecimum sæculum scriptis, ut probat *Joannes Morinus* p. 3. *De sacris Ordinat.* Exercit. 7. cap. 2. ad substantiam Sacerdotalis ordinationis non pertinent, sed ad materiæ, formæque integritatem. Unde si quis horum rituum, qui ad materiam, vel formam pertinent, secundum varias Theologorum opiniones, in Ordinatione fuisset omissus, v. gr. manuum impositio prima, vel adjuncta Oratio, aut Calicis cum vino, & aqua, & Patenæ cum Hostia traditio, adjunctave formula verborum, aut unctio, aut denique manuum impositio postrema, vel hæc verba ipsam concomitantia: *Accipite Spiritum sanctum*, &c. supplere deberet Episcopus, quod in Ordinatione fuisset incaute prætermissum, ut colligitur ex c. *Pastoralis*, & ex c. *Presbyter*, Extra. *De Sacramentis non iterandis*, quod *Greg. IX.* Rescriptum est. „„ Presbyter (*inquit*) & Diaconus cum ordinantur, manus impositionem tactu corporali, ritu ab Apostolis introducto, recipiunt; quod, si omissum fuerit, non est aliquatenus iterandum, sed statuto tempore ad hujusmodi Ordines conferendos, caute supplendum, quod per errorem extitit prætermissum „„.

§. III. *De sacerdotalis Ordinis dignitate, & excellentia.*

Sacerdotalis Ordinis dignitas, & excellentia ex ejus Officio intelligitur, quod in eo positum est, ut circa Corpus Christi versetur. Est autem Corpus Christi duplex: *Verum*, quod a Sacerdote consecratum offertur in Altari, ac sumere volentibus distribuitur; & *Mysticum*, quod est Ecclesia, (ut superius diximus.) *Unus enim panis, unum corpus multi sumus, qui de uno pane participamus.* Circa utrumque versatur

1. Cor. 10.

tur Sacerdotis officium, cui varia, & multiplex poteſtas conceditur. Nam quod attinet ad verum Chriſti Corpus, datur illi poteſtas conſecrandi, offerendi, & iis, qui ſumere volunt, diſtribuendi; idque ex inſtitutione Chriſti, qui in Cœna illa noviſſima Sacerdotes inſtituens ſecundum ordinem Melchiſedech, ac dicens: *Hoc facite in meam commemorationem*, poteſtatem hanc illis largitus eſt. Quod vero attinet ad myſticum Chriſti Corpus, ſcilicet Eccleſiam, datur illis poteſtas baptizandi, datur illis poteſtas abſolvendi. Apoſtolus 1. ad Corin. 4. vocat Sacerdotes *Miniſtros Chriſti, & Diſpenſatores Myſteriorum Dei.* Quale ſit autem Sacerdotis Miniſterium, docet 2. ad Cor. 5. cum ait: *Deus nos reconciliavit ſibi per Chriſtum, & dedit nobis miniſterium reconciliationis. Quoniam quidem Deus erat in Chriſto mundum reconcilians ſibi, & non reputans illis delicta ipſorum, & poſuit in nobis verbum reconciliationis. Pro Chriſto enim legatione fungimur, tanquam Deo exhortante per nos. Obſecramus pro Chriſto. Reconciliamini Deo.* Hoc legationis munus tunc mandavit Chriſtus Apoſtolis, & eorum Succeſſoribus, cum poſt iteratam ſalutationem, *Pax vobis*, dixit: *Sicut miſit me Pater, & ego mitto vos.* Quomodo enim, vel ad quid miſit Filium Pater, niſi ut inter Deum, & homines pacem faceret? Ad hoc igitur ipſum ſuos in univerſum orbem Filius miſit Sacerdotes, & Epiſcopos, ut eorum Miniſterio reconciliarentur Deo, ſi qui ſe ab illo disjunxiſſent, peccatiſque ſuis eum offendiſſent. Quamobrem repetita vice dixit: *Pax vobis*, ut indicaret, & pacem ſe feciſſe illis, & pacem ſe per illos mittere nobis. Sacerdos igitur nihil aliud eſt, quam Chriſti legatus; qua etiam ex cauſa dictus eſt a Propheta: *Angelus Domini exercituum.* Quando autem Chriſti legatum dicimus eſſe Sacerdotem, & capitis, & corporis legatione fungi intelligimus. *Totus enim Chriſtus Caput, & Corpus*, ut ſæpe *S. Auguſt.* inculcat. Pro Chriſto capite legatione fungitur Sacerdos, quando ex loco ſuperiore verba facit ad populum, & Chriſti

Divinum Sacerdotum miniſterium.

Diſpenſatores Myſteriorum Dei.

Jo. 20. 21.

Sacerdotes Chriſti Legati.

Malach. 2.

Capitis, & Corporis legatione funguntur.

Dei, ac Salvatoris noſtri voluntatem explicat; ſimul obſecrat Chriſti nomine, ut vitia ſua deteſtati, atque ab illis averſi, Deo reconcilientur. Pro Chriſti Corpore, id eſt, Eccleſia, legatione fungitur, quando ſtans ad Altare, eam, quæ per fuſum pro nobis in Cruce Chriſti Sanguinem facta eſt, reconciliationem Deo Patri offerens, ſupplex rogat nomine totius Eccleſiæ, ut illius reconciliationis virtute populo ſuo propitius eſſe, ac fructum illius ipſi applicare velit. Sic *Jeremiæ* 42. legimus, quod miſſus fuerit ab univerſo populo, ut oraret pro illis ad Dominum Deum ſuum, illiſque Dei nomine annuntiaret viam, per quam pergerent. *Et dixerunt ad Jeremiam: Sit Dominus inter nos teſtis veritatis, & fidei, ſi non juxta omne verbum, in quo miſerit te Dominus Deus tuus ad nos, ſic faciemus. Sive bonum eſt, ſive malum, voci Domini Dei noſtri, ad quem mittimus te, obediemus, ut bene ſit nobis, cum audierimus vocem Domini Dei noſtri.* Sic ille deferebat preces populis ad Deum, & viciſſim populo voluntatem Dei annuntiabat. Hinc Sacerdotem *Mediatorem Dei, & hominum* SS. Patres appellant, *Hieronymus* ſcilicet in cap. 1. Malachiæ, *Chryſoſtomus* Hom. 5. De verbis Iſaiæ, & lib. 3. De Sacerdotio, *Ambroſius* Ep. ad Eccleſiam Vercellenſem. *Cyrillus Alexandrinus* lib. 2. De recta Fide ad Reginas. *S. Auguſt.* Ep. 149. alias 69. ad *Paulinum*, reſpondens quintæ quæſtioni: „ Tunc (*inquit*) Anti„ ſtites velut Advocati, ſuſceptos ſuos per manus „ impoſitionem miſericordiſſimæ offerunt poteſtati „. Summus Pontifex *Cœleſtinus I.* Ep. 1. cap. 9. „ „ Cum ſanctarum (*inquit*) plebium Præſules mandata ſibi legatione funguntur, apud divinam clementiam humani generis cauſam agunt; & tota ſecum congemiſcente Eccleſia poſtulant, & precantur, ut infidelibus donetur Fides, &c „ „. Sacerdos itaque reconciliationis eſt miniſter, non ſolum cum prædicat Evangelium, verum etiam cum baptizat, cum pœnitentem abſolvit, cum Euchariſtiæ Sacramentum porrigit, cum orat pro peccatis populi,

Sacerdos Dei, & hominum veluti mediator.

puli, cum Corporis, & Sanguinis Christi Sacrificium offert, agitque, ut commissus sibi populus reconciliationis in Cruce factæ fructum consequi possit Verus tamen Mediator, & reconciliator Christus est, cui dictum est: *Tu es Sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech*; ille, de quo dictum est, quod *Factus est propitiatio pro peccatis nostris.* Ille est, qui baptizat, qui peccata remittit, qui reconciliat, qui interpellat pro nobis. Ille est, qui offert Corporis, & Sanguinis sui Sacrificium in Altari, ipse Sacerdos, & Sacrificium, unum cum eo, qui offertur, unum cum iis, pro quibus offertur; ut minime diversum sit illius a nostro Sacerdotium, & Sacrificium. Sicut enim Episcopi, & ejus Vicarii unum tribunal esse dicitur, sic omnium Sacerdotum, & Christi unum Sacerdotium, unum Sacrificium est. Sicut igitur in prædicando Evangelio non est Sacerdotis, nisi ministerium; non enim Sacerdos est, qui loquitur, sed Spiritus Patris cœlestis, qui loquitur in illo; quod etiam testatur *S. Paulus* dicens: *An experimentum quæritis ejus, qui loquitur in me Christus?* Sicut in baptizando non est Sacerdotis nisi ministerium; solus enim Christus vere baptizat, & a sordibus abluit peccatorum, de quo dictum est in Evangelio: *Hic est, qui baptizat.* Sicut in remittendis peccatis non est Sacerdotis, nisi ministerium; recte enim dixerunt: *Quis potest dimittere peccata, nisi solus Deus?* Sic in consecratione, sic in oblatione, sic in distributione Eucharistiæ non est Sacerdotis, nisi ministerium. „ „ Cum Sacerdotem videris offerentem (*inquit S. Joannes Chrysostomus*) ne tu Sacerdotem esse putes hoc facientem, sed Christi manum invisibiliter extensam. *Et alibi*: Non sunt humanæ virtutis hæc opera. Qui tunc in illa Cœna confecit, ipse nunc quoque operatur, ipse perficit. Ministrorum nos ordinem tenemus, qui vero hæc sanctificat, & transmutat, ipse est „„. Hinc *S. Leo* Epist. 60. alias 40. ad *Anatolium* c. 2. scribit: „ „ Aliter in Ecclesia Dei, quæ Corpus est Christi, nec rata sunt Sa-

Psal. 109.

1. Joan. 2.

2. Cor. 13

Joan. 1. 33.

Luc. 1. 21.

Hom. 83. in Matth.

cerdotia, nec vera Sacrificia, nisi in nostræ proprietate naturæ verus nos Pontifex reconciliet, verus immaculati Agni Sanguis emundet. Qui licet in Patris sit dextera constitutus, in eadem tamen carne, quam sumpsit ex Virgine, Sacramentum propitiationis exequitur, dicente Apostolo; *Christus Jesus, qui mortuus est, imo & qui resurrexit, qui est in dextra Dei, qui etiam interpellat pro nobis* „„.

Rom. 8.

Sacerdotum novæ Legis dignitas a S. Chrysostomo explicatur.

Sacerdotum novæ Legis dignitatem præclare demonstrat *S. Joan. Chrys.* in libris *de Sacerdotio*, præsertim lib. 3. Sacerdotium ipsum (*inquit*) in terra peragitur, sed in rerum cœlestium classem, ordinemque referendum est. Quippe non mortalis quisquam, non Angelus, non Archangelus, non alia quævis creata potentia, sed ipse Paracletus ordinem hujusmodi disposuit; qui mortalibus hominibus, etiamnum in carne manentibus auctor fuit, ut Angelorum ministerium animo conciperent. Idcirco necesse est Sacerdotem sic esse purum, ut si in cœlis ipsis collocatus inter cœlestes illas Virtutes medius staret. Terribilia namque, atque horrifica fuisse ferunt, quæ gratiæ tempus præcesserunt; quod genus fuere tintinnabula, mala punica, lapides pectori Sacerdotis, aliique superhumerali ejusdem superpositi, mitra, cidaris, vestis ad pedes usque demissa, lamina aurea, Sancta Sanctorum, ingens intus quies, atque silentium. At vero, si quis ea, quæ gratiæ tempus nobis advexit, examinet, terribilia, atque horrifica, quæ dixi, judicabit esse admodum levia. Nam dum conspicis Dominum immolatum, & Sacerdotem Sacrificio incumbentem, & preces fundentem, tum vero turbam circumfusam pretioso illo Sanguine intingi, etiamne te inter mortales versari, atque in terra consistere censes? An non potius e vestigio in cœlos transferri?.. Ponito ob oculos Eliam, & infinitam turbam circumfusam, & Sacrificium lapidibus superpositum; tum vero aliquos omnes admodum quietos, ac taciturnos, solum autem Prophetam preces fundentem, secundum id flammam de re-

repente e cœlo delapſam, Sacrificiumque ipſum lambentem; mira ſunt iſta profecto, ac ſtupore omni plena. Ab illis ergo Sacris ad noſtra te transfer; nec ea mira modo eſſe videbis, ſed etiam omnem ſtuporem excedentia. Adeſt enim Sacerdos non ignem geſtans, ſed Spiritum ſanctum. Is preces diuturnas fundit, non quo flamma cœlitus delapſa Sacra appoſita abſumat; ſed ut gratia in Sacrificium influens per illud ipſum omnium animos inflammet, & puriores reddat argento igne excocto, purgatoque „ „.

Et infra : „ „ Iis, qui terram incolunt, commiſſum eſt, ut ea, quæ in cœlis ſunt, diſpenſent; iis datum eſt, ut poteſtatem habeant, quam Deus optimus neque Angelis, neque Archangelis datam eſſe voluit. Neque enim ad illos dictum eſt: *Quæcunque alligaveritis in terra, erunt alligata & in cælo; & quæcunque ſolveritis in terra, erunt ſoluta & in cælo.* Matth. 18. Habent quidem & terreſtres Principes vinculi poteſtatem, verum corporum ſolum. Id autem, quod dico Sacerdotum vinculum, ipſam etiam animam contingit, atque ad cœlos uſque pervadit; uſque adeo, ut quæcunque inferne Sacerdotes confecerint, illa Deus ſuperne rata habeat, ac ſervorum ſententiam Dominus confirmet. Etenim quidnam hoc eſſe dicas, niſi omnem rerum cœleſtium poteſtatem illis a Deo conceſſam? *Quorumcunque*, ait, *peccata remiſeritis, remittuntur eis, & quorumcunque retinueritis, retenta ſunt.* Joan. 20. Quænam obſecro poteſtas hac una major eſſe queat? *Pater omne judicium Filio dedit*: Cæterum Joan. 5. 22. video ipſum omne judicium a Deo Filio illis traditum. Nam quaſi jam in cœlum translati, ac ſupra omnem humanam naturam poſiti, atque noſtris ab effectibus exempti, ſic illi ad Principatum iſtum perducti ſunt. Quid multa? Rex aliquis ſi cui ex ſubditis ſuis hunc honorem detulerit, ut poteſtatem habeat quoſcumque velit in carcerem conjiciendi, eoſdemque rurſus laxandi, beatus ille, & admirandus judicio omnium fuerit. At vero, qui a Deo tanto majorem acceperit poteſtatem, quanto cœlum terra

pretioſius eſt, quanto etiam animæ corporibus præſtant, hinc vilem eo uſque dignitatem accepiſſe nonnullis videri debet, ut vel in illorum cogitationem deſcendere queat, reperiri poſſe aliquem ex eorum numero, quibus tanta illa fuerint a Deo concredita, cui ipſi munus ſuum ſordeſcat, quique donum ſibi a Deo datum deſpiciat? .. Inſania manifeſta eſt deſpicere tantum Principatum, ſine quo neque ſalutis, neque promiſſorum bonorum compotes fieri poſſumus. Nam ſi non poteſt quis in Regnum cœlorum ingredi, niſi per aquam, & Spiritum regeneratus fuerit; &, qui non manducat Carnem Domini, & Sanguinem ejus non bibit, æterna vita privatur; omnia autem hæc haud aliter, quam per ſacroſanctas illas manus perficiuntur, manus (inquam) Sacerdotum; qui fiet, ut citra illarum opem gehennæ ignem evitare quis poſſit, aut repoſitæ in cœlo coronæ præmia aſſequi? Hi enim ſunt, quibus tum concreditæ ſunt ſpirituales parturigines; tum etiam Baptiſmatis partus a Deo eſt commiſſus; per hos Chriſtum induimus, una cum Dei Filio ſepelimur, beati illius Capitis membra efficimur; quo nomine Sacerdotes merito non modo vereri plus debemus, quam vel Principes, vel Reges, verum etiam majori honore, quam parentes proprios honeſtare. Hi enim ex ſanguinibus, & voluntate carnis nos genuerunt; illi vero auctores nobis ſunt nativitatis ejus, quam a Deo habemus, beatæ regenerationis illius, libertatis veræ, atque adoptionis ejus: qua nos per gratiam filii Dei ſumus effecti. Corporis lepram purgare, ſeu ut verius dicam, haud purgare quidem, ſed purgatos probare, Judæorum Sacerdotibus ſolis licebat; at vero noſtris Sacerdotibus, non corporis lepram, verum animæ ſordes, non dico purgatas probare, ſed purgare prorſus conceſſum eſt. Quare, qui iſtos deſpiciunt contemnuntque, multo ſceleratiores, ac majori ſupplicio digni fuerint, quam Datham una cum ſuis omnibus. Illi enim, tametſi Principatum ad ſe non ſpectantem ſibi vindicabant, tamen

Joan. 3. & 6.

mi-

miram quamdam de eo Principatu opinionem animo conceperant; id quod declaravit ingens rei concupitæ ſtudium. Hi autem tum cum jam ſacerdotalis Honos incrementum, ornatum, præſtantiam magnam accepit, contra quam illi, ſed tamen multo majora audent. Neque enim perinde eſt ad deſpicientiæ rationem ſubducendam, honorem aliquem indebitum appetere, & tot, tamque bona faſtidire; verum facinus hoc tanto eſt illo gravius, quanto inter ſe diſſident intervallo faſtidium, & admiratio „„.

Sacerdotes contemnere quam periculoſum.

Quam vero periculoſum ſit Sacerdotes contemnere, aut ob pravos mores eorum dignitati, & auctoritati inſultare, *S. Joan. Chryſoſt.* rurſus exponit Hom. 2. in ſecundam Epiſtolam ad Timotheum. „„ Hæc eſt (*inquit*) malorum omnium cauſa, quod Rectorum auctoritas periit, nulla illis reverentia habetur, nullus honor, nullus metus. *Obedite*, inquit, Heb. 13. 17. *Præpoſitis veſtris, & ſubditi eſtote illis.* At nunc perverſa, & confuſa ſunt omnia. Neque iſtud Præpoſitorum gratia dico. Quid enim illi de noſtro honore lucrantur, niſi in quantum obtemperantes habebunt, idque pro utilitate noſtra? Hi enim licet honorentur, nihil ex honore in futurum lucrantur, majoremque damnationem inde ſuſcipiunt. Et ſi patiuntur injurias, nihil ex eis detrimenti in futurum acquirunt; imo & meritorum illis accedit cumulus, atque defenſio. Noſtri denique cauſa cuncta illi faciunt. Nam ſive honorantur a ſubditis, & hoc illis fieri jubet, quemadmodum dicebat Heli: *Aſſumpſi* 1. Reg. 2. *te de domo patris tui;* Sive injuriis afficiantur, hoc in ſe Deus ipſe perpetitur, ſicut ad Samuelem ait; *Non te ſpreverunt, ſed me.* Itaque illis contumelia lucrum, honor vero onus eſt; non ergo hæc illorum gratia, ſed veſtri cauſa dico: Qui honorat Sacerdotem, Deum quoque honorat; qui vero Sacerdotem ſpernit, ad id ſenſim prolabitur, ut in Deum ipſum contumelioſus evadat; *Qui vos*, inquit, *ſuſcipit, me ſuſcipit. Et Sacerdotes*, ait, *ejus in honore habete.* Hinc Matth. 10. Judæi Deum ſpernere didicerunt, quia Moſen con-

Num. 16. tempſere, & lapidibus impetebant. Nam qui pie erga Sacerdotem afficitur, majore pietate Deum reverebitur. Etſi enim malus fuerit Sacerdos quilpiam, attendit Deus, quod ſui gratia illum etiam, qui dignus honore non eſt, obſequiis foveas, ipſeque tibi
Matth. 10. præmia exſolvet. Si enim, qui Prophetam in nomine Prophetæ ſuſcipit, mercedem Prophetæ accipiet; profecto & qui cedit, & obtemperat Sacerdoti, mercede ſua non deſtituetur. Nam ſi ubi de hoſpitalitate agitur tantum, ubi quem ſuſcipis, ignoras, tantum præmiorum accipis; ſi ei ſubjiciaris, cui imperat Deus, non multo magis mercede donaberis?
Matth. 23. *Super Cathedram* (inquit) *Moyſis ſederunt Scribæ, & Phariſæi; omnia ergo quæcunque dixerint vobis, facite, ſecundum autem opera eorum ne faciatis.* An ignoras, quid ſit Sacerdos? Angelus utique Domini eſt. Non ex ſeipſo loquitur; ſi deſpicis, non illum deſpicis, ſed Deum, qui illum ordinavit. Sed unde, inquies, conſtat, Deum fuiſſe illius Ordinationis auctorem? Nempe ſi tu hanc habeas opinionem, ſpes tua inanis facta eſt. Nam ſi nihil per illum operatur Deus, neque Lavacrum habes, neque Myſteriorum particeps es, neque benedictionibus frueris. Non ergo Chriſtianus es. Quid ergo? Deus omnes ordinat, etiam indignos? Non omnes quidem ille ordinat, per omnes tamen operatur, ſalutem populi moliens,
Num. 23. non illorum intuens merita. Nam ſi per aſinæ os, ſi per Balaam ſceleſtum hominem populi cauſa locutus eſt, multo magis loquitur per Sacerdotem plebis ſuæ gratia. Quid enim non agit Deus ſalutis noſtræ cauſa? Quid non loquitur? Per quem non operatur? Si enim per Judam operatus eſt, & per
Matth. 7. Prophetas, quibus dicturus eſt: *Non novi vos, diſcedite a me, qui operamini iniquitatem*; perque illos, qui dæmones in nomine ſuo ejecerunt; non magis per Sacerdotes divino Miniſterio famulantes operabitur? Namque ſi præpoſitorum vitas diſcutere pergimus, ipſi Doctores noſtros ordinare contendimus, perverſoque ordine naturali, quæ ſupra ſunt, infra

eſſe

esse volumus, ut superius pedes, inferius vero sit caput. Audi, quid Paulus dicat: *Mihi autem pro minimo est, ut a vobis judicer, aut ab humano die.* Et iterum: *Tu quid judicas fratrem tuum?* Si fratrem judicare non expedit, quanto minus Magistrum? Insurrexerunt adversus Aaron, post Vituli formatam effigiem, Core, Datham, & Abiron. Quid ergo, nonne illi periere? Quilibet, quæ ad se pertinent, solicite curet. Nam si quidem fidei dogma pervertat, etiamsi Angelus sit, obedire noli; sin vero recta docet, noli vitæ, sed verbis intendere „ „. Cor. 4. Rom. 14.

ARTICULUS VIII.

De Episcopatu.

Episcopalis Ordo an sit a Presbyterali distinctus.

I. Episcopatus est apex, & consummatio Sacerdotii, sive summum, perfectumque Sacerdotium. An sit Ordo a Presbyteratu distinctus, Theologi disputant. Affirmanti sententiæ favere videtur Apostolus 1. *ad Timotheum* 4. & 2. *ad Timotheum* 1. ubi *Timotheum* admonet, ut gratiam in Episcopatus inauguratione acceptam non negligat, sed resuscitet. Patres quoque sententiam illam confirmant *S. Epiphanius* Hæresi 75. *Aerium* Hæresiarcham refellit asserentem, unum esse Ordinem Episcopi, & Presbyteri. Quamquam non idem sit sensus Theologorum id asserentium, ac *Aerii.* Illi enim Episcopos jure divino Presbyteris superiores esse propugnant, quod fides docet; *Aerius* vero nullum esse discrimen inter Episcopum, & Presbyterum pertinaciter contendebat, sed in omnibus æquales esse, & Ordine, honore, dignitate, potestate pares.

Episcopalis Ordinatio a cæteris distincta.

Concilium Carthaginense 4. sacrarum Ordinationum ritum describens, Ordinationem Episcopalem, ut a cæteris distinctam imprimis commemorat Can. 2. „ „ Episcopus cum ordinatur, duo Episcopi ponant, & teneant Evangeliorum Codicem super caput, & cervicem ejus, & uno super eum fundente Benedictionem, reliqui omnes Episcopi, qui adsunt, manibus suis caput ejus tangant „ „.

S. Leo Epist. 12. alias 84. ad *Anastasium* Episcopum Thessalonicensem cap. 4. Episcopalem Ordinem a Presbyterali distinguit, ubi de continentiæ lege Subdiaconis imposita sic loquitur: „ „ Quod si in hoc Ordine, qui quartus a capite est, dignum est custodiri; quanto magis in primo, aut secundo, vel tertio servandum est, ne aut Levitico, aut Presbyterali honore, aut Episcopali excellentia quisquam idoneus æstimetur, qui se a voluptate uxoria necdum frenasse dignoscitur „ „?

Episcopali consecratione tribuitur Spiritus sanctus.

Romanum Pontificale docet, Episcopali consecratione tribui Spiritum sanctum; siquidem Consecrator, & assistentes Episcopi, ambabus manibus caput consecrandi tangunt, dicentes: *Accipite Spiritum sanctum.* Singularis etiam, & excellens quædam potestas spiritualis Episcopo tribuitur, quæ Presbytero simplici non convenit, scilicet potestas conferendi Sacramenta Confirmationis, & Ordinis; quæ potestas non jurisdictionis duntaxat, verum etiam Ordinis est, adeoque novus Caracter.

Episcopi jure divino Presbyteris superiores.

II. Sed utut se habeat Quæstio illa, quam Ecclesia scholasticis disputationibus permittit, utrum Caracter Episcopalis novus omnino sit, an solum sacerdotalis Caracteris extensio, Dogma fidei est, Episcopos jure divino Presbyteris esse Superiores, quod Scripturæ sacræ testimoniis, & continua Traditionis serie probavimus Dissertatione singulari *De Episcoporum supra Presbyteros eminentia*, adversus *Blondellum* magni inter Calvinianos nominis auctorem, qui veterem *Aerii* errorem de Episcopi, & Presbyteri æqualitate propugnavit edito libro, quem inscripsit, *Apologia S. Hieronymi.* Nunc autem argumenta repetere, quibus dogma illud catholicum adstruximus, minime opus est. In memoriam revocare sufficit *S. Epiphanii* verba Hæresi 75. ubi de *Aerio* sic loquitur: „ „ Est (*inquit*) illius dogma supra hominis captum furiosum, & immane: Quanam, inquit, in re Presbytero Episcopus antecellit? Nullum inter utrumque discrimen est. Est enim amborum unus Ordo

par

par & idem honor, ac dignitas „„. Parem itaque dignitate, & honore Episcopo Presbyterum asserere, hæresis est, quam in Aerio Ecclesia exhorruit, & damnavit. Illam autem stoliditatis plenam, ut vocat, sententiam hac ratione refellit S. Epiphanius: „„ Episcoporum Ordo ad gignendos Patres præcipue pertinet. Hujus enim est Patrum in Ecclesia propagatio. Alter, cum Patres non possit, filios Ecclesiæ Regenerationis lotione producit; non tamen Patres, aut Magistros. Quinam fieri potest, ut is Presbyterum constituat, ad quem creandum manuum imponendarum jus nullum habeat? Aut quomodo Presbyter Episcopo dici potest æqualis „„? Itaque jus ordinandi Presbyteros solis Episcopis convenire, non vero simplicibus Presbyteris, *S. Epiphanius* cum Ecclesia sui temporis credebat, dogmaque istud tanquam Catholicum contra *Aerium* propugnabat.

Et ante *S. Epiphanium* Alexandrina Synodus in causa *S. Athanasii* congregata, in Epistola Synodica *Ischyram* Presbyterum non fuisse ex eo probat, quod a *Collutho* ordinatus esset, qui non erat Episcopus, sed simplex Presbyter, adeoque Sacerdotes ordinare non poterat. Agnoscit proinde laudata Synodus ordinandi potestatem divino jure solis Episcopis convenire, nec a Presbyteris consecrari posse tam Episcopos, quam Presbyteros.

Quamobrem sacra Synodus Tridentina sess. 23. declarat. „„ Præter cæteros ecclesiasticos gradus, Episcopos, qui in Apostolorum locum successerunt, ad Hierarchicum Ordinem præcipue pertinere; & positos, sicut Apostolus ait, a Spiritu sancto, regere Ecclesiam Dei; eosque Presbyteris superiores esse; ac Sacramentum Confirmationis conferre, Ministros Ecclesiæ ordinare; atque alia pleraque peragere ipsos posse; quarum functionum potestatem reliqui inferioris Ordinis nullam habent „„. Act. 20.

Et Can. 7. „„ Si quis dixerit, Episcopos non esse Presbytero superiores; vel non habere potestatem confirmandi, & ordinandi; vel eam quam habent,

illis

illis esse cum Presbyteris communem... Anathema sit „ „.

Objectio ex S Hieronymo petita diluitur.

Objicitur *S. Hieronymi* testimonium Commentario in cap. 1. Epistolæ ad *Titum*, ubi explicans hæc verba. *Et constituas per civitates Presbyteros*, &c. *Oportet enim Episcopum sine crimine esse*, hæc habet: „ „ Idem est ergo Presbyter, qui & Episcopus, & antequam diaboli instinctu studia in Religione fierent, & diceretur in populis: *Ego sum Pauli*, *ego Apollo*, *ego autem Cephæ*, communi Presbyterorum consilio Ecclesiæ gubernabantur. Postquam vero unusquisque eos, quos baptizaverat, suos esse putabat, non Christi, in toto orbe decretum est, ut unus de Presbyteris electus superponeretur cæteris, ad quem omnis Ecclesiæ cura pertineret, ut schismatum semina tollerentur. *Et infra*: Eosdem fuisse Presbyteros apud veteres *asserit*, quos & Episcopos; paulatim vero, ut dissensionum plantaria evellerentur, ad unum omnem solicitudinem esse delatam. Sicut ergo Presbyteri sciunt se ex Ecclesiæ consuetudine ei, qui sibi Præpositus fuerit, esse subjectos; ita Episcopi noverint se magis consuetudine, quam dispositionis dominicæ veritate, Presbyteris esse majores, & in commune debere Ecclesiam regere, imitantes Moysen, qui cum haberet in potestate solus præesse populo Israel, septuaginta elegit, cum quibus populum judicaret „ „.

1. Cor. 1.

Respondetur, apud veteres eosdem Presbyteros fuisse, quos & Episcopos, nomine quidem, non ordine, non dignitate, non jurisdictione. Communia namque primi, & secundi ordinis Sacerdotibus tunc erant nomina, ut Episcopi vocabulo Presbyterorum, & Presbyteri vocabulo Episcoporum significari tunc solerent; quamvis magna inter illos esset ordinis, ac dignitatis differentia. Id ipsa *S. Hieronymi* verba significant: „ Sed quia eosdem Episcopos illo tempore, quos & Presbyteros, appellabant, propterea indifferenter de Episcopis, quasi de „ Presbyteris est locutus „. Duplici autem ratione

supra

ſupra Presbyteros eminuerunt ſemper Epiſcopi, poteſtate ſcilicet ordinis, qua Presbyteros, & Epiſcopos alios ordinare poſſunt, ſive *Patres Eccleſiæ gignere* (ut loquitur *S. Epiphanius.*) Secundo, poteſtate juriſdictionis, quæ in Eccleſiæ regimine poſita eſt; ratione cujus leges ferre, ſancire diſciplinam, ab Eccleſiæ liminibus publicos peccatores, & adverſus Eccleſiam perduelles arcere, lapſis pœnitentiam imponere, pœnitentes communione donare, caſus ſibi reſervare, ab iiſque abſolvere, indulgentias concedere, Chriſtianæ plebis mores reformare poſſunt. Quoad utramque poteſtatem ſuperiores ſemper fuiſſe Presbyteris Epiſcopos, etiam in Eccleſiæ incunabulis, *S. Hieronymus* agnovit. Quod vero ſpectat juriſdictionis uſum, non eadem fuit ab initio, quæ ſecutis temporibus, Eccleſiæ diſciplina, & Epiſcoporum ſupra Presbyteros eminentia. Tunc enim communi Presbyterorum conſilio Eccleſiæ regebantur, & res eccleſiaſticæ adminiſtrabantur; nihilque decernebatur niſi ex ipſorum ſuffragiis, & ex communi totius Senatus eccleſiaſtici ſententia; ſed hæc regiminis forma immutata eſt occaſione ſchiſmatum, & ad unum delata omnis ſolicitudo eſt. Igitur quoad externam illam Eccleſiæ gubernationem, & rerum ipſius adminiſtrationem, atque juriſdictionis uſum diſpoticum, *Magis Eccleſiæ conſuetudine, quam diſpoſitionis dominicæ veritate*, Presbyteris eſſe majores Epiſcopos *S. Hieronymus* aſſerit, non quoad ordinem, aut juriſdictionem ipſam. Unde ſubdit, eos „ In communi „ debere Eccleſiam regere, imitantes Moyſen, qui „ cum haberet in poteſtate ſolus præeſſe populo „ Iſrael, ſeptuaginta elegit, cum quibus populum „ judicaret „. Ex quibus verbis, & exemplo colligitur, poteſtatem ſummam regendæ Eccleſiæ, & juriſdictionem ampliſſimam, cum in plebem chriſtianam, tum in ipſum Presbyterorum, Clerique totius Collegium, Epiſcopis inſtitutione divina fuiſſe conceſſam, quamvis eam cum ſecundi ordinis Sacerdotibus communicarent primis Eccleſiæ temporibus;

ſicut

ſicut Moyſes collatam divinitus Auctoritatem, cum in populum univerſum, tum in ſeptuaginta ipſos Seniores habuit, quamvis illos in conſortium juriſdictionis ſuæ, ac regiminis partem aſciverit.

Ex his facile explicatur *S. Hieronymi* locus alter, ſcilicet Epiſt. 75. *ad Evagrium*, in qua ſcribit: „„ Apoſtolum diſerte docere eoſdem eſſe Presbyteros, quos & Epiſcopos. Quod autem poſtea unus electus eſt, qui cæteris præponeretur, in ſchiſmatis remedium factum eſt, ne unuſquiſque ad ſe trahens Eccleſiam Chriſti rumperet „„. Eoſdem enim Epiſcopos eſſe, quos & Presbyteros nominetenus, non ordine, dignitate, juriſdictione, Apoſtolus docet, ex *S. Hierooymi* ſententia. Quod *S. Hieronymo* ſatis erat ad vecordis illius hominis temeritatem refellendam, qui Diaconos Presbyteris anteferebat.

Cum autem ait *S. Hieronymus*, In ſchiſmatis remedium factum eſſe, ut unus ex Presbyteris electus cæteris præponeretur, ſpectat rerum Eccleſiaſticarum adminiſtrationem, quæ ſchiſmatum occaſione tota ad unum delata eſt Epiſcopum, cum antea toti Presbyterorum collegio cum Antiſtite communis eſſet. Quamobrem inſoleſcere non debere Diaconos colligit, propterea quod Eccleſiaſticorum bonorum Oeconomi, & diſpenſatores eſſent, aut quod ad ipſorum teſtimonium Presbyteri ordinarentur; quia utcumque ſe haberet Eccleſiæ in rebus diſciplina, certum erat, Presbyteros, quos Apoſtolus Epiſcoporum nomine deſignavit, eſſe Diaconis ordine ſuperiores; cum ex Diaconis Presbyteri, non ex Presbyteris Diaconi ordinentur.

At (inquiunt) S. Hieron. teſte: „„ Alexandriæ a Marco Evangeliſta, uſque ad Heraclam, & Dionyſium Epiſcopos, Presbyteri ſemper unum ex ſe electum in excelſiori gradu collocatum, Epiſcopum nominabant; quomodo ſi exercitus Imperatorem faciat; aut Diaconi eligant de ſe, quem induſtrium noverint, & Archidiaconum vocent „„. Quod abſque nova inauguratione, ſive ordinatione factum col-

colligitur, tum ex eo, quod *S. Hieronym.* novæ ordinationis non meminit; tum quia Presbyter ita fiebat Episcopus electione Compresbyterorum, sicut miles, vel tribunus fiebat Imperator electione Commilitonum; & Diaconus creabatur Archidiaconus Condiaconorum nominatione; quibus in creationibus ritus alius ab electione necessarius non erat, ut his dignitatibus fruerentur.

Respondetur, novam semper Ordinationem interceſſiſſe, qua electus a Compresbyteris inauguraretur Episcopus. Idque *S. Hieronymus* satis innuit, cum singularem ad quædam effecta potestatem agnoscit in Episcopis, quæ Presbyteris non conveniat, scilicet, ad sacras Ordinationes. *Quid enim facit, excepta Ordinatione, Episcopus, quod Presbyter non faciat?* (inquit ille.) Secundo, Episcopos *Apostolorum Succeſſores* ibidem vocat. Quamobrem sicut Apostoli superiores erant Presbyteris, quos ordinabant, non humana institutione, sed Christi ipsos cum summa potestate mittentis, eisque Ecclesiæ suæ propagandæ, & regendæ provinciam demandantis; ita Episcopi jure divino superiores sunt Presbyteris. Tertio, hanc ad *Evagrium* Epistolam *S. Hieronymus* his verbis concludit: „ „ Et, ut sciamus traditiones apostolicas sumptas de veteri Testamento; quod Aaron, & filii ejus, atque Levitæ in templo fuerunt; hoc sibi Episcopi, & Presbyteri, & Diaconi vindicent in Ecclesia „ „. Quibus verbis Episcopus cum Aarone, Presbyteros cum filiis Aaronis componit. Nemo porro parem potestatem Aaronis, qui Sacerdos maximus, sive Pontifex fuit, & filiorum ejus, qui Sacerdotes tantum erant, fuisse dixerit. Quarto, Episcoporum supra Presbyteros eminentiam inter *Traditiones apostolicas* S. Hieronymus ibidem recenset. Quinto, in Dialogo adversus Luciferianos *S. Hieronymus* ait: „ „ Ecclesiæ salus in summi Sacerdotis dignitate pendet, cui si non exsors quædam, & ab hominibus eminens detur potestas, tot erunt in Ecclesia schismata, quot Sacerdotes „ „. Si Ecclesiæ salus ex summi

Sa-

Sacerdotis, & ſingularis Epiſcopi eminentiorem poteſtatem habentis dignitate pendet, non ſatis providiſſet Eccleſiæ ſuæ Chriſtus Dominus, niſi ſummos Sacerdotes, id eſt, Epiſcopos, cum eminenti illa poteſtate inſtituiſſet.

Idem confirmat lib. 1. *Adverſus Jovin.* cap. 19. „ „ Epiſcopus (*inquit*) & Presbyter, & Diaconus, non ſunt meritorum nomina, ſed officiorum; nec dicitur, ſi quis Epiſcopatum deſiderat, bonum deſiderat gradum, ſed, bonum opus deſiderat; quod in majori ordine conſtitui poſſit, ſi velit occaſionem exercendarum habere virtutum, ... Non percuſſorem. Neque enim pugilem deſcribit ſermo Apoſtolicus, ſed Pontificem inſtituit „ „.

Epiſtola denique 54. ad *Marcellam*, hoc inter Catholicos, & Montaniſtas diſcrimen ponit: *Apud nos Apoſtolorum locum Epiſcopi tenent; apud eos Epiſcopus tertius eſt.*

Creationem porro Imperatoris ex militibus, & Archidiaconi ex Diaconis, cum Epiſcopi creatione ex Presbytero, *S. Hieron.* in eo tantum comparat, quod ſicut olim ex corpore exercitus eligebantur Imperatores, & ex Diaconorum ordine eligebantur Archidiaconi; ita ex Presbyterorum collegio crearentur Epiſcopi; non vero in eo, quod ſola electione, & abſque nova Ordinatione ad hanc dignitatem promoverentur.

Epiſcoporum officia.

III. Epiſcoporum officia Pontificale romanum explicat his verbis: *Epiſcopum oportet judicare, interpretari, conſecrare, ordinare, offerre, baptizare, & confirmare.*

Evangelii prædicatio præcipuum Epiſcoporum munus.

Præcipuum Epiſcoporum munus eſt Evangelii prædicatio. Unde ſacra Synodus Tridentina ſeſſ. 5. *de Reformatione*, cap. 11. ſtatuit, & decrevit: „ „ Omnes Epiſcopos, Archiepiſcopos, Primates, & omnes alios Eccleſiarum Prælatos teneri per ſe ipſos, ſi legitime impediti non fuerint, ad prædicandum ſanctum Jeſu Chriſti Evangelium. *Et Seſſ.* 24. de Reformatione, *c.* 4. Prædicationis munus, quod Epiſcopo-

ſcoporum præcipuum eſt, cupiens ſancta Synodus, quo frequentius poſſit ad Fidelium ſalutem exerceri, mandat, ut in Eccleſia ſua ipſi per ſe, aut ſi legitime impediti fuerint, per eos, qui Prædicationis munus aſſument; in aliis autem Eccleſiis per Parochos, ſive iis impeditis, per alios ab Epiſcopo, impenſis eorum, qui eas præſtare tenentur, vel ſolent, deputandos in Civitate, aut in quacumque parte Diœceſis cenſebunt expedire, omnibus Dominicis, & ſolemnibus diebus Feſtis; tempore autem jejuniorum Quadrageſimæ, & Adventus Domini quotidie, vel ſaltem tribus in hebdomada diebus, ſi ita oportere duxerint, ſacras Scripturas, divinamque Legem annuntient; & alias quotieſcumque id opportune fieri poſſe judicaverint „ „.

Diœceſis Viſitatio.

Unum etiam ex præcipuis Epiſcopi muneribus eſt Diœceſis Viſitatio, quam per ſe ipſos, aut ſi legitime impediti fuerint, per ſuum generalem Vicarium, aut Viſitatorem, quolibet ſaltem biennio obire, compleréque debent, ſi quotannis ob Diœceſis amplitudinem perfici non poſſit, ut decernit ſacra Synodus Trid. ſeſſ. 24. *De Reform.* cap. 3. Ut autem executio Viſitationis quoad ea, quæ morum emendationem ſpectant, nulla ratione ſuſpendi, vel retardari poſſit, eadem ſacra Synodus cap. 10. ſtatuit, ut „„ Epiſcopi in omnibus iis, quæ ad Viſitationem, ac morum correctionem ſubditorum ſpectant, jus & poteſtatem habeant, etiam tanquam Apoſtolicæ ſedis Delegati, ea ordinandi, moderandi, puniendi, & exequendi, juxta Canonum ſanctiones, quæ illis ex prudentia ſua, pro ſubditorum emendatione, ac Diœceſis ſuæ utilitate neceſſaria videbuntur. Nec in his ubi de Viſitatione, aut morum correctione agitur, Exemptio, aut ulla Inhibitio, Appellatio, ſeu querela, etiam ad ſedem Apoſtolicam interpoſita, executionem eorum, quæ ab iis mandata, decreta, aut judicata fuerint, quoquo modo impediat, aut ſuſpendat „„.

CAPUT II.

De Hierarchia Ecclesiæ.

ARTICULUS I.

Quid sit Hierarchia.

Hierarchia, secundum Græci vim nominis, est *Sacer Principatus.* Definiri potest *Ordo Præpositorum, & sacrorum Ministrorum ad Ecclesiæ Regimen, & hominum sanctificationem a Christo institutus.* Hanc Hierarchiam in Ecclesia divinitus institutam esse, eamque Episcopis, Presbyteris, & Ministris (quo nomine Diaconi præsertim intelliguntur) constare, dogma fidei est, ut constat ex Concilio Trid. sess. 33. Can. 6. cujus hæc sunt verba: „„ Si quis dixerit, in Ecclesia catholica non esse Hierarchiam divina Ordinatione institutam, quæ constat ex Episcopis, Presbyteris, & Ministris; anathema sit „„.

Hierarchiæ ecclesiasticæ delineationem videre est in genuinis Epistolis *S. Ignatii* Episcopi, & Martyris. In Epistola ad Smyrnæos: „„ Omnes (*inquit*) Episcopum sequimini, ut Jesus Christus Patrem, & Presbyterum, ut Apostolos: Diaconos autem revereamini, ut Dei Mandatum. Nullus sine Episcopo aliquid operetur eorum, quæ conveniunt in Ecclesia. Illa firma gratiarum actio reputetur, quæ sub ipso est, vel quam utique ipse concesserit. Ubi apparet Episcopus, illic multitudo sit; quemadmodum utique ubi est Christus Jesus, illic catholica Ecclesia. Non licitum esse sine Episcopo neque baptizare, neque Agapen facere; sed quod utique ille probaverit, hoc est Deo beneplacitum, ut stabile sit, & firmum omne, quod agitur. Honorans Episcopum, a Deo honoratus est; qui occultans ab Episcopo aliquid operatur, diabolo præstat obsequium „„.

In Epistola ad Polycarpum: „ Unanimis ego cum „ subjectis Episcopo Presbyteris, & Diaconis; & cum „ ipsis mihi pars fiat capere in Deo „„.

In

In Epistola ad Magnesios: „ „ In concordia Dei studete omnia operari; præsidente Episcopo in loco Dei, & Presbyteris in loco confessionis Apostolorum, & Diaconis mihi dulcissimis, habentibus creditam Ministrationem Jesu Christi, qui ante sæcula apud Patrem erat, & in fine apparuit. . . Quemadmodum igitur Dominus sine Patre nihil fecit, unitus existens, neque per se ipsum, neque per Apostolos; sic neque vos sine Episcopo, & Presbyteris aliquid operemini „ „.

In Epistola ad Philadelphios: „ Locutus sum magna voce, Dei voce; Episcopo attendite, & Presbyteris, & Diaconis „.

In Epistola ad Tralleſios: „ „ Necessarium est, quemadmodum facitis, sine Episcopo nihil operari vos; sed subjici & Presbyterio, ut Apostolis Jesu Christi spei nostræ, in quo conversantes inveniamur. Oportet autem, & Diaconos ministros existentes Mysteriorum Jesu Christi, secundum omnem modum omnibus placere. Non enim ciborum, & potuum sunt ministri, sed Ecclesiæ Dei ministri. *Et infra*: Similiter & omnes revereantur Diaconos, & Mandatum Jesu Christi; & Episcopum, ut Jesum Christum, existentem Filium Patris; Presbyteros autem, ut Concilium Dei, & conjunctionem Apostolorum. Sine his Ecclesia non vocatur „ „.

Tres actus hierarchici.

S. Dionysius, lib. *de Ecclesiastica Hierarchia*, cap. 5. tres actus hierarchicos recenset. *Purgare* scilicet, *illuminare*, *perficere*. Et harum quidem functionum primam Diaconis alteram Presbyteris, tertiam Episcopis tribuit. „ „ Est igitur (*inquit*) Pontificatus, seu Episcopatus Ordo, qui consummante virtute fultus perficientia quæque sacri Ordinis munia præeminenter consummat, atque Sacrorum disciplinas, interpretando tradit, & edocet quænam ipsis sacræ competant habitudines, & virtutes. Sacerdotum autem Ordo, qui illuminat, ad sacra Mysteria contuenda initiatos manuducit, divinorum Ordini Pontificum subjectus, cum quo propria sua celebrat Of-

ficia... Verum ordo miniſtrorum, ſeu Diaconorum eſt, qui expiat, antequam ad Sacerdotum ſacra veniant, accedentes etiam luſtrat, ut eos a contrariis immunes reddat, atque ſacrorum Myſteriorum ſpectaculo, & communione dignos „ „.

Tres Ordines hierarchici, Epiſcopi, Presbyteri, Diaconi.

Tres illos Ordines hierarchicos, Epiſcoporum ſcilicet, Presbyterorum, & Diaconorum, Patres reliqui frequenter commemorant. *Tertullianus* libro *de Baptiſmo*, cap. 17. „„ Dandi quidem baptiſmi jus habet ſummus Sacerdos, qui eſt Epiſcopus; dehinc Presbyteri, & Diaconi; non tamen ſine Epiſcopi auctoritate, propter Eccleſiæ honorem, quo ſalvo, ſalva pax eſt „„.

S. Cyprianus, pleraſque Epiſtolas Presbyteris, & Diaconis inſcribit, & Eccleſiam ab Epiſcopo, neque etiam a Presbyteris, & Diaconis ſub ipſo, regi ſignificat. Epiſtola 65. Epiſcopos, & Presbyteros a Chriſto immediate; Diaconos vero mediate, ſcilicet Apoſtolorum ordinatione inſtitutos fuiſſe docet. „„ Meminiſſe autem Diaconi debent (*inquit*) quoniam Apoſtolos, id eſt, Epiſcopos, & præpoſitos Dominus elegit; Diaconos autem poſt Aſcenſum Domini in cœlos Apoſtoli ſibi conſtituerunt Epiſcopatus ſui, & Eccleſiæ miniſtros „„. Id etiam confirmant Epiſtolæ Cleri romani ad *Cyprianum* ipſum de Lapſorum cauſa, ſic inſcriptæ: *Cypriano Papæ Presbyteri, & Diaconi Romæ conſiſtentes, ſalutem.*

Origenes Homilia 2. in Numeros: „„ Putaſne, qui Sacerdotio funguntur, agunt omnia, quæ illo Ordine digna ſunt? Et unde eſt, quod ſæpe audimus blaſphemare homines, & dicere; Ecce qualis Epiſcopus, aut qualis Presbyter, qualis Diaconus „„?

Idem in Pſalmum 35. „ Omnes (*inquit*) Epiſcopi, „ atque omnes Presbyteri, vel Diaconi erudiunt ple„ bem, & adhibent correptiones „.

Et lib. 2. in Epiſtolam ad Romanos, cap. 2. „„ Eccleſiarum (*inquit*) Rectoribus, & Principibus loquitur Apoſtolus, his videlicet, qui judicant eos, qui intus ſunt, id eſt, Epiſcopis, vel Presbyteris, & Diaconibus „„.

Cle-

Clemens Alexandrinus lib. 6. Stromatum: „„ Nam hic quoque (*inquit*) in Ecclesia progressiones Episciporum, Presbyterorum, Diaconorum, sunt (ut arbitror) imitationes, gloriæ angelicæ, & illius oeconomiæ, ac dispensationis, quam dicunt Scripturæ illos expectare, qui insistentes vestigiis Apostolorum, vixerunt in perfectione justitiæ, convenienter Evangelio „„.

Epistola Synodi Antiochenæ contra *Paulum Samosatenum*, apud *Eusebium* lib. 7. *Historiæ ecclesiasticæ*, cap. 30. inscribitur; „ Dionysio & Maximo, & omnibus per universum orbem Comministris nostris; „ Episcopis, Presbyteris, & Diaconis, & universæ „ Ecclesiæ catholicæ, quæ sub cœlo est „.

Constantinus Imperator ad *Eusebium* scribit: „„ Quotquot igitur Ecclesiis aut ipse præes, aut alios in singulis locis præsidentes Episcopos, & Presbyteros, ac Diaconos nosti, cunctos admone, ut in opera Ecclesiarum omni studio, ac diligentia incumbant „„. Refert ipse *Eusebius* lib. 2. *De vita Constantini*, cap. 46.

S. Cyrillus Hierosolymitanus, Catechesi 16. „ Perspice cujuslibet nationis Episcopos, Presbyteros, „ Diaconos, &c „.

S. Optatus Milevitanus lib. 1. *Adversus Parmenianum*, idem confirmat. „„ Quid (*inquit*) commemorem Laicos? Quid plurimos ministros? Quid Diaconos in tertio, quid Presbyteros in secundo Sacerdotio constitutos? Ipsi apices, & Principes omnium Episcopi, &c. *Et lib.* 2. Ut cum sint quatuor genera capitum in Ecclesia, Episcoporum, Presbyterorum, Diaconorum, & Fidelium, &c. *Et infra*: Inveniſtis Diaconos, Presbyteros, Episcopos, feciſtis Laicos „„.

S. Joan. Chrysostomus. Homilia 1. in Epistolam ad Philippenses, explicans hæc verba salutationis, *Coepiscopis, & Diaconis*, ait: „„ Quid hoc? An unius civitatis multi erant Episcopi? Nequaquam, sed Presbyteros isto nomine appellavit. Tunc enim nomina adhuc erant communia, atque ipse etiam Episcopus

vocabatur Diaconus. Idcirco ad Timotheum ſcribens, inquit, *Diaconiam*, id eſt: *Miniſterium tuum imple*, cum tamen ille Epiſcopus eſſet; quod conſtat ex illis verbis ad eumdem ſcriptis: *Manus cito nemini impoſueris*. Et rurſus. *Quæ data eſt tibi cum impoſitione manuum Presbyterii*: Presbyteri vero Epiſcopum non ordinaſſent: Et rurſus ad Titum ſcribens, inquit: *Hujus rei gratia reliqui te Cretæ, ut conſtituas per civitates Presbyteros, ſicut & ego diſpoſui tibi. Si quis ſine crimine eſt, unius uxoris vir*, quæ quidem de Epiſcopo dicit. Atque hæc cum dixiſſet, ſtatim addidit: *Oportet enim Epiſcopum ſine crimine eſſe, ſicut Dei diſpenſatorem, non ſuperbum.* Antiquitus igitur ipſi etiam Presbyteri vocabantur Epiſcopi, & Diaconi Chriſti. Quocirca vel hodie multi Epiſcopi ita ſcribunt: *Compresbytero*, & *Condiacono*. Procedente vero tempore, proprium cuique diſtributum eſt nomen, ut hic quidem Epiſcopus, ille vero Presbyter appelletur „ „.

S. Hieronymus, in Apologia adverſus Jovinianum: „ Epiſcopi, Presbyteri, Diaconi, aut virgines eligun„ tur, aut vidui, aut certe poſt Sacerdotium in æter„ num pudici „.

S. Auguſtinus, lib. 1. *de Moribus Eccleſiæ catholicæ*, c. 32. „ „ Quam multos Epiſcopos optimos viros, ſanctiſſimoſque cognovi, quam multos Presbyteros, quam multos Diaconos, & ejuſcemodi miniſtros divinorum Sacramentorum, quorum virtus eo mihi mirabilior, & majore prædicatione dignior videtur, quo difficilius eſt eam in multiplici hominum genere, & in iſta vita turbulentiore ſervare. Non enim ſanatis magis, quam ſanandis hominibus præſunt „ „.

Et Epiſt. 21. alias 148 ad *Valerium* Hipponenſem Epiſcopum. „ „ Cogitet religioſa Prudentia tua, nihil eſſe in hac vita, maxime hoc tempore facilius, & hominibus acceptabilius, Epiſcopi, aut Presbyteri, aut Diaconi officio, ſi perfunctorie, atque adulatorie res agatur; ſed nihil apud Deum miſerius, & triſtius, & damnabilius. Item nihil eſſe in hac vita, & ma-

maxime hoc tempore, difficilius, laborioſius, periculoſius Epiſcopi, aut Presbyteri, aut Diaconi officio; ſed apud Deum nihil beatius, ſi eo modo militetur, quo noſter Imperator jubet „ „.

S. Leo Serm. 10. de Quadrageſima: „ „ Non enim ſummos tantum Antiſtites, aut ſecundi ordinis Sacerdotes, nec ſolos Sacramentorum Miniſtros; ſed omne corpus Eccleſiæ, univerſumque Fidelium numerum, ab omnibus contaminationibus oportet eſſe purgatum „ „.

Ex his porro Patrum teſtimoniis perſpicuum eſt, quam arcta ſit trium illorum Ordinum connexio, Epiſcoporum ſcilicet, Presbyterorum, Diaconorum in Hierarchia eccleſiaſtica.

ARTICULUS II.

De variis Sacerdotalis ordinis Gradibus.

Quamvis Sacerdotalis ordo unus ſit, varios tamen dignitatis, & poteſtatis Gradus habet.

Secundi ordinis Sacerdotes.

1. Primus eſt eorum, qui Sacerdotes ſimpliciter vocantur, ſive ſecundi ordinis Sacerdotes, & Presbyteri, de quibus 1. ad Timotheum 5. *Qui bene præſunt Presbyteri, duplici honore digni habeantur; maxime qui laborant, in verbo, & doctrina... Adverſus Presbyterum accuſationem noli recipere, niſi ſub duobus, aut tribus teſtibus.* Et Jacobi 5. *Infirmatur quis in vobis? Inducat Presbyteros Eccleſiæ, &c.* In eo ſunt ordine Rectores parochiarum, ſive Curati, qui ſeptuaginta duorum diſcipulorum locum in Eccleſia tenent, ſicut Epiſcopi Apoſtolorum, ut ait *Teodulphus* Aurelianenſis Epiſcopus ad ſuæ Diœceſis Sacerdotes ſcribens: „ „ Scitote veſtrum gradum noſtro gradui ſecundum, & pene conjunctum eſſe. Sicut enim Epiſcopi Apoſtolorum in Eccleſia, ita nimirum Presbyteri cæterorum diſcipulorum Domini vicem tenent; & illi tenent gradum ſummi Pontificis Aaron, iſti vero filiorum ejus. Unde oportet vos ſemper eſſe memores tantæ dignitatis, memores veſtræ conſecra-

tionis, memores sacræ quam in manibus susceptistis, unctionis, ut nec ab eadem dignitate degeneretis, neque vestram consecrationem irritam faciatis, nec manus sacro unguine delibutas peccando polluatis, sed cordis, & corporis munditiam conservantes, plebibus exemplum bene vivendi præbentes, his quibus præestis, ducatum ad cœlestia regna præbeatis „„.

Et *Fulbertus* Carnotensis Episcopus, Epist. 2. „„ Moyses Dux populi secundis Adjutoribus, septuaginta viris videlicet de eodem populo sustentabatur, per quos forma Presbyterorum exprimitur, qui nunc in Ecclesia novitia Pontificale onus in se suscipientes, regendis populis invigilant „„.

Id confirmat Pontificale romanum in ordinatione Presbyteri, ubi Episcopus ita Deum orat. „„ Sic Moysi in eremo per septuaginta Virorum prudentium mentes Moysi spiritum propagasti, quibus ille Adjutoribus usus, in populo innumeras multitudines facile gubernavit. Sic & in Eleazarum, & Ithamarum filios Aaron paternæ plenitudinis abundantiam transfudisti; ut ad hostias salutares, & frequentioris officii Sacramenta ministerium sufficeret Sacerdotum. Hac providentia, Domine, Apostolis Filii tui Doctores fidei comites addidisti, quibus illi orbem totum secundis prædicationibus impleverunt. Quapropter infirmitati quoque nostræ, Domine, hæc adjumenta largire, qui quanto fragiliores sumus, tanto his pluribus indigemus „„.

Presbyteros Apostolico gradui succedere, in secundo scilicet ordine Sacerdotii, *S. Hieron.* affert Epistola ad Heliodorum: „„ Absit (*inquit*) ut de Clericis quidquam sinistrum loquar, qui Apostolico gradui succedentes Christi Corpus sacro ore conficiunt, per quos & nos Christiani sumus, qui claves Regni cœlorum habentes, quodammodo ante diem judicii judicant; qui Sponsam Domini sobria castitate conservant... Mihi ante Presbyterum sedere non licet. Illi, si peccavero, licet me tradere satanæ, &c „„.

II.

II. Secundus Sacerdotii gradus est Episcoporum, qui singulis Episcopatibus præpositi sunt, ut non solum cæteros Ecclesiæ ministros, sed fidelem populum regant, & eorum saluti summa cum vigilantia, & cura prospiciant. Unde in sacris Literis *Pastores ovium* sæpe appellantur. De quibus Apostolus Act. 20. *Attendite vobis, & universo gregi, in quo vos Spiritus sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei, quam acquisivit Sanguine suo.* Et S. Petrus Epist. 1. c. 5. *pascite, qui in vobis est, gregem Dei, providentes non coacte, sed spontanee secundum Deum, neque turpis lucri gratia, sed voluntarie; neque ut dominantes in cleris, sed forma facti gregis ex animo; & cum apparuerit Princeps pastorum, percipietis immarcescibilem gloriæ coronam.* Apostolorum (ut dixi) Successores sunt Episcopi; unde *S. Hieron.* ad *Marcellam* scribens adversus Montanistas: „ „ Apud nos Apostolorum locum Episcopi tenent, apud eos Episcopus tertius est; *& in Epist. ad Evagrium*: Ubicunque fuerit Episcopus, sive Romæ, sive Eugubii, sive Constantinopoli, sive Regii, sive Alexandriæ, sive Tanis, ejusdem meriti, ejusdem est & Sacerdotii. Patientia divitiarum, & paupertatis humilitas, vel sublimiorem, vel inferiorem Episcopum non facit. Cæterum omnes Apostolorum Successores sunt „ „. Hinc *S. Pacianus* Barcinonensis Episcopus, Epist. 1. „ „ Denique (*inquit*) & Episcopi Apostoli nominantur, sicut de Epaphrodito Paulus differit &c. Deus jus illud nobis, ut Apostolorum Cathedram tenentibus non negabit, qui Episcopi etiam unici sui nomen indulsit. Nemo Episcopum hominis contemplatione despiciat. Recordentur, quod Petrus Apostolus Dominum nostrum Episcopum nominavit. Quid Episcopo negabitur, in quo Dei nomen operatur „ „? Et multo ante *S. Cypr.* Epist. 69. de Episcopis scribit: „ Apostolis vicaria ordinatione succedunt. *Et Epist. 63.* Episcopos Ecclesiis dominicis in toto mundo divina dignatione præpositos „. Episcopi.

Archiepiscopi, sive Metropolitani.

III. „ Episcopatus *quidem* unus est, cujus pars a „ singulis in solidum tenetur „, (*ut loquitur S. Cypr.*) lib. *de unitate Ecclesiæ*: Et, „ ad Trinitatis instar, „ cujus una est atque individua potestas, unum est „ per diversos Antistites Sacerdotium „ (ut scribit) *Symmachus* Pontifex Epist. 1. ad *Æonium* Arelatensem Episcopum. Inter ipsos tamen Episcopos discretio quædam est potestatis; Archiepiscopi namque ecclesiastico jure ex apostolica Traditione derivato sunt Episcopis Superiores. Tertius igitur sacerdotalis ordinis gradus est Archiepiscoporum, qui pluribus Episcopis præsunt, qui Metropolitani etiam vocantur, quod illarum Urbium Antistites sint, quæ tanquam matres habentur illius provinciæ. Quare superiores quam Episcopi locum, & ampliorem potestatem habent, tametsi ab Episcopis ordinatione nihil differunt. De quibus *S. Leo* Epist. 12. alias 84. „ „ Connexio (*inquit*) totius corporis unam sanitatem, unam pulchritudinem facit; & hæc connexio totius quidem corporis unanimitatem requirit, sed præcipue exigit concordiam Sacerdotum. Quibus etsi dignitas sit communis, non est tamen ordo generalis; quoniam & inter beatissimos Apostolos in similitudine honoris fuit quædam discretio potestatis, & cum omnium par esset electio, uni tamen datum est, ut ceteris præemineret, de qua forma Episcoporum quoque est orta distinctio, & magna ordinatione provisum est, ne omnes sibi omnia vindicarent; sed essent in singulis Provinciis singuli, quorum inter fratres haberetur prima sententia; & rursus quidam in majoribus urbibus constituti solicitudinem susciperent ampliorem, per quos ad unam Petri sedem universalis Ecclesiæ cura confluëret, & nihil usquam a suo Capite dissideret. Qui ergo scit se quibusdam esse præpositum, non molestè ferat, aliquem sibi esse prælatum, sed obedientiam, quam exigit, etiam ipse dependat „ „. Dupliciter Episcopalis dignitatis gradum *S. Leo* describit, Metropolitanorum scilicet, qui omnibus alicujus provinciæ

Epi-

Epiſcopis præſunt; & Primatum, qui in majoribus Regionis alicujus urbibus conſtituti, ſummi Pontificis vices ſuſceperunt. Metropolitanis ſubſunt Epiſcopi. Primatibus vero Metropolitani. Unde *S. Leo* in eadem Epiſtola *Anaſtaſium* Theſſalonicenſem Epiſcopum Illyrici Primatem his verbis compellat: „„ Igitur ſecundum ſanctorum Patrum Canones Spiritus Dei conditos, & totius mundi reverentia conſecratos, Metropolitas ſingularum Provinciarum Epiſcopos, quibus ex delegatione noſtra Fraternitatis tuæ cura prætenditur, jus traditæ ſibi antiquitus dignitatis intemeratum habere decernimus; ita ut a regulis præſtitutis nulla aut negligentia, aut præſumptione diſcedant „„. Ab Epiſcopo ad Metropolitanum a Metropolitano ad Primatem, a Primate in romanum Pontificem in cauſis eccleſiaſticis appellatur.

Metropolitanorum officia.

Ad Metropolitanos pertinet Synodorum provincialium congregatio, Viſitatio totius provinciæ, ſeu Diœceſum comprovincialium ſuorum, quam tamen aggredi non poſſunt, niſi propriæ Diœceſis Viſitationem plene peregerint; & cauſa cognita, & probata in Concilio provinciali, ex Concilii Tridentini decreto, ſeſſ. 24. cap. 3. Ad eoſdem pertinet executionem Canonum Concilii Tridentini circa reſidentiam Epiſcoporum ſuæ Provinciæ curare, & legitimæ abſentiæ cauſas probare, ut decernit eadem Synodus ſeſſ. 23. *De Reformat.* cap. 1. Si capitulum Sede vacante Vicarium generalem infra octo dies poſt mortem Epiſcopi conſtituere, vel exiſtentem confirmare neglexerit, inſtitutio, & deputatio hujuſmodi Vicarii ad Metropolitanum devolvitur, ut ſanxit Concilium Trident. ſeſſ. 24. *De Reformat.* cap. 18 Si in Seminarii erectione negligens fuerit Epiſcopus, ipſum corripere, ad idque cogere Metropolitanus poteſt, ſecundum Concilii Tridentini decretum ſeſſ. 24. *De Reformat.* cap. 18.

Cæterum appellationibus ab Epiſcopo ad Metropolitanum modum præſcripſit ſacra Synodus Tridentina ſeſſ. 13. c. 1. „„ Cum (*inquit*) rei criminum plerumque

ad

ad evitandas pœnas, & Epiſcoporum ſubterfugienda judicia, querelas, & gravamina ſimulent, & appellationis diffugio judicis proceſſum impediant, ne remedio ad innocentiæ præſidium inſtituto ad iniquitatis defenſionem abutantur, atque ut hujuſmodi eorum calliditati, & tergiverſationi occurratur, ita ſtatuit, & decrevit, in cauſis viſitationis, & correctionis, ſive habilitatis, & inhabilitatis, necnon in criminalibus, ab Epiſcopo, ſeu illius in ſpiritualibus Vicario generali, ante definitivam ſententiam, ab Interlocutoria, vel alio quocunque gravamine non appelletur; nec Epiſcopus, ſeu Vicarius appellationi hujuſmodi, tanquam frivolæ, deferre teneatur... niſi gravamen hujuſmodi per definitivam ſententiam reparari, vel ab ipſa definitiva appellari non poſſit „„

Patriarchæ. IV. In quarto Sacerdotalis ordinis gradu Patriarchæ, id eſt, ſummi, ſupremique Patres, ſive Principes Patrum collocantur. Quos inter primum locum tenet romanus Epiſcopus, qui totius Occidentis Patriarcha eſt, adeoque *Majores Diœceſes tenere* dicitur, ut ſcribebat Concilium Arelatenſe ad *Sylveſtrum* Papam: *Tu qui majores Diœceſes tenes*: Secundum locum tenebat olim Alexandrinus: tertium Antiochenus. Eximia quædam, & eminens dignitas his Epiſcopis collata eſt propter *S. Petrum*, cujus auctoritate tres illæ Eccleſiæ fundatæ ſunt. Romanam enim Eccleſiam fundavit ipſe, Cathedram in ea collocavit, eique non doctrinam duntaxat totam, ſed & ſanguinem profudit. Alexandrinam Eccleſiam fundavit per *S. Marcum* Evangeliſtam diſcipulum ſuum. Antiochenam etiam Eccleſiam per ſeipſum fundavit Apoſtolorum Princeps, in ea ſedit, priuſquam Romam veniret, ibique Religio chriſtiana nomen accepit. Atque tres iſtos duntaxat Patriarchas agnovit Nicæna Synodus. Hunc ſedium Patriarchalium ordinem vindicant *Innocentius I.* Epiſtola 18. *S. Leo* Epiſt 80. alias 53. ad *Anatolium* Epiſcopum Conſtantinopolitanum, Synodus romana ſub *Gelaſio I.* anno 494. *Nicolaus I.* Epiſtola ad *Michaelem* Imperatorem. Hieroſolymitano

Epi-

Episcopo post tres primarios Patriarchas locum seu *Honoris consequentiam*, salva Metropolitano Cæsareensi propria dignitate, Nicæna Synodus dedit. Inter Patriarchas deinde locum obtinuit, & quidem primum post romanum Episcopum, Constantinopolitanus Episcopus; quem ipsi honorem secunda Synodus generalis Constantinopoli celebrata, & Synodus Chalcedonensis Can. 28. propter dignitatem urbis, quæ caput erat Imperii, & *Nova Roma* vocabatur, contulerunt, repugnante diu, tandemque consentiente romana Ecclesia, ut constat ex Concilio Florentino in definitione Fidei.

Romano Pontifici primatus in Ecclesia universa jure divino convenit.

Supremum sacerdotalis ordinis gradum tenet romanus Pontifex, amplissimamque jurisdictionem in Christianos omnes, & Episcopos universos, non quidem ullis Synodicis, aut aliis humanis constitutionibus, sed divinitus datam. Quamobrem universali Ecclesiæ divino jure præsidet ut *S. Petri* Successor, Christique Domini nostri verus, ac legitimus vicarius. Primatus *S. Petro* in Ecclesia universa collatus, atque in ejus successores romanos Episcopos eodem jure transfusus, nititur Christi Domini, ac Salvatoris nostri verbis Matth. 16. *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non prævalebunt adversus eam. Et tibi dabo claves Regni cælorum.* Quibus verbis *Petro*, & ejus Successoribus duo promittuntur: Primum, quod sit futurus Ecclesiæ totius fundamentum adeo firmum, ut portæ inferi nunquam sint adversus eam tam bene fundatam prævalituræ. Quamvis igitur super Christum, lapidem angularem, & *Fundamentum* primum, ac præcipuum, præter quod *Nemo potest aliud ponere*, fundata sit Ecclesia; quamvis, & super Petri confessionem fundata sit, quia dignitatem illam, & honorem confessione sua promeritus est, ut Ecclesiæ fundamentum esset; unde *S. Leo* Epist. 5. ad Metropolitanos Illyrici ait: „„ Et quia per omnes Ecclesias cura nostra distenditur, exigente a nobis Domino, qui Apostolicæ dignitatis beatissimo Apostolo

Pe-

Petro primatum fidei ſuæ remuneratione commiſit, univerſalem Eccleſiam in fundamenti ipſius ſoliditate conſtituens; &c „ „. Tamen, & ſuper ipſum Petrum fundatam Eccleſiam Chriſtus Dominus ſignificat, atque in hunc locum Patres intellexerunt, & Concilia, ut *Eccleſia ſuper Petrum voce Domini fundata ſit.* Alterum quod his verbis promittit Chriſtus, eſt ſumma regendi Eccleſiam univerſam poteſtas, quam claves Regni cœlorum ſignificant. Hinc *S. Leo* Serm. 3. in Anniverſario die Aſſumptionis ſuæ ait: „ „ De toto mundo unus Petrus eligitur, qui & univerſarum gentium vocationi, & omnibus Apoſtolis, cunctiſque Eccleſiæ Patribus præponatur; ut quamvis in populo Dei multi Sacerdotes ſint, omnes tamen proprie regat Petrus; quos principaliter regit & Chriſtus. Magnum, & mirabile huic viro conſortium potentiæ ſuæ tribuit divina dignatio; & ſi quid cum eo commune cæteris voluit eſſe Principibus, nunquam niſi per ipſum dedit quidquid aliis non negavit... *Et ego dico tibi*: Hoc eſt, ſicut Pater meus tibi manifeſtavit Divinitatem meam; ita & ego tibi notam facio excellentiam tuam. *Quia tu es Petrus*; id eſt, cum ego ſim inviolabilis petra, ego lapis angularis, qui facio utraque unum; ego fundamentum præter quod nemo poteſt aliud ponere; tamen tu quoque petra es, quia mea virtute ſolidaris, ut quæ mihi poteſtate ſunt propria, ſint tibi mecum participatione communia. *Et ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam, & portæ inferi non prævalebunt adverſus eam.* Super hanc (*inquit*) fortitudinem æternum extruam Templum; & Eccleſiæ meæ cœlo inferenda ſublimitas in hujus Fidei firmitate conſurget. Hanc confeſſionem portæ inferi non tenebunt, mortis vincula non ligabunt; vox enim iſta vox vitæ eſt... Propter quod dicitur beatiſſimo Petro: *Tibi dabo claves Regni cœlorum, &c.* Tranſivit quidem etiam in alios Apoſtolos jus poteſtatis iſtius, & ad omnes Eccleſiæ Principes decreti hujus conſtitutio commeavit; ſed non fruſtra uni commendatur, quod omni-

omnibus intimetur. Petro enim ideo hoc singulariter creditur, quia cunctis Ecclesiæ Rectoribus Petri forma præponitur. Manet ergo Petri privilegium, ubicumque ex ipsius æquitate fertur judicium „ „. Et mox exponens illa Christi verba. *Simon, ecce Satanas expetivit vos, ut cribraret sicut triticum. Ego autem rogavi pro te, ut non deficiat fides tua. Et tu aliquando conversus confirma fratres tuos;* ait: Commune fuisse omnibus Apostolis periculum de tentatione formidinis, & divinæ protectionis auxilio pariter indiguisse, quoniam diabolus omnes exagitare, omnes cupiebat elidere: „ „ Et tamen (*inquit*) specialis a Domino Petri cura suscipitur, & pro fide Petri proprie supplicatur, quamquam aliorum status certior sit futurus, si mens Principis victa non fuerit. In Petro ergo omnium fortitudo munitur, & divinæ gratiæ ita ordinatur auxilium, ut firmitas, quæ per Christum Petro tribuitur, per Petrum Apostolis conferatur „ „.

Nititur etiam Primatus *S. Petri*, & Successorum ejus romanorum Pontificum, illis Christi verbis, Joannis 21. Petrum compellantis: *Pasce agnos meos, pasces oves meas;* id est Prælatos matrum ovium nomine, & subditos nomine agnorum significatos; omnium igitur Pastor est *Petrus*, eiusque Successor Pontifex romanus, quia præter agnos, & oves in Ecclesia nihil est. Hinc Ecclesiam romanam „ Maximam, & „ antiquissimam *vocat S. Irenæus*, ad quam propter „ potentiorem principalitatem necesse est omnem con„ venire Ecclesiam „. Hinc romanus Episcopus *Pontifex maximus, Episcopus Episcoporum*, jam vocabatur *Tertulliani* ætate, ut ex ejus libro *de Pudicitia* colligitur. Hinc *S. Cyprianus*, Epist. 55. ad *S. Cornelium* romanum Pontificem, de *Fortunato*, & *Felicissimo*, aliisque hæreticæ, & schismaticæ factionis hominibus scribit: „ „ Pseudo-Episcopo sibi ab hæreticis constituto, navigare audent, & ad Petri Cathedram, atque ad Eccelesiam principalem, unde unitas Sacerdotalis exorta est, a schismaticis, & profa-

nis

nis litteras ferre, nec cogitare eos esse Romanos (quorum fides Apostolo prædicante laudata est) ad quos perfidia habere non potuit accessum „„. Et libro *de Unitate Ecclesiæ*, scribit; „„ Loquitur Dominus ad Petrum: *Ego tibi dico* (inquit) *quia tu es Petrus, & super istam petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non prævalebunt adversus eam. Et tibi dabo claves Regni cœlorum, &c.* Et iterum post Resurrectionem suam dicit: *Pasce oves meas.* Super illum unum ædificat Ecclesiam suam & illi pascendas mandat oves suas. Et quamvis Apostolis omnibus post Resurrectionem suam parem potestatem tribuat, & dicat: Joan. 20. *Sicut misit me Pater, & ego mitto vos... Accipite Spiritum sanctum. Si cui remiseritis peccata, remittentur illis, &c.* Tamen ut unitatem manifestaret, unam Cathedram constituit, & unitatis ejusdem originem ab uno incipientem, sua auctoritate dispositi. Hoc erant utique & cæteri Apostoli, quod fuit Petrus, pari consortio præditi, & honoris, & potestatis; sed exordium ab unitate proficiscitur, & Primatus Petro datur, ut una Christi Ecclesia, & Cathedra una monstretur. Hanc Ecclesiæ unitatem qui non tenet, tenere se fidem credit? Qui Cathedram Petri, super quam fundata est Ecclesia, deserit, in Ecclesia se esse confidit „„? Pares fuerunt Apostoli quoad Apostolatus dignitatem, quoad potestatem prædicandi Evangelium, & fundandi Ecclesias per mundum universum, non quoad Primatum, & potestatem regendi universalem Ecclesiam; non quoad dignitatem Capitis visibilis, & ministerialis totius Ecclesiæ sub Christo essentiali, & præcipuo Capite. Quo etiam sensu *S. Hieronymus* lib 1. *Adversus Jovinianum*, cap. 14. „„ At dicis, super Petrum fundatur Ecclesia, licet idipsum alio in loco super omnes Apostolos fiat, & cunctis claves Regni cœlorum accipiant, & ex æquo super illos Ecclesiæ fortitudo solidetur; tamen propterea inter duodecim unus eligitur, ut Capite constituto schismatis tollatur occasio „„. Hinc ipse *Hieronymus* ad *Damasum* Papam scri-

ſcribebat Epiſt. 57. „„ Quamquam (*inquit*) tui me terreat magnitudo, invitat tamen humanitas. A Sacerdote victimam ſalutis, a Paſtore præſidium ovis flagito. Faceſſat invidia, Romani culminis recedat ambitio, cum Succeſſore Piſcatoris, & diſcipulo crucis loquor. Ego nullum primum niſi Chriſtum ſequens, Beatitudinis tuæ, id eſt, Cathedræ Petri, Communione conſocior; ſuper illam petram ædificatam Eccleſiam ſcio. Quicumque extra hanc domum agnum comederit, profanus eſt. Si quis in Arca Noe non fuerit, peribit regnante diluvio. . . Non novi Vitalem, Meletium reſpuo, ignoro Paulinum. Quicumque tecum non colligit, ſpargit; hoc eſt, qui Chriſti non eſt, Antichriſti eſt... Quamobrem obteſtor Beatitudinem tuam per Crucifixum, mundi ſalutem, per *homouſion* Trinitatem, ut mihi Epiſtolis tuis ſive tacendarum, ſive dicendarum *hypoſtaſeon* detur auctoritas „„.

In romana Eccleſia *Apoſtolicæ Cathedræ ſemper viguiſſe Principatum*, S. Auguſtinus docet Epiſt. 43. alias 62. & romanum Epiſcopum *Celſiore faſtigio in ſpecula paſtorali præeminere* aſſerit lib. 1. *Ad Bonifacium* cap. 1.

Magiſtro concinit diſcipulus *S. Proſper*, in Carmine *De ingratis*,

Sedes Roma Petri, quæ paſtoralis Honoris
Facta Caput mundo, quidquid non poſſidet armis,
Religione tenet.

De romani Pontificis primatu præclarus eſt *S. Bernardi* locus, lib. 2. *De Conſideratione*, cap. 8. „„ Age (*inquit*) indagemus adhuc diligentius, qui ſis, quam geras videlicet pro tempore perſonam in Eccleſia Dei. Quis es? Sacerdos magnus, ſummus Pontifex. Tu Princeps Epiſcoporum; tu hæres Apoſtolorum; tu primatu Abel, gubernatu Noe, Patriarchatu Abraham, ordine Melchiſedech, dignitate Aaron, auctoritate Moyſes, judicatu Samuel, poteſtate Petrus, unctione Chriſtus. Tu es, cui claves traditæ, cui oves creditæ ſunt. Sunt quidem & alii

cœli janitores, & gregum Paſtores; ſed tu tanto glorioſius, quanto & differentius præ illis nomen hæreditaſti. Habent illi aſſignatos greges; ſinguli ſingulos; tibi univerſi crediti, uni unus. Nec modo ovium, ſed & Paſtorum omnium tu unus Paſtor. Unde id probem, quæris? Ex verbo Domini. Cui enim non dico Epiſcoporum, ſed etiam Apoſtolorum, ſic indiſcrete totæ commiſſæ ſunt oves? Si me amas, Petre, paſce oves meas. Quas? Illius, aut illius populos civitatis, aut regionis, aut certi regni? Oves meas (*inquit.*) Cui non planum, non deſignaſſe aliquas, ſed aſſignaſſe omnes? Nihil excipitur, ubi diſtinguitur nihil... Ergo juxta Canones tuos, alii in partem ſolicitudinis, tu in plenitudinem poteſtatis vocatus es. Aliorum poteſtas certis arctatur limitibus; tua extenditur in ipſos, qui poteſtatem ſuper alios acceperunt. Nonne, ſi cauſa extiteris, tu Epiſcopo cœlum claudere, tu ipſum ab Epiſcopatu deponere, etiam & tradere ſatanæ potes? Stat ergo inconcuſum Privilegium tuum tam in datis clavibus, quam in ovibus commendatis „„.

Diſſert. 4. in Hiſt. Eccl. Sæc. 1.

In Conciliis generalibus agnitus eſt, & commendatus romani Pontificis primatus, quod cum locupletiſſimis teſtimoniis olim a nobis probatum ſit, Concilii Florentini græcam pariter, & latinam Eccleſiam repræſentantis, ac utriuſque fidem, & doctrinam in definitione ſua exprimentis verba hic adſcribere ſatis erit: „„ Definimus ſanctam Apoſtolicam ſedem, & romanum Pontificem in univerſum orbem tenere primatum; & ipſum Pontificem romanum Succeſſorem eſſe beati Petri Principis Apoſtolorum, & verum Chriſti Vicarium, totiuſque Eccleſiæ Caput, & omnium Chriſtianorum Patrem, & & Doctorem exiſtere, & ipſi in beato Petro paſcendi, regendi, ac gubernandi univerſalem Eccleſiam a Domino noſtro Jeſu Chriſto plenam poteſtatem traditam eſſe, quemadmodum & in geſtis generalium Conciliorum, & in ſacris Canonibus continetur „„.

Ra-

Ratione Primatus a Christo Domino in tota, qua late patet, Ecclesia accepti, romanus Pontifex potestatem habet recipiendi, & judicandi Appellationes ex toto orbe christiano ad ejus Sedem delatas, in causis Fidei, dubiæ disciplinæ, & Episcoporum dejectorum. Jus habet Concilia generalia convocandi, illis præsidendi per se, vel per Legatos; illorum Decreta confirmandi; cogendique non solum vulgus Christianorum, & secundi Ordinis Sacerdotes, sed ipsos gregis arietes, Episcopos ipsos, ad observantiam Canonum Spiritu Dei conditorum, & totius mundi reverentia consecratorum. Controversiarum Fidei, etiam extra Concilia oecumenica, præ cæteris omnibus, & supra singulos Episcopos, summus judex est; legum per universam Ecclesiam Conditor, & Dispensator, & Interpres Canonum. Graviorum criminum Absolutionem sibi reservare potest toto Orbe christiano; plenarias Indulgentias concedere. Hæc jura Pontificii Primatus inconcussa; quæ tamen hic omnia nec explicare, nec recensere aggredimur, sed maxime reverentiam, & obedientiam Christi Domini in terris Vicario debitam clericis commendare, juxta Formulam Professionis Fidei a Pio IV. præscriptam, & ab Ecclesia catholica receptam. „ „ Sanctam catholicam, & apostolicam romanam Ecclesiam omnium Ecclesiarum Matrem, & Magistram agnosco; romanoque Pontifici beati Petri Apostolorum Principis Successori, ac Jesu Christi Vicario, veram obedientiam spondeo, ac juro „ „. Hanc obedientiam secundum sacratissimas Ecclesiæ Regulas in Seminariis edocti, christianæ Plebi diligenter inculcent; illamque Doctoris angelici certissimam, & ad Fidem pertinentem sententiam, subesse romano Pontifici est de necessitate salutis.

Romani Pontificis jura.

Obedientia romano Pontifici ab universis fidelibus debita.

CAPUT III.

De Ministro Sacramenti Ordinis.

ARTICULUS PRIMUS.

Utrum sacræ Ordinationis minister sit solus Episcopus.

PROPOSITIO PRIMA.

Minister Sacramenti Ordinis est solus Episcopus.

De Ministro Ordinationum.

Catholicum istud Dogma est a Concilio Trid. Sess. 23. cap. 6. & Can. 7. definitum. Potestatem enim Ecclesiæ ministros ordinandi Episcopum habere, hancque illi non esse cum Presbyteris communem, sacra Synodus declarat. Quod & ex Scriptura sacra, & ex Traditione compertum est. Christus summus Sacerdos Apostolos suos in ultima Cœna Sacerdotes ordinavit his verbis: *Hoc facite in meam commemorationem*, ut Conc. Trid. declarat Sess. 22. Can. 2. Apostoli septem primos Diaconos a multitudine Fidelium electos, per manuum impositionem ordinarunt, *Act.* 6. Paulus, & Barnabas per singulas Ecclesias Presbyteros constituunt, *Act.* 14. Timotheum manuum suarum impositione Presbyterum ordinatum testatur S. Paulus 2. *ad Timotheum* 1. Idem Timotheo, & Tito tanquam Episcopis declarat, quibus manus imponere, & quos vel Episcopos, vel Presbyteros ordinare debeant, 1. *ad Timotheum* 3. & 5. & ad *Titum* 1. Novatianus schismaticus, & Hæresiarcha, cum Episcopatum romanum ambiret, duos deploratæ salutis homines sibi socios adjunxit, ut eos in exiguam, ac vilissimam Italiæ partem mitteret, atque illinc accitos tres Episcopos, homines plane rudes, ac simplices, fraudulenta quadam molitione deciperet; constantissime affirmans, ipsos quamprimum Romam proficisci oportere, ut omnis undecumque orta discordia, ipsorum una cum aliis Episcopis interventu atque arbitrio sedaretur. Qui cum advenissent, eos ille inclusos hora decima, temulentos, & crapula oppressos, adumbrata, & inani ma-

manuum impositione Episcopatum sibi tradere per vim coegit. Ita refert *S. Cornelius* romanus Pontifex in Epist. ad *Fabium* Antiochenum Episcopum, apud *Eusebium* lib. 6. *Historiæ ecclesiasticæ*, cap. 43. Adeo omnibus, etiam schismaticis, & hæreticis persuasum erat, Episcopum nisi ab aliis Episcopis consecrari non posse.

Ischyram Presbyterum non esse, quia fuerat ordinatus a *Collutho*, qui secundi tantum ordinis Sacercos erat, non Episcopus, declarat Synodus Alexandrina in causa *S. Athanasii* congregata in Epistola Synodica. „ „ Presbyter (*inquit*) qui fingitur adfuisse, est ille toties rumoribus jactatus Ischyras, qui neque ab Ecclesia ordinatus est Presbyter; neque cum a Meletio constitutos Presbyteros Alexander in Ecclesiam recipiebat, in eorum numero unquam habitus fuit, aut ab eo creatus. Quo pacto igitur Presbyter Ischyras, aut quo tandem auctore constitutus? Nunquid scilicet a Collutho? Atqui Colluthum in gradu Presbyterii mortuum, omnemque ejus manuum impositionem rescissam, omnesque ab eo constitutos in laicorum ordinem redactos esse, & sub nomine laicorum ad Synaxim admissos, adeo apud omnes constat, ut nemo de ea re dubitandum putet „ „.

Tritum illud *S. Hieronymi* Epist. 85. *ad Evagrium* data: „ Quid enim facit excepta ordinatione Epi„ scopus, quod non faciat Presbyter „? Sed & *S. Epiphanius* ordinandi potestatem Presbyteris cum Episcopo non esse communem, ex Ecclesiæ sententia propugnat contra *Aerii* hæresim.

Favet & ratio; solus enim Episcopus est christianæ Reipublicæ Præfectus, & Hierarcha, sive Sacrorum Princeps; ad solum autem Principem, & Præfectum pertinet, officia publica idoneis Administris distribuere.

PROPOSITIO II.

Secundi Ordinis Sacerdotibus potestas conferendi Tonsuram clericalem, & minores Ordines a summo Pontifice demandari potest.

De Ministro Ordinationum.

Id enim Chorepiscopis, quorum plerique non erant Episcopi, aliquando concessum est, imo & Subdiaconorum ordinatio illis permissa Concilii Antiocheni Can. 10. & Conc. Hispanensis Can. 4. Solos Presbyteros, & Diaconos ab eis ordinari prohibuit *Leo III.* Ordines ecclesiasticos, qui per manus impositionem tribuuntur, id est, Presbyteratum, & Diaconatum, ipsos conferre vetat Conc. Meldense Can. 44. Subdiaconorum tamen ordinationes ipsis prohibitas Regum nostrorum Capitularia significant lib. 7. cap. 328. & 329. Cardinalibus S. R. E. Presbyteris, & Abbatibus, modo Presbyteri sint, & Episcopali benedictione insigniti, privilegium ab Ecclesia, & Sede apostolica concessum est, Tonsuram clericalem, & minores Ordines conferendi. Cardinalium privilegium nititur consuetudine a summo Pontifice approbata. Privilegium vero Abbatum in jure expressum est, scilicet septimæ Synodi generalis Can. 14. & cap. *Requisivit*, quod est *Alexandri III.* Extra. *De Ordinatis ab Episcopo, qui renuntiavit.* Et cap. *Cum contingat*, quod est *Innocentii III.* Extra. *De ætate, & qualitatibus Ordinandorum.* Id confirmavit Tridentina Synodus; inhibuit duntaxat: „ Ne „ cuiquam, qui Regularis subditus sibi non sit, Ton„ suram, vel minores Ordines conferant „. (Sess. 23. *De Reformat.* cap. 10.) Quamobrem si quos sibi non subditos, si quos non Regulares ad Tonsuram, ac minores Ordines promovere tentaverint, irrita erit promotio, & ordinatio, nullinsque efficaciæ; quippe cum eorum Privilegium, quo solo potestas illorum completur, ad illas personas nullatenus extendatur.

Hanc minores Ordines, non autem majores conferendi provinciam simplici Sacerdoti a summo Pontifice

tifice demandari posse, non autem ei, qui Sacerdotio initiatus non sit, docet *S. Thom.* in 4. *Sententiar.* dist. 25. qu. 1. art. 1. ad tertium: „„ Papa (*inquit*) qui habet plenitudinem potestatis Pontificalis, potest committere non Episcopo ea, quæ ad dignitatem Episcopalem pertinent, dummodo illa non habeant immediatam relationem ad verum Corpus Christi; & ideo ex ejus commissione aliquis Sacerdos simplex potest conferre minores Ordines, & confirmare; non autem aliquis non Sacerdos; nec iterum Sacerdos majores Ordines, qui habent immediatam relationem ad Corpus Christi, supra quod consecrandum Papa non habet majorem potestatem quam simplex Sacerdos „„.

Et in Responsione ad quintum; „„ Quia (*inquit*) Sacerdos non habet completam potestatem in hierachicis officiis sicut Episcopus, ideo non sequitur, quod possit Diaconos efficere, quamvis ille Ordo sit sibi propinquus „„.

In contrarium objici solet Privilegium Cistercienſibus Abbatibus ab *Innocent. VIII.* Pontifice maximo datum, ut Subdiaconatus, & Diaconatus ordines conferre Monachis suis possent, ne extra claustrum discurrere cogerentur, ut in Compilatione Privilegiorum, Privilegio 118. videre est; quod *Navarrus* lib. 5. *Consiliorum*, cum de Privilegiis agit, Consilio 14. *Exorbitans Privilegium* vocat, & rejicere non veretur tanquam non legitimum. Illud etiam in dubium revocat *Sylvius* in 3. p. *S. Thom.* q. 28. art. 1. Licet illud se legisse *Vasquesius* Disp. 143. in 3. p. *S. Thom.* testetur, & in Collegio Complutensi asservari, & verba Privilegii exscribat, quod anno 1439. datum est. *Victoria* in Summa Num. 235. Pontificium Diploma se vidisse ait, quo Cistercienſibus Abbatibus facultas data sit conferendi Subdiaconatum; additque aliquos idem asserere de Diaconatu. *Bensonius* lib. 2. *De anno Jubilæi*, cap. 23. ubi Diplomatis istius meminit, asserit *Innocentii VIII.* Privilegium in eo solum positum esse, ut Cistercienses Ab-

bates literas Dimiſſorias Monachis ſuis dare poſſent, quibus cuilibet catholico Antiſtiti rite promoto poteſtas fieret Monachos Ciſtercienſes ordinandi, non habita Diœceſum, & Provinciarum ratione; & ita non ſolum Romæ declaratum fuiſſe a S. Congregatione Concilii Tridentini Interprete anno milleſimo quingenteſimo nonageſimo ſecundo, verum etiam explicatum fuiſſe a *Clemente VIII.* in Bulla Ciſtercienſibus data. Denique (inquit *Hallerius* ſeſſ. 5. *De Miniſtro ſacræ Ordinationis*, §. 2. Num. 21.) Nec Ciſtercienſes noſtra, aut Patrum noſtrorum memoria, eo Privilegio uſi dicuntur; quod, ſi hoc Privilegium a ſancta Sede obtinuiſſent, nuſquam ab ejus uſu tamdiu ſe continuiſſent; præſertim in Gallia. Quare (inquit) concludimus totum iſtud Privilegium, ſaltem quoad Diaconatum, incertæ eſſe auctoritatis, probabilius eſſe, quod fictum, ac ſuppoſitum cenſendum ſit. Si tamen (inquit *Sylvius*) conſtaret de iſtius Privilegii veritate, hanc ordinandorum Subdiaconorum, & Diaconorum poteſtatem ſimplici Presbytero a ſummo Pontifice demandari poſſe non negaremus.

Presbyteros ordinare non poteſt ſimplex Sacerdos cum ſummi Pontificis privilegio.

Ut ut eſt, Sacerdotes ordinare non poteſt ſimplex Sacerdos, quolibet munitus privilegio. Sentiunt quidem veteres nonnulli canonici juris interpretes, & ſcholaſtici etiam aliqui, quorum loca *Joannes Morinus* indicat & exſcribit libro *de ſacris Ordinationibus* p. 3. Exercitatione 4. c. 3. ſimplicem Presbyterum delegari poſſe a ſummo Pontifice ad Presbyteri ordinationem, atque in ea etiam fuiſſe ſententia *Innocentium IV.* in cap. *Quanto*, Extra. *De Conſuetudine*, oſtendit. Verum eam ſententiam ut a Traditione alienam rejicimus; eam enim Ordinationem ad Epiſcopum pertinere, „„ Sanctarum Literarum auctoritate, certiſſima traditione, omnium Patrum teſtimonio, Conciliorum decretis, ſanctæ Eccleſiæ uſu, & conſuetudine, facile erit comprobare „„ (inquit Concilii Tridentini Catechiſmus.) In ejuſmodi certe Quæſtionibus nihil pronuntiandum ultra

ea,

ea, quæ a Patribus tradita sunt, & quæ docet Ecclesia. „„ Mentis nostræ partus (*inquit S. Basilius Epist.* 9.) non audemus tradere, ne verba pietatis censeantur humana; sed quæ a sanctis Patribus edocti sumus, ea nos interrogantibus annuntiamus „„. Et, (ut ait *S. August.* lib. 7. *de Baptismo contra Donatistas*, c. 53.) „„ Nobis tamen tutum est in ea non progredi aliqua temeritate sententiæ, quæ nullo in catholico regionali Concilio cœpta, nullo Plenario terminata sunt; id autem fiducia securæ vocis asserere, quod in gubernatione Domini nostri, & Salvatoris Jesu Christi universalis Ecclesiæ consensione roboratum est „„.

ARTICULUS II.

A quo Episcopo quisque ordinari debeat.

I. Unumquemque a proprio Episcopo ordinari leges Ecclesiæ jubent, aut certe ab alio cum ejus licentia, & literis dimissoriis. Ita sanxit sacra Synodus Tridentina Sess. 23. *de Reformatione*, cap. 8. „„ Unusquisque (*inquit*) a proprio Episcopo ordinetur. Quod si quis ab alio promoveri petat, nullatenus id ei etiam cujusvis generalis, aut specialis rescripti, vel privilegii prætextu, etiam statutis temporibus permittatur; nisi ejus probitas, ac mores Ordinarii sui testimonio commendentur; si secus fiat, ordinans a collatione Ordinum per annum, & ordinatus a susceptorum Ordinum executione, quamdiu proprio Ordinario videbitur expedire, sit suspensus „„.

Triplex Episcopus proprius a quo Ordines possunt suscipi, jure novo.

II. Triplex autem Episcopus proprius jure novo distinguitur, Caput *Cum nullus*, quod est *Bonifacii VIII.* Tit. *de Tempore Ordinationum*, in Sexto; scilicet *Episcopus originis*, *domicilii*, *& beneficii*, & ab eorum quolibet Ordines licite suscipi posse declarat. „„ Cum nullus (*inquit*) Clericum Paræciæ alienæ, præter Superioris ipsius licentiam, debeat ordinare, Superior intelligitur in hoc casu Episcopus, de cujus

Diœceſi eſt is, qui ad Ordines promoveri deſiderat, oriundus; ſive in cujus Diœceſi beneficium obtinet Eccleſiaſticum; ſeu habet, licet alibi natus fuerit, domicilium in eadem „ „.

Epiſcopus originis eſt Epiſcopus loci, in quo quis natus eſt.

III. Quamvis autem jure veteri Epiſcopus loci in quo Baptiſmo regeneratus quis fuerat, cenſeretur Epiſcopus originis, a quo poterat ordinari, ut colligitur ex Concilii Illiberitani Canone 24 & ex Concilii Carthaginenſis 3. Can. 44. ſecundum hodiernam tamen diſciplinam Epiſcopus originis intelligitur Epiſcopus loci, in quo quis natus eſt. Id enim ſignificant verba Canonis: *De cujus Diœceſi eſt is, qui ad Ordines promoveri deſiderat, oriundus.*

IV. Quamvis rurſus ſecundum jus commune, quod nunc etiam in Italia viget, in Ordinationibus ratio paternæ originis haberi poſſit, ita ut qui Mediolani natus eſt ex Patre Genuenſi, poſſit pro arbitrio ad Ordines ſuſcipiendos eligere vel Mediolanenſem, vel Genuenſem Epiſcopum, ut *Zerola*, in Praxi epiſcopali p. 2. verbo *Dimiſſoriæ*, aliique docent; idque fundamentum habeat in 1. *Aſſumptio*, ff. *Ad Municipalem*, §. *Filius*, & L. *Filios*, C. *de Municipibus*; in Galliis tamen paternæ originis quoad Ordines ſuſcipiendos nulla ſolet haberi ratio, & conſuetudo ita Legem interpretata eſt, ut unuſquiſque non alium agnoſcat originis Epiſcopum, præter Epiſcopum loci, in quo natus eſt.

Exceptiones.

V. Duo caſus excipiuntur; primus eſt, ſi quis reipublicæ cauſa abſens, & ad aliquam regionem miſſus pro quodam certo tempore, annali, v. g. biennali, triennali, vel non ita diuturno ut domicilio conſtituendo ſufficiat, liberos interim aliquos ſuſcipiat; in hoc enim caſu liberi iſti a paterna origine potius cenſendi erunt quam a propria, ſive Leges civiles, ſive conſuetudinem, ſive loquendi uſum reſpicias. Quamobrem liberi ab Oratoribus Principum, aliiſve reipublicæ cauſa a Rege miſſis, in remotioribus regionibus ſuſcepti, ex paterna civitate cenſentur, & paternæ civitatis Epiſcopus cenſetur Epiſcopus originis, a quo poſſunt ordinari. Al-

Alter casus est, si quis fortuito in aliquo loco natus est, in eo scilicet, quem mater pertransibat, aut quo animo minime commorandi perrexerat. Nam qui ita ex aliquo loco est, non efficitur civis hujus loci, in quo natus est, ut colligitur ex L. *Filios* superius laudata, cujus hæc sunt verba: „ Filios apud originem patris, non in materna civitate, etsi ibi nati sint, ad honores, seu munera posse „ compelli, explorati juris est „.

Quis Episcopus domicilii.

VI. Episcopus domicilii est Episcopus loci, in quo quis ita habitat, ut perpetuo manendi in eo nec usquam in locum originis suæ redeundi intentionem habeat, fortunasque suas in eo collocet, ut colligitur ex 50. *Cives*, C. *de Incolis*., cujus hæc sunt verba: „„ In eodem loco singulos habere domicilium non ambigi, ubi quis larem, rerumque, ac fortunarum suarum summam constituit; unde rursus non sit discessurus, si nihil avocet; unde cum profectus est, peregrinari videtur; quo si redit, peregrinari jam destitit „„. Et 50. *Nec ipsi*, C. sub eodem Titulo: „„ Nec ipsi qui studiorum causa aliquo loco commorantur, domicilium ibi habere creduntur, nisi decem annis transactis eo loco sedes sibi constituerint, secundum Epistolam D. Hadriani, nec pater, qui propter filium studentem frequentius ad eum commeat „„. Nemo ergo, qui a brevi tempore locum aliquem incolit, credi debet in eo domicilium fixisse, nisi rationes, seu conjecturæ probabiles id suadeant; sicut enim in fugientibus onera, *Domicilium re, & facto transfertur, non nuda contestatione*, ut habetur 50. *Domicilium* ff. *ad Municipalem*; ita in appetentibus honores nuda contestatione contenti esse non debemus. De exteris facile quisque suspicari potest, eos, si in alieno loco postulent ordinari, patriam fugere, in qua nati sunt, ut facilius Ordinatoribus imponant, suaque crimina, & impedimenta canonica, quibus forte sunt irretiti, occultent, quemadmodum monuit *Clemens IV.* cap. *Sæpe contingit*, tit. *De temporibus Ordinationum*, in Sexto. Cavendum est,

est, ne quis aliquo figmento, & prætenso in fraudem domicilio ab alienæ Diœcesis Episcopo ordinetur; quod pœna etiam in Ordinatos constituta puniendum censuit *Gregorius X.* in Concilio generali Lugdunensi, cujus Decretum refertur cap. *Eos qui*, tit. *De temporibus Ordinationum*, in 6. Adhibendæ sunt igitur ab Episcopo aliquæ conjecturæ, antequam alienæ Diœceseos hominem, qui brevi tempore in sua Diœcesi fuerit, commoratus, ad Ordines promoveat. Conjectura autem in impuberibus optima est, si paternum domicilium incolant, imo etiam si maternum, quando pater mortuus est, vel incertus; pro puberibus autem, si nuptias aliquando in eo loco contraxerint, si summam rerum suarum in eum locum transtulerint; si Officium, quod residentiam exigit, in eo loco obtinuerint; si domum, vel prædium emerint; denique si per decem annos ibi commorati fuerint. Ex diuturna enim, continuaque mansione, qualis est decennalis, voluntas perpetuo commorandi alicubi colligitur, nisi contrarium aliunde conjiciatur, ut in Scholasticis, & Castellanis, qui plures annos alicubi morari solent cum animo remeandi in locum originis, *Decennale domicilium*, ut quis ab Episcopo domicilii possit ordinari, postulant Conc. Mediolanense 4. anno 1576. & Aquense anno 1585. Cæterum quia domicilii probatio non ita facilis est, quia fieri potest, ut quis diu in aliena Diœcesi maneat cum animo revertendi in propriam, gallicani Episcopi ab ordinatione Clericorum, qui alibi nati sunt, sibi temperare solent, eosque ad Episcopum originis remitere. Et certe jus originis juri domicilii multum præponderat; illud enim naturale, istud civile est; illud necessarium, istud voluntarium; illud immutabile, istud variabile.

Episcopus beneficii.

Ab Episcopo, cujus in Diœcesi beneficium obtinet, aliquis ordinari potest secundum Bonifaciani tenorem Decreti, sive beneficium simplex sit, sive Residentiam postulet; sive in titulum (ut vocant) sive in Commendam possideatur; sive opimum sit,

sive

sive tenue; sive unum, sive plura in diversis Diœcesibus habeantur beneficia; modo possessionem illorum adierit ordinandus. Episcopo enim competit auctoritas in Clericum ratione beneficii cujuscumque, quod in sua Diœcesi obtinet; sicut olim, cum nullus Clericus fiebat, nisi certæ adscriberetur Ecclesiæ, nemo absolute ordinabatur, jus ordinandi Clericum illi soli conveniebat Episcopo, in cujus Diœcesi erat Ecclesia, cui addictus erat.

Verum quia fieri potest, ut beneficium aliquod in fraudem suscipiatur, quo proprii Episcopi, ex cujus Diœcesi quis oriundus est, & in qua domicilium habet, examini se subducat; & quia vita, & mores Clerici ordinandi non ita accurate discuti possunt ab Episcopo, in cujus Diœcesi simplex beneficium possidet absque mansione, ac ab Episcopo originis, & domicilii; ideo ad fraudem avertendam, & hujusmodi periculum cavendum, raro in Gallia ab Episcopo beneficii, præsertim simplicis, Ordinatio recipitur, raro hoc jure Episcopi nostrates utuntur. Ecclesiasticæ disciplinæ conservationi conducibilis certe est consuetudo ista, quæ ad unum Episcopum originis Clericos adstringit, nec licentiam a variis Episcopis ordines recipiendi passim indulget; quæ licentia & confusionem inducere, & Clericorum inobedientiam augere, & imperitiam, atque dissolutionem aliquando fovere posset. His expensis, generalia Cleri gallicani Comitia anno millesimo sexcentesimo quinquagesimo quinto congregata gallicanos Præsules hortata sunt, ut Diœcesanos duntaxat suos, sive ex suis Diœcesibus oriundos ordinarent Quin & sacra Congregatio Cardinalium Conc. Trid. Interpretum 15. Febr. anno 1596. censuit satius esse Clericum quemdam ab Episcopo Tirasonensi, in cujus Diœcesi ortus erat, ad ordines promoveri. Cæterum posse etiam Episcopum Valvensem, in cujus Cathedrali Canonicatum obtinebat, eumdem ordinare; verumtamen instructionem de vita, moribus, natalibus, cæterisque qualitatibus ordinandi ab Episcopo

Ecclesiæ disciplinæ magis convenit, ut a solo Episcopo originis Ordines vulgo recipiantur.

ſcopo Tiraſonenſi ſumere ipſum Valvenſem Epiſcopum debere, præterquam quoad doctrinam, circa quam ab eodem Epiſcopo ordinante diligenter examinandus eſt.

ARTICULUS III.

REGULÆ PRAXIM SPECTANTES.

Circa Epiſcopum, a quo quiſque debet ordinari.

REGULA PRIMA.

Epiſcopus, qui beneficium alicui contulerit, ut eum abſque proprii Epiſcopi licentia ad Ordines promoveat, aut quolibet figmento quæſito, aut affectata ignorantia alienæ Diœceſis hominem ordinaverit, incurrit in pœnas Canonum.

A quo Epiſcopo ordines recipiendi.

Ita declaravit *Gregorius X.* in Concilio generali Lugdunenſi, & refertur cap. *Eos qui*, Tit. *de Temporibus Ordinationum*, in 6. „ „ Eos (*inquit*) qui Clericos Parochiæ alienæ, abſque Superioris ordinandorum licentia ſcienter, ſeu affectata ignorantia, vel quocumque alio figmento quæſito præſumpſerint ordinare, per annum a collatione ordinum decernimus eſſe ſuſpenſos: His, quæ jura ſtatuunt contra taliter ordinatos, in ſuo robore duraturis „ „. Tritum illud juris: *Fraus, & dolus alicui patrocinari non debent.* Si ergo beneficium alicui conferatur in fraudem, ut ex aliena Diœceſi extrahatur, & Epiſcopi proprii, ex cujus Diœceſi oriundus eſt, examini, atque ordinationi ſubducatur, fraus hujuſmodi ipſi non prodeſt, ut declaravit ſacra Congregatio Cardinalium Conc. Trid. Interpretum ad Epiſcopi Cadurcenſis conſultationem reſpondens die ſeptima Octobris anno milleſimo ſexcenteſimo ſexageſimo ſecundo. „ „ Congregatio (*inquit*) Concilii ſæpius declaravit, tametſi quis poſſit ordinari ab Epiſcopo loci beneficii, ſi tamen adeptus ſit beneficium in fraudem, eſſe male promotum; ac ſi in ſuſceptis ordinibus

nibus miniſtraverit, irregularitatem contrahere. Cæterum an ipſa fraus interceſſerit, ex legitimis conjecturis ad præſcriptum juris eſſe dignoſcendum „„. Cum etiam Cardinalis *Aquaviva* Neapolitanus Archiepiſcopus Congregationi expoſuiſſet, quoſdam Clericos prima Tonſura, vel minoribus Ordinibus Neapoli initiatos, deinde ad ſubterfugiendum examen, & probationem Patrimonii ſufficientis, prout Conſtitutiones ſynodales Neapolitanæ requirunt; adire aliquem ex vicinis Epiſcopis, a quo provideri ſibi de aliquo vel tenuiſſimo beneficio curabant, cujus ratione, tanquam illi Epiſcopo ſubditi, ab eo ad Subdiaconatus, Diaconatus, & Presbyteratus ordines promovebantur, ac mox Neapolim reverſi, ordines per ſupradictam fraudem ſuſceptos in illa Diœceſi exercebant; ſacra Congregatio cenſuit: „„ Nec item hos ad effectum ordinationis beneficium adipiſcentes, debere ordinari ab Epiſcopo conferente beneficium, ordinatoſque in Suſpenſionem incidiſſe, & Epiſcopum a collatione Ordinum per annum etiam ſuſpenſum eſſe „„. Id confirmat *Fagnanus* in 2. p. lib. 5. Decretalium, pag. 135. „„ Clericus primæ Tonſuræ (*inquit*) qui beneficium obtinet in aliena Diœceſi, etſi promoveri poſſit ad minores Ordines ab Epiſcopo beneficii quantumvis tenuiſſimi, ad præſcriptum Capitis *Cum nullus*, Tit. *de Temporibus Ordinationum*, *in* 6. tamen ſi illud beneficium ſibi in fraudem conferri curaverit, ut eludat examen, ac judicium ſui Ordinarii; cenſetur male promotus, & remanet ſuſpenſus ab executione Ordinum, tanquam ordinatus a non ſuo Epiſcopo juxta Caput 8. Seſſionis 23. ut ſacra Congregatio declaravit „„.

REGULA II.

Epiſcopus Ordines alicui conferre non poteſt ratione tenuiſſimi beneficii, quod in ejus Diœceſi obtinet, ſi ex aliena Diœceſi ſit oriundus, in eaque domicilium habeat.

In

In eo enim casu præsumptio fraudis est, puta, si beneficium quatuor duntaxat ducatos annuatim reddat, vel ad summum septem ducatos, ut censent Zerola in Praxi Episcopi, p. 1. vero *Beneficia*, §. 3. *Soto* lib. 2. *de Justitia, & jure*, qu. 3. *Barbosa* p. 2. *de Officio, & Potestate Episcopi*, Allegatione 4. num. 45.

REGULA III.

Episcopus alienæ Diœcesis hominem in familiam suam adscriptum, & tres annos continuos apud se commoratum ordinare potest, ea lege, ut beneficium statim ipsi conferat absque fraude.

A quo Episcopo ordines recipiendi.

Ita statuit Concilium Trid. Sess. 23. *de Reform.* c. 9. „ „ Episcopus familiarem suum non subditum ordinare non possit, nisi per triennium secum fuerit commoratus, & beneficium quacunque fraude cessante statim reipsa illi conferat; consuetudine quacumque, etiam immemorabili, in contrarium non obstante „ „.

REGULA IV.

Titulares Episcopi non gaudent privilegio familiares suos ordinandi.

Hanc enim potestatem ad ordinarium Episcopum restrinxit Tridentina Synodus Sess. 14. *de Reformatione*, cap. 2. „ „ Nemo (*inquit*) Episcoporum, qui Titulares vocantur, etiamsi in loco nullius Diœcesis, etiam exempto, aut aliquo monasterio cujusvis Ordinis resederint, aut moram traxerint, vigore cujusvis privilegii sibi de promovendo quoscumque ad se venientes pro tempore concessi, alterius subditum, etiam prætextu familiaritatis continuæ comensalitatis suæ, absque proprii Prælati expresso consensu, aut literis dimissoriis ad aliquos sacros, aut minores Ordines, vel ad primam Tonsuram promovere, sive ordinare valeat. Contra faciens ab exercitio

citio Pontificalium per annum, taliter vero ordinatus ab executione Ordinum sic susceptorum, donec suo Prælato visum fuerit, ipso jure sint suspensi „„.

REGULA V.

Regulares a proprio Episcopo debent ordinari, non minus quam cæteri Clerici. Proprius autem eorum Episcopus est Diœcesanus monasterii, in quo ipsi permanenter degunt.

Hæc Regula colligitur ex Can. 15. Concilii Carthaginensis 5. & refertur, dist. 58. Can. *Si quis*, cujus hæc sunt verba: „„ Si quis de alterius monasterio repertum, vel ad Clericatum promovere voluerit, vel in suo monasterio majorem monasterii constituere, Episcopus, qui hoc fecerit, a cæterorum communione sejunctus, suæ tantum plebis communione contentus sit, & ille neque Clericus, neque Præpositus perseveret „„.

Idem colligitur ex Concilio Arelatensi 3. in causa Lirinensis monasterii, in quo contendente pro jurisdictione Episcopali *Theodoro* Antipolitano Episcopo, pro libertate vero Monachis Lirinensibus, convocati Provinciæ Arelatensis Episcopi a *Ravennio* Arelatensi Metropolitano, quædam capita ab utrisque observanda condiderunt; tum vero sanxerunt, *Ut Clerici, atque Altaris ministri a nullo nisi ab ipso* Episcopo Diœcesano, *vel cui ipse injunxerit, ordinentur*; id scilicet Episcopali honori in monasteriis quamtumvis exemptis reservandum censentes, ut a nullo quam a Diœcesano, Monachi ordinari possent.

Id confirmatur ex Diplomate Pontificio *Leonis X.* quod incipit *Dum intra Mentis arcana*, quod in Conc. Lateran. 5. Sess. 11. promulgatum est, quo statuitur: „„ Ut nullatenus in Regularium Ecclesiis, seu Domibus, aut aliis eorum locis, ab alio quam a Diœcesano Episcopo, vel ejus Vicario super hoc cum debita reverentia requisito, & absque rationabili causa

contradicente, vel in ea Diœceſi abſente, ad dictos Ordines promoveri debeant „ „.

Id a ſacra Synodo Tridentina confirmatum, & Privilegia, ſi quæ forent in contrarium, abrogata ſunt ſeſſ. 23. *De Reformat.* c. 8. „ „ Unuſquiſque (*inquit*) a proprio Epiſcopo ordinetur; quod ſi quis ab alio promoveri petat, nullatenus id ei, etiam cujuſvis generalis, aut ſpecialis Reſcripti, vel Privilegii prætextu, etiam ſtatutis temporibus permittatur, niſi ejus probitas, ac mores Ordinarii ſui teſtimonio commendentur „ „ Ex c. 10. „ „ Abbatibus, ac aliis quibuſcunque, quamtumvis Exemptis, non liceat impoſterum, intra fines alicujus Diœceſis conſiſtentibus etiamſi nullius Diœceſis, vel Exempti eſſe dicantur, cuiquam qui Regularis ſubditus ſibi non ſit, Tonſuram vel Minores ordines conferre; nec ipſi Abbates, & alii Exempti, aut Collegia, vel Capitula quæcunque, etiam Eccleſiarum cathedralium, literas dimiſſorias aliquibus Clericis ſæcularibus, ut ab aliis ordinentur, concedere; ſed horum omnium ordinatio, ſervatis omnibus, quæ in hujus ſanctæ Synodi decretis continentur, ad Epiſcopos, intra quorum Diœceſis fines exiſtunt, pertineat, non obſtantibus quibuſvis privilegiis, præſcriptionibus, aut conſuetudinibus „ „. Ex his duobus decretis manifeſtum eſt, Concilium Tridentinum integram ordinandi cum ſæculares, tum Regulares poteſtatem penes Diœceſanos Epiſcopos eſſe voluiſſe

A quo Epiſcopo ordines recipiendi.

Iſtud Tridentini Concilii Decretum in Italia, Gallia, Hiſpania receptum eſt. Nucerina Synodus a *Simone Lunadoro* Senenſi Epiſcopo habita anno milleſimo ſexcenteſimo octavo, Tit. *In quibus Viri, & loca Regularia Epiſcopali ſubjaceant juriſdictioni*, ita de ea re ſtatuit: „ „ Regulares, licet a ſuis Superioribus examinati, & dimiſſi, nihilominus ſine diligenti Epiſcopi examine ordinandi non ſunt, nec ab alio quam ab Epiſcopo loci, ubi ſuorum Superiorum mandato degunt, ſi is ſacras Ordinationes habuerit, promovendi erunt „ „.

Con-

Conſtitutiones Aretinæ, in Diœceſana *Petri Uſimbardii* Synodo anno milleſimo quingenteſimo nonageſimo octavo promulgatæ, Tit. *de Sacramento Ordinis*, idem ſtatuunt: „„ Sciant tam regulares quam ſæculares Clerici, qui ante ætatem legitimam ad ſingulos ſacros Ordines promovebuntur, aut etiam qui, cum ex urbe vel Diœceſi Aretina oriundi ſunt, abſque legitimis Dimiſſoriis ab alieno Epiſcopo aliquem ex ipſis ſacris Ordinibus acceperint, ſe a prædictorum ordinum executione ipſo jure ſuſpenſos eſſe ex Pii II. Pontificis Conſtitutione „„.

Synodus Cremonenſis prima ſub *Cæſare Speciano* Epiſcopo celebrata anno milleſimo quingenteſimo nonageſimo nono. Tit. *De his, quæ pertinent ad Sacramentum Ordinis*, ita decernit: „„ Apoſtolico Decreto ſanctiſſimi Domini noſtri (*Clementis VIII.*) ſub die 15. Martii anni milleſimi quingenteſimi nonageſimi ſexti edito, quod in fine hujus Synodi deſcribetur, inhærendo, mandamus, ne quiſpiam cujuſvis Ordinis regularis ad ullos Ordines promoveri poſſit extra hanc Diœceſim „„.

Synodus Burdigalenſis provincialis ſub Cardinali *de Sourdis* celebrata anno milleſimo ſexcenteſimo vigeſimo quarto, Tit. *de Ordine*, c. 12. „„ Superioribus (*inquit*) monaſteriorum, in quibus Religioſi fixam, & firmam commorandi ſedem habent, prohibemus, ne literas dimiſſorias Religioſis ſuis, ut a quocumque ordinentur, concedant, ſed a ſuo Pontifice, aut ab alio de ejus licentia ordinandos eſſe duntaxat decernimus; eos vero, qui pro inſtituto ad varia domicilia certis temporum intervallis transferuntur, cum literis Provincialium ſuorum de voto Religionis emiſſo fidem facientibus, ab Ordinario loci, in quo pro tempore degunt, admitti tantum præcipimus ab aliis nunquam niſi Atteſtatione præhabita a Pontifice loci, ſeu Vicario generali obtenta, qua cur apud ſe nequiverint ordinari, prohibeatur „„.

Generalia Cleri gallicani Comitia anno milleſimo ſexcenteſimo vigeſimo quinto celebrata, non niſi a

propriis Episcopis quosvis Clericos tam regulares quam sæculares ordinari sanxerunt.

Superiores Regulares literas dimissorias concedere possunt subditis suis ad Episcopum diœcesanum, non ad alium; nisi Diœcesanus abfuerit, vel Ordinationes non sit habiturus.

Concilium Toletanum anno millesimo quingentesimo octogesimo tertio celebratum, actione 3. cap. 47. ejusdem est sententiæ, & Declarationis Cardinalium Tridentini Concilii interpretum ea de re editæ meminit, cujus hæc sunt verba; „ „ De mandato S. D. N. Clementis divina providentia Papæ VIII. tenore præsertim mandatur omnibus, & singulis quorumcumque Regularium Superioribus, ut de cætero observent, & observari faciant ea, quæ in Decreto sacræ Congregationis Concilii Tridentini continentur, cujus tenor est talis; Congregatio Concilii censuit, Superiores regulares posse suo subdito item Regulari, qui præditus qualitatibus requisitis Ordines suscipere voluerit, Literas dimissorias concedere, ad Episcopum tamen diœcesanum, nempe illius monasterii, in cujus familia ab iis, ad quos pertinet, is Regularis positus fuerit; & si Diœcesanus abfuerit, vel non esset habiturus ordinationes, ad quemcunque alium Episcopum; dum tamen ab eo Episcopo, qui Ordines contulerit, examinetur quoad doctrinam; & dum ipsi Regulares non distulerint de industria concessionem dimissoriarum in id tempus, quo Episcopus diœcesanus, vel abfuturus, vel nullas habiturus ordinationes esset. Verum cum a Superioribus regularibus, Episcopo diœcesano absente, vel ordinationes non habente, Literæ dimissoriæ dabuntur, in iis utique hujusmodi causam absentiæ diœcesani Episcopi, vel ordinationum ab eo non habendarum, exprimendam esse; quod qui non fecerint, officii, & dignitatis, seu administrationis, ac vocis activæ, & passivæ privationis, ac alias arbitrio ejusdem S. D. N. Papæ reservatas pœnas incurrent „ „. Datum Romæ die 15. Martii anno 1596.

Denique cum *S. Pius V.* constitutione sua, quæ incipit, *Etsi Mendicantium Ordo*, decrevisset hujusmodi Ordinum Fratres sacros Ordines a quolibet Antistite gratiam, & commissionem Apostolicæ sedis

dis habente, ordinarii loci minime requisita licentia, in locis sive domibus suis, sive alibi recipere posse, hanc Constitutionem *Gregorius XV.* Constitutione sua 15. quæ incipit: *In tanta rerum*, revocavit, & ad terminos juris communis, ac Tridentini Conciliii reduxit.

REGULA VI.

Rescripta apostolica, ut quis a quocumque Antistite promoveri possit, nemini suffragatur, nisi ejus probitas, ac mores Ordinarii sui testimonio comprobentur.

A quo Episcopo ordines recipiendi.

Hanc Regulam tradit Concilium Trid. Sess. 23. cap. 8. „„ Unusquisque (*inquit*) a proprio Episcopo ordinetur. Quod quis ab alio promoveri petat, nullatenus id ei, etiam cujusvis generalis aut specialis rescripti, vel privilegii prætextu, etiam statutis temporibus permittatur, nisi ejus probitas, ac mores Ordinarii sui testimonio commendentur; si secus fiat, ordinans a collatione Ordinum per annum, & ordinatus a susceptorum Ordinum executione, quamdiu proprio Ordinario videbitur expedire, sit suspensus „„. Res scilicet plena æquitate, & digna laude visa est Tridentina Patribus: *Ut de mendacio nemo lucretur, præsertim apud sanctam, & summam Sedem;* ut scribebat olim ad Innocentium II. *S. Bernardus.* Æquissimum visum est fraudibus, & clandestinis molitionibus occurrere, quibus rescripta ista ignari, & perditæ vitæ, atque existimationis homines extorquere possunt. Nullum autem convenientius remedium judicatum est, quam ut Episcopi, quorum maxime interest Ordinatio, & qui ordinandos perfectius nosse possunt, de eorum vita, & moribus prius testimonium perhibeant, quam ipsis licentia Ordines ab aliis suscipiendi concedatur. Quamobrem idem Concilium statuit, ut ii, quibus prohibitus aditus ad sacros Ordines ab ordinatio fuerit, nullius vi rescripti interdictos Ordines recipere possit. Triden-

tinum autem Decretum his verbis conceptum est Sessionis 14. *de Reformat.* c. 1. „„ Cum honestius, ac tutius sit subjecto, debitam Præpositis obedientiam impendendo, in inferiori ministerio deservire, quam cum Præpositorum scandalo graduum altiorum appetere dignitatem; ei, cui ascensus ad sacros Ordines a suo Prælato, ex quacunque causa, etiam ob occultum crimen quomodolibet, etiam extrajudicialiter, fuerit interdictus; aut qui a suis ordinibus, seu gradibus, vel dignitatibus ecclesiasticis fuerit suspensus, nulla contra ipsius Prælati voluntatem concessa licentia de se promoveri faciendo; aut ad priores ordines, & gradus, & dignitates, sive honores restitutio suffragetur „„.

Idem Concilium sess. 7. *De Reform.* cap. 11. de hujusmodi Rescriptis ita statuit: „„ Facultates de promovendo a quocunque non suffragentur nisi habentibus legitimam causam, ob quam a propriis Episcopis ordinari non possint, in literis exprimendam; & tunc non ordinentur nisi ab Episcopo in sua Diœcesi residente, aut pro eo Pontificalia exercente, & diligenti prævio examine „„.

REGULA VII.

Nemo ab alieno Episcopo ordinari potest sine licentia proprii Episcopi, seu Dimissoriis literis.

Hanc Regulam a Conciliis Carthaginensi 1. Can. 5. Bracarensi 1. Can. 26. Trullano Can. 17. Cabilonensi 2. Can. 41. Meldensi Can. 15. & summis Pontificibus *Innocentio I.* Ep. 2. *Zacharia* in Synodo romana, cap. 11. *Clemente IV.* cap. 1. *De temporibus ordinat.* in Sexto traditam confirmat Conc. Tridentinum sess. 14. cap. 2. *De Reform.* dum a titulari Episcopo alterius subditum quocunque prætextu ordinari vetat, *Absque sui proprii Prælati expresso consensu, aut literis dimissoriis.* Expressum consensum, vel literas dimissorias requirit, non absolute dimissorias literas, quod aliquando contingat, publice

blice ac ſolemniter in Eccleſia Epiſcopi proprii, eo preſente, ſed honoris cauſa alienum Epiſcopum ad celebrationem ordinum invitante, vel propter infirmitatem indigente, aut abſente eo quidem, ſed præſentibus Officialibus ejus, iiſque adjuvantibus examinantibus, & teſtimonium de ordinatione ferentibus, ordinationem celebrari; quo unico caſu literis dimiſſoriis opus non eſt, ut quis ab alterius civitatis Epiſcopo ordinari valeat, ſed expreſſus conſenſus Epiſcopi ſufficit. Idem confirmatur ex ſeſſ. 7. *De Reform.* cap. 10. & ſeſſ. 23. cap. 10.

REGULA VIII.

Soli Epiſcopi, non Abbates, neque alii etiam exempti, aut Collegia, vel Capitula quæcunque, etiam Eccleſiarum cathedralium, literas dimiſſorias Clericis ſæcularibus concedere poſſunt, ut ab aliis ordines ſuſcipiant.

Ita ſanxit Concilium Trid. ſeſſ. 23. *De Reformat.* cap. 10. quod Decretum executioni mandari juſſit Synodus Burdigalenſis anno 1624. tit. *De ordine*, cap. 12. Vicarius etiam generalis Epiſcopis dimiſſorias literas concedere non poteſt, niſi ex ſpeciali Mandato Epiſcopi, vel ipſo Epiſcopo in remotis agente, ut decretum eſt cap. *Cum nullus*, tit. *De temporibus ordinationum*, in Sexto.

REGULA IX.

Capitulum Sede vacante nonniſi elapſo anno, a die obitus Epiſcopi numerando, licentiam ordinandi, aut dimiſſorias literas concedere poteſt, tam ex juris communis diſpoſitione, quam etiam cujuſvis privilegii, aut conſuetudinis vigore, alicui, qui beneficii Eccleſiaſtici recepti, ſive recipiendi occaſione arctatus non fuerit.

Sanctio eſt Concilii Trid. ſeſſ. 7. c. 10. *de Reform.* quam ſi Capitulum violaverit, eccleſiaſtico ſub- An, & quando Capitulo pote-

ſtas Sede vacante conveniat concedendi licentiam ordinandi, aut literas dimiſſorias.

jacet Interdicto; & ſic ordinati, ſi in minoribus conſtituti fuerint, nullo Privilegio clericali, præſertim in criminalibus gaudent; in majoribus vero, ab executione Ordinum, ad beneplacitum futuri Prælati ſunt ipſo jure ſuſpenſi. Quam pœnam ſacra Synodus Seſſ. 23. c. 10. ad illos, qui eaſdem literas non a Capitulo, ſed ab aliis quibuſvis, in juriſdictione Epiſcopi loco Capituli, Sede vacante ſuccedentibus, obtinerent, mandat extendi. Concedentes autem dimiſſorias contra formam Decreti, ab officio, & beneficio per annum ipſo jure ſuſpenſos declarat.

Arctatus porro quis dicitur occaſione beneficii recepti, qui aliquod obtinet beneficium requirens miniſterium perſonale, ratione cujus de jure, conſuetudine, privilegio, ſtatuto Eccleſiæ, vel fundationis tabulis, Ordines intra annum ſuſcipere tenetur; exempli gratia, qui parochialem Eccleſiam obtinet, arctatus eſt ad Sacerdotium intra annum ſuſcipiendum, & qui obtinet Canonicatum, arctatus eſt ad ſuſcipiendum Ordinem illi annexum; idemque judicium eſto de beneficiis, ſeu Capellaniis, requirentibus ex inſtituto miniſterium perſonale, ſeu Ordinis alicujus functiones.

De dimiſſoriis.

Arctatus vero dicitur occaſione beneficii recipiendi, qui jus habet, ſeu vocatus eſt ad aliquod beneficium vacans, quod requirit certum Ordinem, quo ille caret; vel qui cum ſit initiatus prima Tonſura, præſentatus eſt ad beneficium quod majorem Ordinem actu requirit. Sed minime dici arctatum occaſione beneficii recipiendi illum, cui aliquis vult reſignare beneficium requirens actu Ordinem, quo ille caret, poſt alios obſervat *Barboſa* p. 2. *de Officio, poteſtate Epiſcopi*, Alleg. 7. §. 11. Nec etiam arctatus cenſetur occaſione beneficii recipiendi, qui nondum Clericus eſt, ſed, opportunitate data captandi beneficii, Tonſuram vult ſuſcipere, ut beneficii capax fiat. Vocatio enim Spiritus ſancti, non cupiditas, & ambitus beneficii, hominem ad Statum clericalem perducere, ac promovere debet.

RE-

REGULA X.

Literæ dimissoriæ concedendæ non sunt nisi ex justa causa, & prævio illius examine cui conceduntur, nec generatim ad omnes, sed speciatim, ac seorsim ad singulos Ordines.

De dimissoriis.

Conciliorum Decretis hæc regula nititur, imprimis Decreto Concilii Tridentini sess. 23. cap. 3. de Reformatione. „ „ Episcopi (*inquit*) per semetipsos Ordines conferant. Quod si ægritudine fuerint impediti, subditos suos non aliter quam jam probatos, & examinatos, ad alium Episcopum ordinandos dimittant „ „.

Item Concilii Mediolanensis 3. Tit. *De iis, quæ pertinent ad Ordinis Sacramentum*, ita statuentis: „ „ Infirma valetudine, aliave justa causa impeditus Episcopus, si statas sacras Ordinationes habere non potest, & aliquem propterea Clericum suum ad alium Episcopum mittere velit, a quo alicui ecclesiastico Ordini adscribatur, testimonialibus literis ei datis hæc adscribat, & testata faciat; vitæ imprimis, & morum probitatem, doctrinam, qua idoneus examine habito judicatus est; ecclesiasticum Ordinem, quo est proxime initiatus, tum præterea natales, aut dispensationem, si quam super illis obtinuerit; si vero majori Ordini adscribendus est, ætatem item, & Titulum, sufficientemque censum beneficii, vel pensionis, vel Patrimonii, quod ille habet. Quicumque Clericus non hujusmodi literas attulerit, quibus omnia adscripta, testatave fiant; Ordini, cui adscribi vult, ne adscribatur, perinde ac si nullas Episcopi sui dimissorias literas impetrarit „ „.

Concilii Mediolanensis 4. eodem Tit. „ „ Sæpe (*inquit*) illud, facileque evenit, ut vel hominis mores mutentur, vel quod de illius vita minus antea notum, atque exploratum erat, id postea aliquo modo patefiat; quo fit, ut quem Episcopus, Superiorve aliquando probarit, dignumque existimarit aliquo etiam sacro Ordine initiari, illum ipsum post

inveniat indignum; neque idoneum esse, cui idem, aut major Ordo conferatur. Quare ut & erroribus, multiplicique fraudi occurratur, & plane serventur Decreta illa Tridentina; unum, quo vetatur ad superioris Ordinis gradum illos ascendere, qui inferioris aliquamdiu Episcopi judicio versati non sint, quique cum ætate, vitæ etiam merito, doctrinaque majori non processerint; alterum quo cavetur, nemini licere ab alio Episcopo primam Tonsuram, aut ordinem aliquem suscipere, nisi ejus probitas, & mores Ordinarii sui testimonio primum commendentur; Episcopus, aliusve Superior, prout pro sua prudentia, pietateque expedire censuerit, imprimis videat, ne cuiquam antequam sacræ ordinationis tempus proxime instet, literas ejusmodi testimoniales, dimissoriasve pro ordinibus ab alio Episcopo suscipiendis, sine necessaria causa unquam concedat „„.

„„ Neque item iisdem literis facultatem det plures ordines suscipiendi, quam illos tantum, quos uno, eodemque tempore ab eo suscipi voluerit, ac per sacros Canones, Conciliaque licuerit „„.

„„ Præfiniat præterea in illis ipsis certum suscipiendi ordinis, cui quisquam adscribendus est, tempus menstruum scilicet, vel bimestre, vel longius, ut pro loci distantia, pro aliave ejusmodi causa opus esse viderit. Quo præstituto tempore transacto, eas literas illo nomine a se concessas imposterum nihil suffragari, nihilque roboris habere, iisdem literis declaret; quas etiam Cancellario Episcopali, ab illo, cui concessæ sunt, reddi decernat „„.

„„ Nec vero alienæ Diœcesis Clerico sæculari, neque ulli omnino regulari, literarum auctoritate, quas dimissorias, testimonialesve, hic ab Superiore, aut ille ab ordinario suo habet, Episcopus ordinem aliquem vel minorem, vel majorem, ac ne primam quidem Tonsuram tempore illarum literarum præterito conferat. Quod si nullum iisdem literis spatium temporis præscriptum sit; ne item in sacra ordinatione quemquam promoveat, nisi eas recenter

aut

aut ſcriptas, aut renovatas confirmataſve is afferat; atque ita recenter quidem, ut non amplius duobus, tribuſve menſibus ante ſacræ ordinationis, qua ille proxime initiandus eſt, tempus, datæ, confirmatæve ſint; ſi modo aut loci diſtantia, aut ejus, qui ordinem ſuſcepturus eſt, diuturna a ſuo Epiſcopo, Superioreve abſentia, aliave id generis cauſa, vetuſtiores literas ejuſdem Epiſcopi judicio admitti, probarive non poſtulet. Id ipſum quoque Epiſcopus in teſtimonialibus morum literis cavebit, quas ſuæ etiam Diœceſis Clerici, aliive quicunque eo de genere afferent „„.

„„ Literas autem ejuſmodi de moribus teſtatum facientes ab alienæ Diœceſis Clericis, Regularibuſve, item qui a ſua Diœceſi, Monaſteriove proxime aliquandiu abfuerint, ſibi afferri, exhiberive curet, non ſolum ab eorum Epiſcopo, Superioreve, ſed ab illo etiam, apud quem proxime manſerint, ejuſve auctoritate ſcriptas, atque obſignatas. Quod a ſuis Clericis præſtari jubeat, qui in aliena Diœceſi aliquo temporis ſpatio proxime fuerint „„.

Eadem ſtatuit Concilium Aquenſe anno 1585. tit. *De his, quæ ad Sacramenti ordinis Adminiſtrationem pertinent.*

Concilium Narbonenſe Can. 12. „„ Nullus poſt hac, qui Diœceſi præſit, literis dimiſſoriis inſerat clauſulam illam negligentiæ potius quam muneris recte adminiſtrati teſtem, videlicet, Conſcientiam noſtram exonerantes; ſed per literas ſuas teſtetur eos idoneos, & qui provehantur dignos; quibus hanc inſeret clauſulam: QUEM idoneum, & dignum reperimus; aut nulla literis fides habebitur. Neque ad omnes ſimul hujuſmodi literæ dabuntur, ſed ad ſingulos ordines ſeparatim; ut qui ad majores promoveri voluerint, de aptitudine, & dignitate, ſeu idoneitate, & de his, quæ ratione ſuſceptorum, ſuſcipiendorumque ordinum in Eccleſia facienda ſunt, reſpondere valeant; niſi qui ordines capeſſunt, in ſacra Pagina, aut altero jure Gradum adepti ſint; aut in ingenuis, liberalibuſve ſcientiis tanquam emeriti,

&

& rude donati fuerint, qui vulgo in Artibus Magistri appellantur, quos verisimillimum est idoneos, & dignos esse „„.

Concilium Mexicanum lib. 1. tit. 4. „„ Literæ item dimissoriæ ad unum tantum ordinem suscipiendum concedantur, ut quam in munere susceptí ordines exequendo diligentiam ordinatus præstiterit, Episcopus intelligat „„.

Narbonense anni 1609. cap. 21. „„ Literæ dimissoriæ illis tantum conferantur, quos prævio examine, & diligenti facta inquisitione de ipsorum vita, & moribus idoneos, & probatæ vitæ repererint... In literis dimissorialibus non inseratur clausula illa: CONSCIENTIAM nostram exonerantes, vestram onerantes; cum nullus remitti debeat, quin ejus ordinis, ad quem sumendum remittitur, capax, & idoneus fuerit judicatus „ „.

„„ In literis dimissoriis non detur facultas nisi ad solum ordinem Sacrum suscipiendum intra annum, quo elapso, dictæ literæ nullius sint effectus „„.

REGULA XI.

Clericum ad se remissum cum literis commendatitiis Episcopi proprii, ab illoque examinatum, iterum examinare potest Episcopus ad quem dimissoriæ diriguntur, antequam ordines illi conferat.

Hæc Regula colligitur ex Concilio Trident. sess. 7. cap. 11. *De Reformat.* ubi habentes literas dimissorias, quibus a quocunque ordines suscipere possunt, ab Episcopo ordinaturo examinandos innuit: „„ Facultates (*inquit*) de promovendo a quocunque, non suffragentur, nisi habentibus legitimam causam, ob quam a propriis Episcopis ordinari non possint, in literis exprimendam; & tunc non ordinentur nisi ab Episcopo in sua Diœcesi residente, aut pro eo Pontificalia exercente, & diligenti prævio examine „„ Quamvis enim ista intelligi possint de iis, qui rescripta Pontificia obtinuerunt,

runt, ut Ordines a quocumque recipere possint; non dubium est tamen, quin ad eos etiam possint extendi, qui eamdem a suo Episcopo licentiam habent, præsertim cum id in Italia, & Gallia observetur, nec periculum sit ullum, ut quis denuo examinetur; nam qui dignus est, semper reperietur dignus; & aliquando accidit, ut indignus; sive ob festinationem interrogantis, sive ob incuriam, sive felici quodam eventu, quis in eas Quæstiones rogatus fortuito inciderit, quas solum noverit, cum tamen in reliquis omnibus, vel fere omnibus ignarus sit, pro digno habeatur. Deinde minimum incommodum Ecclesiæ creatur ex ejus rejectione; qui utcumque dignus fuerit; maximum vero in ejus receptione, qui omnino indignus sit. Quamobrem tutius est, si examinetur ordinandus, non solum a proprio Episcopo, qui literas dimissorias concedit, sed etiam ab eo, ad quem diriguntur, ut Ordines illi conferat.

REGULA XII.

Ordines Clericis sibi subditis denegare potest Episcopus ob crimen, etiam occultum; maxime si beneficium Ecclesiasticum non habeant, cui Ordo sit annexus.

An Episcopus ordines denegare possit subditis suis ob crimen occultum.

Repugnare videtur prima fronte, c. *Ex tenore*, Extra. *De Temporibus Ordinationum*, quod est *Alexandri III.* cujus hæc sunt verba: „„ Quoniam peccatum ipsius fore occultum dixisti, mandamus quatenus pœnitentiam ei condignam imponas, & suadeas, ut parte pœnitentiæ peracta, Ordine suscepto utatur; quo contentus existens, ad superiores amplius non ascendat. Verumtamen quia peccatum occultum est; si promoveri voluerit, eum non debes aliqua ratione prohibere „„.

Sed Regulam nostram aperte confirmat c. *Ad aures*, sub eodem Decretalium Titulo, quod est *Lucii III.* Rescriptum ad Archiepiscopum Turonensem; „„ Ad aures (*inquit*) nostras pervenit, quod Religiosi

ligiosi quidam ad Superiores desiderant Ordines promoveri, sed Prælati eorum desideriis contradicunt. Tuæ igitur quæstioni respondemus, quod honestius, & tutius est subjectis, debitam Præpositis obedientiam impendendo in inferiori ministerio deservire, quam cum Præpositorum scandalo graduum appetere dignitatem. Nec est in hac parte subjectorum desiderium confovendum; quoniam esse potest, quod Prælati eorum commissa secreta noverint, ex quibus constat eis, quod salva conscientia nequeunt sublimari; quia non in sublimitate graduum, sed in amplitudine charitatis acquiritur Regnum Dei „„.

S. Raymundus, lib. 3 Summæ, Tit. *De ætate Ordinandorum, & temporibus Ordinationum*, §. 17. hæc duo juris Capita, quæ prima fronte pugnantia videntur, dupliciter conciliari posse ait; primo, ut Caput *Ex tenore*, de clerico sæculari, cap. *Ad aures*, de Regulari intelligatur. Rationem diversitatis affert, quod *Regulares sunt fortius adstricti suis Prælatis quam sæculares*. Secundam conciliationis viam aperit, ut prior Decretalis intelligatur de Clerico beneficium Ecclesiasticum habente, cui sit Ordo annexus; altera de Clerico nullum hujusmodi beneficium habente. „„ Si habet Clericus jus petendi Ordinem, forte ratione beneficii, cui est Ordo annexus, non potest Episcopus eum prohibere, quamvis sciat illum commisisse peccatum occultum; & ita potest intelligi illa, *Ex tenore*. Si vero non habet jus petendi, non tenetur eum Episcopus ordinare; & ita intelligas illam: *Ad aures* „„.

Idem docet *Barbosa*, p. 2. *de Officio, & potestate Episcopi*, Allegatione 4. §. 66. „„ Illud (*inquit*) notare oportet denegare Ordines, aut Dimissoria non posse Episcopum ei, qui obtinet beneficium, vel est in Dignitate ecclesiastica constitutus, ut probat cap. *Ex tenore*, & ibi Glossa, *de tempore Ordinationum*, nisi desint in eo debitæ qualitates, aut aliquod habeat canonicum impedimentum. Aliis vero non tenetur Ordines conferre Episcopus, Cap. *Ad aures*, eo-

eodem titulo; maxime ſtante diſpoſitione Concilii Tridentini Seſſione 21. de Reformatione cap. 2. „„ *ibi*: Niſi illis quos Epiſcopus judicaverit aſſumendos: „„ Quæ verba cum denotent boni viri arbitrium, hoc eſt, voluntatem rationi ſubmiſſam.... ideo ſi Epiſcopus legitime non interponat arbitrium, Deum ſolummodo judicem habebit... ac proinde non dabitur Appellatio, &c „„.

Fagnanus, in 2. Partem lib. 1. Decretalium, in cap. *Ex tenore*, illud de Clerico ſæculari interpretatur, Caput vero, *Ad aures*, de Regulari; eamque Gloſſæ, Innocentii IV. Hoſtienſis, & aliorum explicationem a ſacra Congregatione Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum probatam teſtatur; verum Decretalem *Ex tenore*, hac in parte correctam fuiſſe ait ex jure noviſſimo Concilii Tridentini in cap. 1. Seſſ. 14. ubi ut, Epiſcopi liberius exequi poſſint ſuum munus, quod eſt vitia ſubditorum redarguere, ſtatuitur, ut ei, cui aſcenſus ad ſacros Ordines a ſuo Prælato ex quacumque cauſa etiam ob occultum crimen, quomodolibet extrajudicialiter fuerit interdictus, aut qui a ſuis Ordinibus, ſeu gradibus, vel Dignitatibus eccleſiaſticis ſuſpenſus; nulla contra ipſius Prælati voluntatem conceſſa licentia de ſe promoveri faciendo, aut ad priores Ordines, gradus, & dignitates, ſive honores reſtitutio ſuffragetur. „„ Unde (*inquit Fagnanus*) ex ſententia S. Congregationis Concilii eo Decreto corrigitur diſpoſitio Textus noſtri in ea parte, in qua determinat criminoſum occultum eſſe tantummodo commonendum, ſed non prohibendum aſcendere ad ſuperiores Ordines; & diſpoſitio Capitis proximi, quod de Regularibus loquitur, extenditur etiam ad Clericos ſæculares; ac præterea ampliatur in eo, quia Epiſcopus non ſolum poteſt ob crimen occultum prohibere aſcenſum ad Ordines, ſicut poterant prælati in vim dicti Capitis proximi, ſed etiam eos ſuſpendere ab Ordinibus, gradibus, & dignitatibus jam ſuſceptis, quod nec Epiſcopo, nec Prælatis regularibus

bus ante Concilium licebat „„. Et illis igitur, qui beneficia obtinent, quibus annexus est Ordo, Episcopos ob occultum crimen denegare posse collationem Ordinum, censet *Fagnanus*; quod si Prælati hac auctoritate forte abutantur, subditos ad Sedem apostolicam posse confugere, secundum Cap. *Ex literis*, Extra. *De in integrum Restitutione.* Ideoque „„ Cum olim de hoc ipso dubitatum esset quoad Episcopos; sacra Congregatio re ad Gregorium XIII. delata, edidit Decisionem, quæ postea perpetuo obtinuit in Dataria, videlicet: Quotiescumque Ordinarius recusaverit quemquam ordinare, committendum esse Metropolitano, vel viciniori Episcopo, ut ab eodem Ordinario prius requirat, cur recusaverit; quo causam legitimam non allegante, liceat illi eumdem recusatum ordinare „„.

ARTICULUS PRIMUS.

De Ordinationum effectibus.

PROPOSITIO UNICA.

Duplex est Sacramentum Ordinationum effectus, scilicet gratia sanctificans, & Caracter.

Duplicem hunc effectum sacris Ordinationibus tribuendum, catholicæ Fidei dogma est, ut declarat sacra Synodus Trid. sess. 23. Can. 4. „„ Si quis dixerit, per sacram Ordinationem non dari Spiritum sanctum, ac proinde frustra Episcopos dicere: *Accipite Spiritum sanctum;* aut per eam non imprimi Caracterem; vel eum, qui Sacerdos semel fuit, laicum rursus fieri posse, anathema sit „„.

§. I. *De primo Ordinationis effectu, scilicet Gratia.*

Ordinationum effectus.

Quod primum spectat, gratiam sanctificantem, non quidem primam, sed gratiæ incrementum in sacris Ordinationibus dari, colligitur ex Apostolo 1. ad Tim. 4. *Noli* (inquit) *negligere gratiam, quæ est in te, quæ data est tibi per prophetiam, cum impositione*

tione manuum Presbyterii. Et 2. ad Timoth. 1. *Admoneo te, ut resuscites gratiam Dei, quæ est in te per impositionem manuum mearum*; Id est, (ut Theodoretus commentatur) „ Hortor te, ut excites gratiam Spi„ ritus, quam per meam Ordinationem accepisti „. Et mox *Gratiam Spiritus* interpretatur, „ qua pericu„ la pro pietate non timemus, & Deum cum fervo„ re amamus „. Et ante Theodoretum *S. Joan. Chrysost.* Hom. 1. „ Hoc est (*inquit*) gratiam, quam „ accepisti ad Ecclesiæ institutionem, & ad omne „ Religionis obsequium; quippe hanc vel excitare, „ vel extinguere in nobis est „. Quod ad gratiam sanctificantem præcipue pertinet; unde inferius *Gratiam charitatis* vocat. Adde, quod *Anastasius II.* Pontifex Maximus scribens *ad Anastasium* Imperatorem, *Per iniquum traditam Sacramenti gratiam* firmam permanere declarat, de ordinatione sacra simul, & de Baptismo loquens. Et Auctor libri *De dignitate Sacerdotali*, inter Opera *S. Ambrosii*, cap. 5. „ Homo „ (*inquit*) imponit manum, Deus largitur gratiam „. Hinc *Eugenius IV.* in Decreto: „ Effectus (*inquit*) „ est augmentum gratiæ, ut quis sit idoneus Minister „. Et rursus Concilium Tridentinum, sess. 23. cap. 3. „„ Scripturæ testimonio, Apostolica traditione, & Patrum unanimi consensu perspicuum est, per sacram ordinationem, quæ verbis, & signis exterioribus perficitur, gratiam conferri „„.

Id confirmat *S. Thomas* in 4. *Sententiar.* dist. 24. qu. 1. art. 2. Quæstiunc. 1. „„ Dei perfecta sunt opera (*inquit*) & ideo cuicunque datur potentia aliqua divinitus, dantur ea, per quæ executio illius potentiæ potest congrue fieri. Sicut autem gratia gratum faciens est necessaria ad hoc, quod homo digne recipiat Sacramenta, ita etiam ad hoc, quod homo digne dispenset; & ideo sicut in Baptismo, per quem fit homo susceptivus aliorum Sacramentorum, datur gratia gratum faciens; ita in Sacramento ordinis, per quod homo ordinatur ad aliorum Sacramentorum dispensationem „„.

Et in Reſponſione ad tertium: „ „ Ad idoneam (*inquit*) executionem Ordinum non ſufficit bonitas quantacumque, ſed requiritur bonitas excellens, ut ſicut illi, qui Ordinem ſuſcipiunt, ſuper plebem conſtituuntur gradu Ordinis; ita & ſuperiores ſint merito ſanctitatis; & ideo præexigitur gratia, quæ ſufficiebat ad hoc, quod digne connumerarentur in plebe Chriſti; ſed confertur in ipſa ſuſceptione Ordinis amplius gratiæ donum, per quod ad majora reddantur idonei „ „.

§. II. *De altero Ordinationis effectu, ſcilicet Caractere.*

Quod ad alterum effectum attinet, ſcilicet caracterem, hunc in Ordine imprimi fides docet, ſpiritualem ſcilicet poteſtatem, quæ ad ſanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum refertur; in Sacerdote quidem plenam, & perfectam, ut qui Chriſti Jeſu Domini noſtri Corpus, & Sanguinem unus poteſt conficere; in aliis vero inferiorum Ordinum miniſtris majorem minoremve, quo quiſque miniſterio ſuo magis, minuſve ad Altaris Sacramenta accedit. Hæc autem poteſtas caracter ſpiritualis dicitur; quo qui Sacris initiati ſunt, interiori quadam nota animæ impreſſa ab aliis Fidelibus diſcernantur, ac divino cultui mancipentur. Quæ poteſtas, ac nota cum perpetua ſit, ſemperque maneat, Ordinationem iterare non licet, quamvis ab hæreticis, ſchiſmaticis, excommunicatis, exauctoratis ſive degradatis Epiſcopis collatam, ut probat perpetuus Eccleſiæ conſenſus. Hinc *S. Auguſt.* lib. 1. *de Baptiſmo contra Donatiſtas*, c. 1. ait: „ „ Sacramentum Baptiſmi eſt, quod habet, qui baptizatur; & Sacramentum dandi Baptiſmi eſt, quod habet, qui ordinatur. Sicut autem baptizatus, ſi ab unitate receſſerit, Sacramentum Baptiſmi non amittit; ſic etiam Ordinatus, ſi ab unitate receſſerit, Sacramentum dandi Baptiſmi non amittit. Nulli enim Sacramento injuria facienda eſt; ſi diſcedit a malis, utrumque diſcedit; ſi permanet in malis, utrumque permanet. Sicut ergo acceptatur Ba-

Baptismus, quem non potuit amittere, qui ab unitate discesserat; sic acceptandus est Baptismus, quem dedit ille, qui Sacramentum dandi, cum discederet, non amiserat. Nam sicut redeuntes, qui prius, quam recederent, baptizati sunt, non rebaptizantur; ita redeuntes, qui prius, quam recederent, ordinati sunt, non utique rursus ordinantur; sed aut administrant, quod administrabant, si hoc Ecclesiæ utilitas postulat, aut si non administrant, Sacramentum Ordinationis suæ tamen gerunt; & ideo eis manus inter Laicos non imponitur „„.

Idem confirmat lib. 3. *Contra Epistolam Parmeniani*, c. 13. „„ Nulla (*inquit*) ostenditur causa, cur ille, qui ipsum Baptismum amittere non potest, jus dandi potest amittere. Utrumque enim Sacramentum est; & quadam consecratione utrumque homini datur; illud cum baptizatur, istud cum ordinatur; ideoque in Catholica utrumque non licet iterari „„.

Quo sensu Pontifices & Concilia ordinationes hæreticorum, schismaticorum excommunicatorum irritas pronuntiant.

Quamvis igitur propter immania quædam scelera ministris Altaris, & Ecclesiæ auferri possint honor, dignitas, & locus Ordini conveniens; ut non alio loco deinceps habeantur quam Laici (quod fit exauctoratione, sive degradatione) ipsa tamen consecratio, & quæ consecratione collata est, potestas Ordinis, amitti non potest. Cum itaque ordinationes ab hæreticis, schismaticis, simoniacis, excommunicatis factas, juxta formam Ecclesiæ, Pontifices, & Concilia irritas pronuntiant, intelligendum est, eas esse irritas, non quoad substantiam Ordinis, quasi sint invalidæ, ac proinde iterari debeant; sed quoad Ordinis executionem, quia sic ordinatis non licet Ordinis sui functiones exercere. Tametsi vero dicantur nihil recipere, quia nec Ordinis honorem, sive administrationem recipiunt, nec privilegia Ordini adnexa; imo nec Spiritum sanctum, gratiamque sanctificantem, si ab hujusmodi hominibus scientes ordinentur, quia peccatis eorum communicant; spiritualem tamen potestatem, seu caracterem recipiunt, qui in eis perpetuo manet: „„ Omnis enim potestas,

ſtas, quæ datur cum aliqua conſecratione, nullo caſu contingente tolli poteſt, ſicut nec ipſa conſecratio annullari; quia etiam Altare, vel Chriſma ſemel conſecrata perpetuo ſacrata manent. Unde cum Epiſcopalis poteſtas cum quadam conſecratione detur, oportet, quod perpetuo maneat, quantumcunque aliquis peccet, vel ab Eccleſia præcidatur „„; (inquit *S. Thomas* in 4. *Sententiarum*, diſt. 23. qu. 1. art. 2.) Hinc Synodus Toletana 8. Can. 7. „„ Nequaquam (*inquit*) aliquando poterit profanari, quod divina juſſione, ſimulque apoſtolicæ Traditionis auctoritate ſacrum noſcitur extitiſſe. Verum ſicut ſacrum Chriſma collatum, & Altaris honor evelli nequeunt, ita quoque ſanctorum decus honorum, quod bis compar habetur, & ſocium, qualibet fuerit occaſione perceptum, manebit modis omnibus inconvulſum „„. Quamobrem Epiſcopi ab Eccleſia præciſi retinent poteſtatem alios ordinandi; & Ordinationes ab ipſis factæ ſunt validæ, quamvis licitæ non ſint. „„ Vera Sacramenta conferunt (*inquit ibid. S. Thom.*) ſed cum eis gratiam non dant; non propter inefficaciam Sacramentorum, ſed propter peccata recipientium ab eis Sacramenta contra prohibitionem Eccleſiæ „„.

Et in Reſponſione ad tertium: „„ Illi (*inquit*) qui ab hæreticis promoventur, quamvis accipiant ordinem, non tamen recipiunt executionem, ut licite poſſint in ſuis ordinibus miniſtrare „„.

Atque ita explicandus eſt Canon, *Daibertum*, cauſa 1. q 7. quod *Urbani II.* Reſcriptum eſt ad *Petrum* Piſtorienſem Epiſcopum, & *Ruſticum* Abbatem Vallis-Umbroſæ. *Daibertum* enim a *Nezelone* ſimoniaco, tametſi non ſimoniace, Diaconum ordinatum, *Ex integro Diaconum* conſtituit quoad honorem, locum, & executionem ordinis, ex quibus *Nihil habuit* ſimoniacus ille Epiſcopus, *nihil dare potuit*; non vero quoad ſubſtantiam ordinis, & caracterem ſpiritualem. Suam ipſe mentem *Urbanus II.* explicat in Epiſtola ad *Lucium* Præpoſitum *S. Juvencii* apud Ticinum

num : „„ Cæterum (*inquit*) ſchiſmaticorum, & hæreticorum Sacramenta, quoniam extra Eccleſiam ſunt, juxta SS. Patrum traditiones, ſcilicet Pelagii, Gregorii, Cypriani, Auguſtini, Hieronymi, formam quidem Sacramentorum, non autem virtutis effectum habere profitemur, niſi cum ipſi, vel eorum Sacramentis imbuti, per manus impoſitionem ad catholicam redierint unitatem „„.

Ita explicandus eſt & *Innocent. I.* Epiſt. 18. cap. 3. cum ait, in Arianis, aliiſque hujuſmodi peſtibus *Solum Baptiſma ratum eſſe*, nec Spiritum ſanctum eos habere ex illo Baptiſmate : *Nec dare ejuſdem plenitudinem poſſe, quæ maxime in Ordinationibus operatur, quam per impietatis ſuæ perfidiam perdiderunt.* Senſus enim illius eſt, ſolum Baptiſma in hæreticis illis, cum ad Fidem catholicam convertuntur, eſſe ratum quoad honorem, gradum, & privilegium; quia illis tribuitur locus inter Fideles, & ad Communionem admittuntur ut Fideles laici, nec detruduntur in ordinem Catechumenorum; non autem ſolum Baptiſma ratum eſſe quoad ſubſtantiam Sacramenti, & ſpiritualem caracterem; nam & ſic ratæ ſunt Ordinationes ſacræ; quamvis Spiritus ſancti, ſive gratiæ ſanctificantis plenitudinem dare non poſſint hæretici in Ordinatione iis, qui ipſorum communione maculantur; ſicut nec Spiritum ſanctum ex Baptiſmate in hæreſi ſuſcepto acceperunt. Sed ratæ non ſunt eorum Ordinationes quoad honorem, locum, privilegia, & functiones Sacerdotii, ſeu Miniſterii; quia eorum Clerici ad laicam Communionem duntaxat ſuſcipiuntur. „„ Quia (*inquit*) eorum laicos converſos ad Dominum ſub imagine pœnitentiæ, ac ſancti Spiritus ſanctificatione per manus impoſitionem ſuſcipimus, non videtur Clericos eorum cum Sacerdotii, aut Miniſterii cujuſpiam ſuſcipi debere dignitate „„. Hinc Ep. 22. cap. 3. „„ Noſtræ vero lex eſt Eccleſiæ (*inquit*) venientibus ab hæreticis qui tamen illi baptizati ſunt, per manus impoſitionem laicam tantum tribuere Communionem, nec

ex his aliquem in Clericatus honorem, vel exiguum subrogare „„. Eos vero, qui ab hæreticis scientes volentes ordinati sunt, atque ita perfidiæ illorum participes sunt effecti, locum, honorem, privilegia, & ministerium, sive executionem Ordinum non recipere docet, ut nec gratiam sanctificantem, sed inanimem duntaxat caracterem, suspensamque potestatem. „„ Cum nos (*inquit*) dicamus ab hæreticis Ordinatos vulneratum per illam manus impositionem habere caput... Atque ubi pœnitentiæ remedium necessarium est, illic Ordinationis honorem locum habere non posse decernimus... Eum, qui honorem amisit, honorem dare non posse... Certe, qui quod non habuit, dare non potuit, damnationem utique quam habuit, per pravam manus impositionem dedit; & qui particeps effectus est damnato, quomodo debeat honorem accipere, invenire non possum „„. Ordinationes tamen eorum quoad substantiam validas esse sensit *Innocent. I.* siquidem cum iis, quos *Bonosus* ordinaverat, dispensatum olim fuisse agnoscit *Anysii* Thessalonicensis Episcopi, & Synodi Capuanæ judicio, ut in Ordinum ab illo susceptorum gradibus, honoribus, ac ministeriis, sive functionibus reciperentur; itemque cum Novatianis dispensatum esse in Synodo Nicæna, can. 8. ut accepta manus impositione in Clero permanerent. Qua etiam indulgentia erga Donatistas usam Ecclesiam, ut scilicet in suis Ordinibus susciperentur, etiamsi extra Ecclesiam ordinati essent, testatur non semel *S. Augustinus*.

Eadem responsione diluuntur Objectiones peti solitæ ex octavæ Synodi Oecumenicæ Decretis contra Ordinationes *Photii*; & ex Decretis Synodi Suessionensis contra Ordinationes *Ebbonis* Remensis Archiepiscopi; neque enim a *Photio*, neque ab *Ebbone* ordinatos iterum ordinari Concilia illa sanxerunt. Ordinatos autem a *Meletio* Presbyteros, *sanctiore manus impositione confirmari*, Nicæna Synodus præceperat, sicque dignitatis ecclesiasticæ, & ministerii gradum ha-

habere; ita tamen ut omnibus Presbyteris ab *Alexandro* Episcopo Alexandrino ordinatis loco inferiores essent; sed de manus impositione reconciliatoria id intelligendum, qua in Ecclesiæ communionem, & ecclesiasticæ dignitatis honorem, ac sacras functiones restituerentur; non de manus impositione consecratoria, qua iterum ordinarentur.

Concilii Toletani 4. can. 27. pariter intelligendus est de cæremonia quadam reconciliatoria. Clericos scilicet, qui antea fuerant depositi, si postea innocentes reperti fuissent, coram Altari indumenta sui Ordinis, & instrumenta recipere ab Episcopis jubet, Episcopos orarium, annulum, & baculum, Presbyteros orarium, & planetam; Diaconos orarium, & albam; Subdiaconos patenam, & calicem; non ut denuo ordinentur, sed ut sui Ordinis executioni restituti videantur: „ Non potest (*inquit*) esse quod „ fuerat, nisi gradus amissos recipiat coram Altari de „ manu Episcoporum, &c „. Quemadmodum enim dum ipsis ecclesiastici muneris functiones interdicebantur, dumque de dignitatis suæ gradu movebantur, insignia ab iis ecclesiasticæ dignitatis ablata fuerant, non sublata caracteris indelebili potestate; ita congruum erat, ut dum pristino redderentur honori, eadem suæ dignitatis ornamenta recuperarent, non ad Ordinationis iterationem, sed ad dignitatis recuperatæ, & redditæ ad functiones antea vetitas obeundas auctoritatis, liberæque facultatis significationem, ut explicat *Fulbertus* Carnotensis Episcopus Epistola 24. ad *Leuthericum* Senonensem Archiepiscopum.

ARTICULUS V.

De temporibus Ordinationum, ætate, & qualitatibus Ordinandorum.

REGULA PRIMA.

Clericatus, seu prima Tonsura, quocunque die, & hora conferri potest.

Id constat ex Pontificali romano, ex Concilio Bituricensi anni 1584. c. 5. *de Ordine*, & ex Ecclesiæ usu.

REGULA II.

Minores Ordines singulis diebus Dominicis, & Festis duplicibus, matutino tamen tempore, conferri possunt.

Hæc Regula nititur ejusdem Libri pontificalis auctoritate, & *Alexandri III.* Decretali, c. *De eo*, Extra, *de temporibus Ordinationum*, cujus hæc sunt verba: „ „ De eo autem, quod quæsivisti, an liceat extra jejunia quatuor Temporum aliquos in Ostiarios, Lectores, Exorcistas, vel Acolythos, aut etiam Subdiaconos promovere, taliter respondemus, quod licitum est Episcopis, Dominicis, & aliis festivis diebus unum, aut duos ad minores Ordines promovere „ „. An autem plures, quam duos ordinare possit Episcopus die Dominico, aut Festo duplici, dubium est. Glossa plurium Ordinationem non prohiberi significat, dummodo non videatur esse generalis Ordinatio; idemque censent *S. Antoninus*, *Innoc. IV.* *Sylvester*, *Tabiena*, & alii. Non licere pluribus, quam duobus minores Ordines iis diebus conferre, aut certe tutius esse, ne pluribus conferantur, censent *Hostiensis*, *Angelus De Clavasio*, & alii, quod *Alexandri III.* verba id minime permittere videantur; & *In re dubia melius sit verbis Edicti servire*, ut ait *Ulpianus*.

Ulpianus lib. 28. ad Edictum, seu lib. 1. ff De exercitoria actione.

RE-

REGULA III.

Subdiaconi, Diaconi, Presbyteri, quatuor duntaxat jejuniorum temporibus, tum Sabbato ante Dominicam Paſſionis, itemque Sabbato ſancto Paſchæ poſſunt ordinari; non autem extra hæc tempora generales Ordinationes fieri poſſunt.

Ordinationum tempora.

Ita ſtatuunt *Gelaſius I.* Epiſtola ad Epiſcopos per Lucaniam, & Brutios conſtitutos, c. 13. *Gregor. II.* Epiſt. 3. ad Clerum, & populum Turingiæ, Synodus romana ſub *Zacharia* ſummo Pontifice, can. 11. Concilium Lemovicenſe ſub *Benedicto IX.* Actione 2. Urbanus II. in Concilio Claromontano Act. 2. Concilium Babilonenſe 2. can. 23. & *Alexander III.* in Reſponſo ad Hefordienſem Epiſcopum, cap. *Deo eo autem*, Extra, *de temporibus Ordinationum*; Conc. Tridentinum ſeſſ 23. *de Reform.* c. 8. Rothomagenſe ſub *Carolo Borbonio* Archipræſule, & alia Concilia gallicana.

In eos porro, qui extra ſtatuta tempora ſacros Ordines ſuſceperint, ſuſpenſionem ab Ordinis executione decernunt *Alexander III.* cap. *De eo*, Extra, *De* temporibus Ordinationum, *Urbanus III.* cap. *Cum quidam*, eodem Tit. *Gregorius IX.* cap. *Conſultationi*, eodem; *Pius II.* Conſtitutione, quæ incipit, *Cum ex Sacrorum*, Suſpenſionem ipſo facto incurri declarat ab iis, qui extra tempora a jure ſtatuta ad aliquem ex ſacris Ordinibus ſe fecerint promoveri, quod *Julius III. Clemens VIII. Paulus V.* confirmarunt. Aquenſe Concilium *Pii II.* conſtitutionem recepit. Opinatur *Hallerius* Pontificias iſtas Conſtitutiones in Galliæ noſtræ ſaltem maxima parte non eſſe receptas; ideoque eum, qui extra tempora a jure ſtatuta ordinatus fuerit, non eſſe ipſo facto ſuſpenſum, ſed ab Ordinario ſuo, vel alio Superiore in pœnam commiſſi criminis eſſe ſuſpendendum. Porro Concil. Trident., quod Legem iſtam eccleſiaſticam innovavit, ut Ordinationes ſacræ ſtatutis a jure temporibus fierent, nullam pœnam expreſſe ad-

hibuisse in eos, qui secus facerent, sed recepto jure apud unamquamque regionem rem dirimendam reliquisse. Utut est, qui talem suspensionem incurrerunt, ab ea per Episcopos possunt absolvi, si delictum sit occultum, ut colligitur ex Conc. Trid. sess. 24. c. 6. *de Reformatione.*

REGULA IV.

Summus Pontifex extra tempora a jure statuta sacros Ordines conferre potest; possunt & Episcopi, quibus id romanus Pontifex permiserit.

In iis enim, quæ sunt ecclesiastici juris, summum Pontificem posse dispensare, certum est. Id confirmatur ex cap. *Subdiaconus*, Extra, *de Temporibus Ordinationum*, & cap. *De eo*, eodem Titulo.

REGULA V.

Quatuor minores Ordines simul cum Subdiaconatu conferre, vel suscipere non licet, si jus spectetur; licet secundum consuetudinem.

Prima pars constat ex cap. *Cum Hilator*, Extra, *De eo, qui furtive Ordines suscepit.* Pars altera nititur auctoritate *S. Antonini* 3. p. tit. 14. cap. 16. §. 16. Nec isti consuetudini derogavit Conc. Tridentinum.

REGULA VI.

Duos ordines Sacros simul eodem die suscipere, aut conferre non licet.

Ordinationum tempora.

Hanc Regulam decretis suis firmarunt *Innocent. III.* cap. *Literas*, Extra, *De temporibus Ordinationum*, & *Honorius III.* cap. *Dilectus*, eodem tit. suscipientem autem, & conferentem eodem die duos ordines sacros, Suspensione mulctant. Eamdem Legem confirmat Tridentina Synodus, sess. 23. cap. 13. De Reformatione; „„. Duo sacri ordines (*inquit*) non eodem die, etiam Regularibus, conferantur, Privilegiis, ac Indultis quibusvis concessis non obstantibus quibuscunque „„. RE-

REGULA VII.

Episcopi Consecratio Dominico die, ut Festivo, qui a populo solemniter celebretur, peragi potest.

Dominicum diem Episcopi consecrationi præscribunt *S. Leo* Ep. 11. alias 81. ad *Dioscorum* Alexandrinum Episcopum, cap. 2. & Ep. 10. alias 89. ad Episcopos Provinciæ Viennensis, cap. 3. Conc. Toletanum 4. can. 18. & Cæsarauguſtanum can. 1. Vetus Ordo romanus dies solum Dominicos, & Apostolorum Natalitiis consecratos, Episcoporum Ordinationi destinat. Pontificale vero romanum legitimum diem Consecrationis, vel Dominicum, vel Natalitium Apostolorum, vel etiam Festivum definit. Dominicus autem dies præsertim Episcoporum Consecrationi definitus est, quia & ea die plenitudo Spiritus sancti in Apostolos effusa est; & ut se cum Christo resurrexisse, & in novitate vitæ ambulare admoneantur. Additi sunt postea Dominicis diebus dies Natales Apostolorum, ut significetur, Episcopos Apostolis succedere, & *Pro Patribus nati filii*, pro Apostolis Episcopi subrogati videantur. Additi item postea reliqui festivi dies, quibus populi conventus commode fieri posset, quem ad Episcoporum Consecrationem convenire congruum est.

REGULA VIII.

Religiose servanda sunt inter singulos Ordines temporum intervalla, sive Interstitia legibus Ecclesiæ præscripta.

Ordinationum tempora, & interstitia.

Ecclesiæ vetus, & antiqua Lex est, ut aliqua a suscepto uno Ordine ad alium temporis intercapedo velut necessaria præscribatur, triplici de causa. Primo, ut ordinandus ea, quæ sui sunt muneris, ac sacra Religionis ediscat, antequam aliorum docendorum curam suscipiat. Non enim solum Sacrorum doctrina imbuendus est, qui ad Sacerdotium destinatur, verum etiam praxim sacri Ministerii edo-

cendus,

cendus, quæ nonnisi diuturno usu comparatur. Qua de re legenda *S. Augusti.* Epist. ad *Valerium* Hipponensem Episcopum 21. alias 148. & *S. Gregorius* Epist. 110. libri 7. ad *Syagrium*, Augustodunensem Episcopum, *Ætherium*, & alios: „„ Necesse est (*inquit*) ut quamvis inculpati quisque sit meriti, ante tamen per distinctos Ordines ecclesiasticis exerceatur Officiis, videat, quod imitetur; discat, quod doceat; informetur, quod teneat, ut postea non debeat errare, qui eligitur viam erranti demonstrare. Diu ergo religiosa meditatione poliatur, ut placeat, & sic lucerna posita super candelabrum luceat, ut adversa ventorum vis irruens conceptam eruditionis flammam non extinguat, sed augeat „„. Secundo, hæc intervalla præsertim statuta sunt, ut qui ad Sacerdotium sunt perventuri, animum prius Ecclesiasticum assumant, Cleri disciplina imbuantur, & ad ecclesiasticam Regulam mores componant, quod nonnisi longo usu comparari potest. Ad quam rem illustrandam *S. Greg.* Ep. mox laudata similitudines ex rebus inanimatis appositè deducit, ut sicut ligna in sylvis succisa, in ædificationibus compacta, citius superimposita mole franguntur, nisi eorum viriditatem multorum dierum mora siccaverit; sic spiritale Ecclesiæ ædificium corruat, in quod laici, qui laicalem animum non exuerint, compacti fuerint. Et sicut medici quædam corpori adjutoria recenti adhuc confectione formata indigenti non afferunt, sed maceranda tempori derelinquunt; ita nec momentanei Sacerdotes populo utiles futuri sint, sed tempore opus sit, quo laicalia eorum studia conficiantur, ipsique in viros alios transformentur. Tertio, Interstitia ista instituta sunt ad probationem Ordinandorum, ut in inferioribus Ordinibus, tanquam in statu discipulatus, ac Novitiatus probentur diu, qui ad superiores gradus aspirant, ut nonnisi iis dotibus instructi, ac virtutibus, quæ ad sacrum Munus sancte obeundum necessariæ sunt, ad Sacerdotium provehantur. Nam (ut ait *Hormisdas* Pontifex maximus,

Epist.

Epist. 4.) „ Longa debet vitam suam probatione „ monstrare, cui gubernacula committuntur Eccle- „ siæ „: Et, (ut ait *S. Gregorii* Epistola mox laudata) „„ Cum scriptum sit, ut prius quis probetur, & sic ministret, multo ante probandus est, qui populi intercessor assumitur, ne fiant causa ruinæ populi Sacerdotes mali „„. Idipsum docet *Joannes VIII.* Epistola 117. nullos ad Sacerdotium promoveri volens, nisi „„ Qui in minoribus Officiis sic diu perdurent; & vota eorum pariter, & obsequium comprobentur, ut per tempora a majoribus instituta, comprobatis prius moribus, & bonæ vitæ meritis refulgentibus, ad summum Sacerdotium postmodum veniant „„.

Quamvis autem varia fuerit in definiendis Interstitiis Ecclesiæ disciplina, illa tamen, prout ab Ecclesia præscripta essent, religiose servanda sanxerunt *Siricius* Pontifex maximus Epist. 1. ad *Himerium* Tarraconensem Episcopum, c. 9. & refertur can. *Quicunque*, dist. 77. *Innoc. I.* Epist. 4. ad *Felicem* Nucerianum Episcopum, c. 5. *Zosimus* Epist. 1. ad *Hesychium* c. 2. & refertur can. *In singulis*, dist. 77. *S. Leo* Epist. 1. alias 87. ad Episcopos africanos, *Gelasius I.* ad Episcopos per Lucaniam, & Brutios & Siciliam constitutos, cap. 3. & refertur can. *Si quis*, & can. *Monachus*, dist. 77. Conc. Arelatense 4. can. 1. Aurelianense 3. can. 6. Aurelianense 5. can. 4. Bracasense 1. can. 38. Barcinonense sub *Reccaredo* Rege, can. 3. Synodus octava generalis, can. 5.

Nunc vero servanda sunt inter singulos Ordinis Interstitia, prout a Conc. Tridentino definita sunt. Sic autem de minoribus Ordinibus sanxit sess. 23. *De Reformat.* cap. 11. „„ Minores Ordines (*inquit*) iis, qui saltem Latinam linguam intelligant, per temporum Interstitia, nisi aliud Episcopo expedire magis videretur, conferantur; ut eo accuratius quantum sit hujus disciplinæ pondus possint edoceri, ac in unoquoque munere, juxta præscriptum Episcopi se exerceant, idque in ea, cui adscripti sunt, Ecclesia;

cleſia; niſi forte ex cauſa ſtudiorum abſint; atque ita de gradu in gradum aſcendant, ut in eis cum ætate vitæ meritum, & doctrina major accreſcat; quod & bonorum morum exemplum, & aſſiduum in Eccleſia miniſterium, atque major erga Presbyteros, & ſuperiores Ordines reverentia, & crebrior quam antea Corporis Chriſti Communio maxime comprobabunt. Cumque hinc ad altiores gradus, & ſacratiſſima Myſteria ſit ingreſſus, nemo iis initietur, quem non ſcientiæ ſpes majoribus Ordinibus dignum oſtendat. Hi vero nonniſi poſt annum a ſuſceptione poſtremi gradus minorum Ordinum, ad ſacros Ordines promoveantur, niſi neceſſitas, aut Eccleſiæ utilitas, judicio Epiſcopi, aliud expoſcat „„.

Et cap. 13. „„ Promoti ad ſacrum Subdiaconatus Ordinem, ſi per annum ſaltem in eo non ſint verſati, ad altiorem gradum, niſi aliud Epiſcopo videatur, aſcendere non permittantur „„.

Cap. tandem 14. De Presbyteratu ſic decernit: „„ Qui pie, & fideliter in miniſteriis ante actis ſe geſſerint, & ad Presbyteratus ordinem aſſumuntur, bonum habeant teſtimonium; & hi ſint, qui non modo in Diaconatu ad minus annum integrum, niſi ob Eccleſiæ utilitatem, ac neceſſitatem aliud Epiſcopo videretur, miniſtraverint, ſed etiam &c „„. Quibus ex Decretis Concilii Trid Regulæ ſequentes colliguntur.

REGULA IX.

Inter minores Ordines ſingulos, ut quædam ſervarentur Interſtitia Epiſcopi arbitrio definienda, conveniret eccleſiaſticæ diſciplinæ.

Congruum autem erit, ſi intervallum iſtud ab uno quatuor Temporum ad aliud definiant Antiſtites religioſiſſimi, ut aliquod doctrinæ, ætatis, ac meriti incrementum inter ſuſceptionem primi ex minoribus Ordinibus, & ultimi notari poſſit, ut optat Synodus Tridentina. Fruſtra quoque Interſtitia illa ſta-

Ordinationum tem-

ſtatuerentur, niſi in ſingulis Ordinibus exercendis aſſiduitas, induſtria, pietas Ordinandorum probarentur; quis non autem prudenter judicet, quin tres ſaltem menſes in ea probatione in ſingulis Ordinibus facienda, & in ſingulis Ordinibus exercendis videantur eſſe neceſſarii? pota, & interſtitia.

REGULA X.

Inter poſtremum gradum Ordinum minorum, & Subdiaconatum annus intercedere debet; inter Subdiaconatum, & Diaconatum annus ſaltem; inter Diaconatum, & Presbyteratum annus integer interponendus.

Concilii Tridentini ea de re Sanctionem promulgavit, & confirmavit Concilium Mediol. 4. tit. *Quæ pertinent ad Sacramentum Ordinis*, his verbis: „„ Stata illa temporum intervalla, Ordinibus tum minoribus, tum majoribus ſuſcipiendis Concilii Tridentini Decreto præſcripta, ne facile, ac paſſim ſine ullo delectu prætermittantur, omittanturve. Quod ſi de iis aliquid ab Epiſcopo remitti, diſpenſarive contigerit, in literis dimiſſoriis, teſtimonialibuſve Ordinum adſcripta etiam diſpenſationis cauſa, teſtatum plane fiat „„. Concilium Aquenſe, eodem Titulo, neminem niſi præſcriptis interſtitiis ſervatis, vel obtenta in ſcriptis ab Epiſcopo diſpenſatione, ordinari permittit.

REGULA XI.

Diſpenſatio circa Ordinum interſtitia Epiſcopi arbitrio, & prudentiæ commiſſa eſt.

Sixtus V. ordinatos non ſervatis interſtitiis, abſque legitima diſpenſatione, ſuſpenſos declaravit. Verum cum *Sixti V.* Conſtitutio a *Clemente VIII.* ad terminos Concilii Tridentini revocata fuerit, non videtur ulla Suſpenſio ab iis ipſo facto incurri, qui etiam ſine diſpenſatione præpropere fuerint ordinati. Quamvis fatendum ſit, eos, qui tam feſtinanter ad ali- Sixti V. Conſtitutio 5. contra male promotos, quæ incipit Sanctum & ſalutare. Conſtitutio

Clementis VIII. quæ incipit ſummum Pontificem.

aliquem ſacrorum Ordinum abſque diſpenſatione promoventur, ab Epiſcopis Suſpenſione plecti poſſe ob violatos Canones. Legitime diſpenſari cenſentur illi, quibus & Vicarii generales Epiſcoporum, & Capitulum, aut ejus Vicarius, Sede vacante, interſtitia remiſerunt.

REGULA XII.

Epiſcopus in lege interſtitiorum diſpenſare non debet, niſi neceſſitas, aut Eccleſiæ utilitas id expoſcant.

Id autem poſtulat Eccleſiæ particularis neceſſitas, cum deficiunt miniſtri, nec poſſunt ſuppleri per jam ordinatos Eccleſiæ onera, tam in Miſſarum celebratione, quam in aliis miniſteriis eccleſiaſticis. Id exigit Eccleſiæ utilitas, quando pauci ſunt miniſtri Eccleſiaſtici idonei; tunc enim utile eſt aliquos ordinare ad Eccleſiæ miniſterium, & majorem etiam ornatum, ac ſplendorem.

Utraque porro concurrit, cum aliquis in inferioribus Ordinibus conſtitutus ad Curam animarum gerendam vocatur, aut ad quamvis eligitur eccleſiaſticam dignitatem, cui altior Ordo annexus eſt; unde eo in caſu moroſa iſta intervalla remittenda ſunt, ne plebs fidelis neceſſario diu miniſterio privetur, aut Eccleſia obſequio, & utilitate quam ipſi afferre debent Clerici has ad dignitates promoti. Qua de re Lateranenſe Concilium ſub *Innoc. II.* Can. 10 ita ſanxit: „„ Innovamus, & præcipimus, ut nullus in Archidiaconum vel Diaconum, niſi Diaconus, vel Presbyter ordinetur. Archidiaconi vero, Decani, & Præpoſiti, qui infra Ordines prænominatos exiſtunt, ſi inobedientes ordinari contempſerint, honore ſuſcepto priventur „„. Refertur can. *Innovamus*, diſt. 60. Promotorum ad dignitates eccleſiaſticas Ordinationem accelerandam eſſe ſtatuit *Alexander III.* in Conc. Lateranenſi, can. 3. „„ Inferiora etiam miniſteria (*inquit*) ut puta Decanatum, Archidiaconatum,

natum, & alia, quæ Curam animarum habent annexam, nullus omnino ſuſcipiat, ſed nec parochialis Eccleſiæ regimen, niſi qui jam vigeſimum quintum ætatis annum attigerit, & ſcientiæ, & moribus commendandus exiſtit. Cum autem aſſumptus fuerit, ſi Archidiaconus in Diaconum: Decanus, & reliqui admoniti, non fuerint, præfixo a Canonibus tempore, in Presbyteros ordinati, & ab illo removeantur officio, & aliis conferatur, qui & velint, & poſſint illud convenienter implere „„. Idem Pontifex cap. *Præterea*, Extra, *De Ætate*, *& qualitatibus Ordinandorum*, ad regimen parochialis Eccleſiæ, Subdiaconos ex rigore juris, „ Diſpenſative in minoribus „ Ordinibus conſtitutos eligi concedit, dummodo „ tales ſint, quod infra breve tempus poſſint in Pres„ byteros ordinari „. Sacrum Ordinem eccleſiaſticæ dignitati annexum intra annum ab ejus pacifica poſſeſſione ſuſcipiendum ſanxerunt Concilium Lugdunenſe ſub *Gregorio* X. can. 13. & refertur cap. *Licet Canon.*, tit. *De Electione*, in Sexto; *Bonifacius VIII.* cap. *Statutum*, eodem libro, & titulo; *Clemens V.* in Concilio Viennenſi, Clementina *Ut ii*, §. *Illi vero.*

Has omnes Conſtitutiones renovat ſacra Synodus Tridentina. Seſſ. quippe 7. c. 3. de Reformatione, *Gregorii X.* in Concilio Lugdunenſi ſanctionem expreſſe confirmat, & aliter factam collationem, ſive proviſionem irritam declarat, pœna etiam in ordinarium Collatorem renovata. Secundo, ſtatuit c 12. ejuſdem ſeſſionis: „„ Ut facultates de non promovendo, præterquam in caſibus a jure expreſſis conceſſæ, ad annum tantum ſuffragentur „„. Tertio, ſeſſ. 22. *De Refor.* cap. 4. minutatim præſcribit: „„ Ut ii, qui dignitates, perſonatus, officia, præbendas, portiones, ac quælibet alia beneficia in dictis Eccleſiis obtinent, aut impoſterum obtinebunt, quibus onera varia ſunt adnexa, videlicet ut alii Miſſas, ut alii Evangelium, alii Epiſtolas dicant, ſeu cantent; quocunque privilegio, exemptione, prærogativa, generis nobilitate ſint inſigniti, teneantur,

tur, justo impedimento cessante, infra annum Ordines suscipere requisitos; alioquin pœnas incurrant juxta constitutionem Concilii Viennensis, quæ incipit, *Ut ii qui*, quam præsenti Decreto innovat; cogantque Episcopi eos diebus statutis dictos Ordines per se ipsos exercere, ac cætera omnia officia, quæ debent in cultu divino præstare, sub iisdem, & aliis etiam gravioribus pœnis arbitrio eorum imponendis „„. Et sess. 24. cap. 12. *De Reformat.* „„ Nemo igitur (*inquit*) deinceps ad dignitates quascunque, quibus animarum cura subest, promoveatur, nisi qui saltem vigesimum quintum ætatis annum attigerit, & in clericali Ordine versatus, doctrina ad suum munus exequendum necessaria, ac morum integritate commendetur, juxta constitutionem Alexandri III. in Concilio Lateranensi promulgatam, quæ incipit, CUM IN CUNCTIS. *Et paulo post*: Neminem etiam deinceps ad dignitatem, canonicatum, aut portionem recipiant, nisi qui eo Ordine sacro, aut sit initiatus, quem illa dignitas, præbenda, aut portio requirit; aut in tali ætate, ut infra tempus a jure, & ab hac sancta Synodo statutum, initiari valeat, &c „„.

Præter has causas dispensandi in Interstitiis, hujusmodi dispensationem concedi posse favore studii in aliqua Universitate, aut ob ætatem provectam ordinandi cum eximia virtute conjunctam, censet *Barbosa* p. 2. *de Officio, & potestate Episcopi*, Alleg. 18.

REGULA XIII.

Ordinator circa temporum Interstitia dispensare non potest cum iis, qui Diœcesani sui non sunt, nisi id dimissoriis literis expresse concedatur.

Sic responsum a sacra Congregatione Episcoporum die 9. Augusti, anno millesimo quingentesimo nonagesimo tertio, refert *Piasecius* in Praxi nova Episcopali, p. 1. c. 1.

RE-

REGULA XIV.

Superiores Regularium cum ipsis dispensare de interstitiis non possunt; sed solum jus habent Episcopo supplicandi, ut dispensare dignetur, habita ratione necessitatis, vel utilitatis Ecclesiæ suæ, monasterii, vel Ordinis. Quæ quidem supplicatio dimissoriis literis inserenda.

Ita declaravit sacra Congregatio Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum, teste *Barbosa*; p. 2. *de Officio, & potestate Episcopi*, Alleg. 18. Et Concilium Tridentinum hanc dispensationem judicio, & arbitrio Episcopi semper relinquit. Si autem Viris religiosis facilius interstitiorum moras canonicas remittant illustrissimi, & reverendissimi Episcopi, quam sæcularibus Clericis, *Gelasii I.* Pontificis maximi judicium, & exemplum sequentur, qui Interstitia inter singulos Ordines monachis breviora, sæcularibus diuturniora imposuit: „ Quia quod annorum interstitia fuerant collatura, sancti propositi sponte susscepta docetur præstitisse devotio „.

REGULA XV.

Ordines suscipere, aut conferre ante legitimam, & sacris Canonibus præscriptam ætatem, lethale peccatum est, gravique pœna secundum eosdem Canones plectendum.

Clericalis Tonsura, minoresque Ordines conferri non debent pueris ante annos discretionis. Non debent quippe conferri nisi iis, qui capaces sint per ætatem eligendi certum aliquem vitæ statum, in quo perpetuo maneant; porro qui Tonsura clericali initiatur, sæculari, seu laicali vitæ renuntiat, & sanctioris vitæ genus eligit, quo Deo fidelius serviat. Quamobrem ante decimum quartum, aut certe duodecimum ætatis annum Tonsura clericali pueros non initiari conveniens esset; quod & Episcopi plerique ecclesiasticæ disciplinæ studiosissimi statutis suis sy-

Ordinandorum ætas.

dalibus edixerunt, ad Conc. Tridentini sanctionem attendentes sess. 23. *De Reformat.* cap. 4. prohibentis, ne prima Tonsura initientur: *De quibus probabilis conjectura non sit, eos, ut Deo fidelem cultum præstent, hoc vitæ genus elegisse.* Conc. Burdigalense sub Cardinali *De Soudis*, habitum, cap. 6. Neminem ad primam Tonsuram admitti debere decernit, *quin duodecimum suæ ætatis annum attigerit.* Conc. Mexicanum anno 1585. lib. 1. tit. 4. Neminem ad primam Tonsuram promovendum statuit, nisi prius de intentione permanendi in habitu clericali juramentum præstiterit. Idemque statuit *Bonifacius* Cardinalis *Cajetanus* in Tarentina Synodo. Statuta Synodalia Cardinalis *Grimaldi* Aquensis Archiepiscopi sanciunt, neminem initiari prima Tonsura; *E qua velut e radice totius ecclesiastici Ordinis integritas pendet, qui natus non sit ad minus annos quatuordecim.* Conc. Colonienſe anno 1536. celebratum, p. 1. cap. 27. de infantium promotione ad Clerum, & minores Ordines sic loquitur: „„ Quid enim indecorum magis, quam admoveri infantes, qui non intelligant quid agant, imo ne capiunt quidem quid Clerici nomen, & reliqua minorum Ordinum vocabula significent?.. Qua de re nemo posthac Ordinibus hisce insigniendus est, nisi quem & vita commendet, & literaturæ, ætatisque sit pro ratione suscipiendi Ordinis sufficientis, ac rectæ, sinceræque voluntatis. Qui enim Clerum alleguntur, rem profitentur minime ridiculam, nempe se peculiariter in sortem Domini ascitos, quibus posthac omnia terrena fordeant, ac solus Dominus sors, ac pars hæreditatis futurus sit „„.

Quamquam vero sacra Synodus Tridentina ætatem initiandorum prima Tonsura, aut minoribus Ordinibus non definiverit, sed Episcoporum arbitrio, ac prudentiæ reliquerit judicandum, qua ætate quisque sit in Clerum cooptandus, aut ad minores Ordines promovendus, nullum tamen prima Tonsura initiatum, aut etiam in minoribus Ordinibus constitu-

ſtitutum: *Ante decimum quartum annum beneficium poſſe obtinere*, declaravit ſeſſ. 23. cap. 6. *De Reformat.* Epiſcopus clericalem Tonſuram infanti conferens, ab illius Collatione per annum ſuſpenſus eſt, ſecundum c. *Nullus Epiſcopus*, tit. *de Temporibus Ordinationum*, in 6.

Nullus ad Subdiaconatus Ordinem ante vigeſimum ſecundum, ad Diaconatus ante vigeſimum tertium, ad Presbyteratus ante vigeſimum quintum ætatis ſuæ annum promoveri poteſt, ſecundum Conc. Tridentini ſanctionem, ſeſſ. 23. cap. 12. *De Reformat.* Hunc autem annorum numerum attigiſſe ſufficit, expleviſſe minime neceſſe eſt, ut probat Eccleſiæ uſus. Vel unius diei, aut horæ defectus ab ætate legitima, ſuſceptionem Ordinum impedit. Quod ſi quis dubitet, an præſcriptam a ſacra Synodo ætatem attigerit, ſtante dubio, ſuſcipere Ordines non poteſt, alioqui periculo violandi præceptum Eccleſiæ ſe exponeret, nec illius leges curare videretur. Diſpenſatio porro ſuper ætate Ordinandorum ad Epiſcopum non pertinet, ſed ſummo Pontifici reſervata eſt. Unde nec Regulares ante ætatem a ſacra Synodo Tridentina præſcriptam ordinari poſſunt abſque ſpeciali Sedis apoſtolicæ diſpenſatione, quibuſcunque Privilegiis quoad hoc penitus abrogatis ab eadem Synodo ſeſſ. 23. cap. 12. *De Reform.* Nec probandum eſt, quod quidam Regulares abſque neceſſitate, vel utilitate Eccleſiæ, proprio arbitrio, non Superiorum judicio, ut citius ex inferioribus Ordinibus, aut ex juniorum Fratrum ſubjectione emergant, diſpenſationem obtinent a ſede Apoſtolica ſuper defectu tredecim, aut quatuordecim menſium de ætate ad Sacerdotium requiſita, fervorem devotionis obtendentes, ſecundum ſtylum Datariæ. Illos certe tuta conſcientia hujuſmodi diſpenſationem poſtulare, eaque uti poſſe non exiſtimaverim, vereorque, ne ipſorum ad Sacerdotium nimia feſtinatio hanc illis maledictionem accerſat: *Hæreditas, ad quam feſtinatur in principio, in noviſſimo benedictione carebit.* Quod Prov. 20. 21.

ſacrum Oraculum in eos, qui ad Sacerdotium feſtinatione præcipiti aſcendunt, contorquet *Ivo* Carnotenſis Epiſcopus Epiſt. 58.

Epiſcopus aliquem ad ſacros Ordines promovens ante legitimam ætatem, Suſpenſionem ab Ordinum collatione meretur, ex *Honorii III.* Decretali, cap. *Vel non eſt compos*, Extra, *De temporibus Ordinationum.* Hæc tamen Suſpenſio non incurritur ipſo jure. Promoti vero ante legitimam ætatem ab executione Ordinum ita ſuſceptorum ſuſpendi poterant, uſque dum ad eam perveniſſent, ut ex eodem cap. colligitur; nunc vero ex conſtitutione *Pii II.* quæ incipit, *Cum ex ſacrorum*, ipſo jure a ſacris ita ſuſceptorum Ordinum functionibus ſunt ſuſpenſi; & Irregulares fiunt, ſi ſuſcepto ante legitimam ætatem Sacerdotio celebrent, antequam abſolutionem impetraverint a ſummo Pontifice, ſi delictum ſit publicum; aut ab Epiſcopo, ſi ſit occultum, ut eadem conſtitutione ſancitum eſt. Quamobrem ipſa Sacerdotii ſuſceptione ante vigeſimum quartum ætatis annum expletum, aut ſine titulo, aut ab alieno Epiſcopo, aut ſine dimiſſoriis literis, aut extra tempus ſtatutum, Irregularitas contrahitur, quia Sacerdos in Ordinatione ſua ſimul cum Epiſcopo ordinante ſacrum celebrat, unumque Sacrificium offert.

REGULA XVI.

Nemo abſque probatione, & examine in Clerum admittendus eſt, & ad Ordines promovendus.

Ordinandorum examen. 1. ad Tim. 5.

Præcipit enim Apoſtolus, imo per Apoſtolum Chriſtus: *Manus cito nemini impoſueris, neque communicaveris peccatis alienis.* Quæ verba *S. Joan. Chryſ.* Hom. 15. in Epiſt. 1. *ad Timotheum* exponens, ait: „ „ Quid eſt illud, cito? Non ex prima probatione, nec ſecunda, nec tertia, ſed ubi conſideratio diuturna præceſſit, exactiſſimaque diſcuſſio, tunc impoſito manus. Neque enim ea res periculo caret; eorum, quæ ille peccaverit, tu quoque pœnam dabis, qui

qui initium dediſti etiam præcedentium delictorum „ „? Et *S. Leo* Epiſt. 1. alias 87. c. 2. „ „ Quid eſt (*inquit*) cito manus imponere, niſi ante ætatem maturitatis, ante tempus examinis, ante meritum laboris, ante experientiam diſciplinæ, Sacerdotalem honorem tribuere non probatis? Et quid eſt communicare peccatis alienis, niſi talem effici ordinantem, qualis eſt ille, qui non meruit ordinari? Sicut enim boni operis ſibi comparat fructum, qui rectum tenet in eligendo Sacerdote judicium; ita gravi ſemetipſum afficit damno, qui ad ſuæ dignitatis collegium ſublimat indignum „ „. Jubet rurſus Apoſtolus; ut ordinandi *Probentur primum, & ſic miniſtrent.* Et Tridentina Synodus diligentem in genus, natales, ætatem, mores, doctrinam Ordinandorum, inquiſitionem, & accuratiſſimum examen fieri jubet, ne indigni promoveantur. Sic enim ſtatuit ſeſſ. 23. c. 5. de Reformatione: „ „ Ad minores Ordines promovendi, bonum a Parocho, & a Magiſtro ſcholæ, in qua educantur, teſtimonium habeant. Hi vero, qui ad ſingulos Majores erunt aſſumendi, per menſem ante Ordinationem Epiſcopum adeant, qui Parocho, aut alteri, cui magis expedire videbitur, committat, ut nominibus, ac deſiderio eorum, qui volent promoveri, publice in Eccleſia propoſitis, de ipſorum Ordinandorum natalibus, ætate, moribus, & vita a fide dignis diligenter inquirat, & literas teſtimoniales ipſam inquiſitionem factam continentes, ad ipſum Epiſcopum quamprimum transmittat „ „. Illum enim, qui ordinatur: *Oportet, & teſtimonium habere bonum ab iis, qui foris ſunt, ut non in opprobrium incidat, & in laqueum diaboli;* (inquit Apoſtolus 1. *ad Tim.* 3.) Si autem ipſis infidelibus judicium de vita Ordinandorum, ac moribus Eccleſia permittit, ab iiſque teſtimonium exigit, quanto magis fidelium populorum neceſſarium eſt teſtimonium, quo Ordinandorum vita, probitaſque confirmetur? „ Quod ſi ab hoſtibus habere teſtimonium convenit, multo magis ab amicis ipſis „ 1. ad Tim. 5.

puta populis Christianis; (inquit *S. Joann. Chrysost.* Hom. 9. in 1. Epistolam ad *Timotheum*) Hinc Apostoli de Diaconorum electione soliciti Fidelibus prædicarunt, ut *Considerarent viros boni testimonii septem plenos Spiritu sancto*, quos ad opus Diaconatus ordinarent. Hinc *Tertullianus*, in Apologetico, de Ecclesiæ Præpositis ait; „ Præsident probati quoque „ Seniores, honorem istum non pretio, sed testimo„ nio adepti „. Hinc Conc. Carthaginense 3. can. 22. sanxit: „ Ut nullus ordinetur Clericus nisi probatus, „ vel Episcoporum examine, vel populi testimonio „. Et Carthaginense 4. can. 22. statuit: „ Ut Episcopus „ sine consilio Clericorum suorum Clericos non or„ dinet, ita ut civium assensum, & conniventiam, „ & testimonium quærat „. De inquisitionibus, ac denuntiationibus publicis, pro Candidatis majorum Ordinum probandis, Tridentino Concilio inhæserunt Mediolanense 4. Rothomagense, Aquense, Turonense, Burdigalensia duo &c.

Ordinandorum examen. Can. Nullus ordinetur, & can. Episcopus dist. 24.

De Ordinandorum examine rursus Tridentina Synodus sess. 23. cap. 6. *De Reformatione*, sic statuit: „ „ Episcopus autem Sacerdotibus, & aliis prudentibus viris, peritis divinæ legis, ac in Ecclesiasticis functionibus exercitatis, sibi adscitis, Ordinandorum genus, personam, ætatem, institutionem, mores, doctrinam, & fidem diligenter investiget, & examinet „ „.

Nulli Ordinum candidati ab examine sunt immunes. Conc. Colonienſe anno 1536. p. 1. c. 15. neminem excipit: „ „ Etsi Magisterii titulum prætexat, nisi quem publicum sit, & vitam integram egisse, & ea, quæ Ordo amplectendus requirit, facile callere; quamobrem nedum Clerici, qui sæculares appellantur, sed & Religiosi cujuslibet etiam professionis fuerint, hanc censuram experientur „ „. Leo V. in Constitutione, quæ incipit, *Dum intra mentis arcana*, sess. 11. Conc. Lateranense 5. promulgata, Regulares, qui ad Ordines promovendi sunt admittendos decernit; *Postquam per Ordinarios de Grammatica*,

ea, *& sufficientia examinati fuerint*, & dummodo competenter respondeant. Conc. Tridentinum sess. 23. cap. 12. *De Reformat.* ab examine neminem excipit, Regulares quoque *sine diligenti Episcopi examine* prohibet ordinari. Nec mirum, cum *S. August.* Epist. 60. alias 67. ad Aurelium scribat: „„ Ex his, qui in Monasterio permanent, nonnisi probatiores, atque meliores se in Clerum assumere solere... Cum aliquando etiam bonus Monachus vix bonum Clericum faciat, si adsit ei sufficiens continentia, & tamen desit Instructio necessaria, aut Personæ regularis integritas „„.

Quamvis autem Ordinandorum examen ad Episcopum præsertim spectet, secundum Regulam illam *Innocent. III.* cap. *Venerabilem*, Extra, de Electione: „ Est enim regulariter, & generaliter observatum, „ ut ad eum examinatio personæ pertineat, ad quem „ impositio manus spectat „ ; conveniens tamen est, ut alii, etiam Episcopi jussu, eoque, si fieri potest, præsente, Ordinum Candidatos examinent. Eos autem de gremio Cathedralis Ecclesiæ assumi consentaneum est: *Examinatores siquidem a latere suo* Episcopum eligere debere, sanxit Conc. Nannetense, can. 11. Si qui autem ex Capitulo Cathedralis Ecclesiæ ad id munus vocari debent; ii maxime Archidiaconi, Theologus, sive Scholasticus, Cancellarius, & Pœnitentiarius. Archidiaconos vocari decet, qui ad Episcopum de capacitate, & sufficientia Ordinandorum publice in Ecclesia referant, qui jure communi *Episcopi Vicarii* dicuntur, ad quos Parochiarum pertinet *solicitudo*, *& earum ordinatio*, & ad quos *Præsentandorum ad Beneficia examinatio* spectat, ex *Innocent. III.* cap. *Ut nostrum*, Extra. *De Officio Archidiaconi.* Theologum, seu Scholasticum examini Ordinandorum convenit interesse, ad quem (ex Conc. Colonienſi sub *Adolpho* Archiepiscopo) in pluribus Ecclesiis Ordinandorum examinatio jure spectasse dicitur, & cujus præcipue munus est, Ordinandos in suo Officio instruere, ac docere. Cancel-

larium pariter, qui jure communi Magister Scholarum censetur, cujus proinde suffragio probari decet Ordinandos, qui in Scholis versati, & a Magistris Scholarum commendati sunt. Pœnitentiarium denique, quem videlicet Irregularitates, & alia canonica impedimenta dignoscere maxime oportet, & cui, vel ei, quem designaverit, peccata sua confiteri debere Ordinandos, statuit Conc. Rothomagense sub Cardinali *Borbonio*, tit. *De Episcoporum Officio*, nu. 7. quod & statutis Synodalibus Trecensis Ecclesiæ sancitum est, ut legere est apud L. *Bochelum*, lib. 3. tit. 2. cap. 46.

Quamvis autem ex facie duntaxat non sit de hominibus, judicandum, non tamen prætermittenda est ab Examinatoribus diligens consideratio motus, gestus, incessus, aspectus, locutionis, totiusque habitus corporis, qui si levitatem sapiat, ad Ordines non facile admittendi sunt Candidati, sed diuturniori temporis intervallo probandi, ut colligitur ex doctrina, & exemplo S. *Ambrosii*, lib. 1. *De officiis*, cap. 18. „ „ Est etiam (*inquit*) in ipso motu, gestu, incessu, tenenda verecundia. Habitus enim mentis in corporis statu cernitur. Hinc homo cordis nostri absconditus, aut levior, aut jactantior, aut turbidior; aut contra gravior, & constantior, & purior, & maturior æstimatur. Itaque vox quædam est animi, corporis motus. Meministis, filii, quemdam amicum, cum sedulis se videretur commendare officiis, hoc solo tamen in Clero a me non receptum, quod gestu ejus plurimum dedeceret; alterum quoque cum in Clero reperissem, jussisse me, ne unquam præiret mihi; quia velut quodam insolentis incessus verbere oculos feriret meos. Idque dixi, cum redderetur post offensam muneri. Hoc solum excepi, nec fefellit sententia; uterque enim ab Ecclesia recessit; ut qualis incessu prodebatur, talis perfidia animi demonstraretur. Namque alter Arianæ infestationis tempore fidem deseruit; alter pecuniæ studio, ne judicium subiret Sacerdotale, se nostrum negavit. Lucebat in illo-

illorum inceſſu imago levitatis, & ſpecies quædam ſcurrarum percurſantium „ „.

REGULA XVII.

Neque Sacerdotum, & Miniſtrorum penuria, neque rationes aliæ, indignorum Clericorum Ordinationem ullatenus excuſare poſſunt.

Non enim Sacerdotum, ac Miniſtrorum multitudine, ſed pietate, doctrina, labore, aſſiduitate, Eccleſia ab initio plantata eſt, poſtea vero aucta, ornataque floruit. „„ Dilatata videtur Eccleſia (*inquit S. Bernardus, in Tractatu* De converſione ad Clericos, *cap.* 20.) Ipſe etiam Cleri ſacratiſſimus Ordo: Fratrum numerus ſuper numerum multiplicatus eſt. Verum etſi multiplicaſti gentem, Domine, non magnificaſti lætitiam, dum nihil minus apparet deceſſiſſe meriti, quam numeri acceſſiſſe. Curritur paſſim ad ſacros Ordines, & reverenda ipſis quoque Spiritibus Angelicis miniſteria homines apprehendunt ſine reverentia, ſine conſideratione „ „. Periculoſus hic Eccleſiæ morbus, cui graviter conſules, ſi non tam de Clericorum numero ſolicitus ſis, quam de exemplo: „ „ Quia (*ut ſcribit Gelaſius I. ad Lucaniæ Epiſcopos*) Convenientia Eccleſiæ miniſteria reparanda ſunt, non inconvenientibus meritis ingerenda... Ne per occaſionem ſupplendæ penuriæ clericalis, vitia potius divinis cultibus intuliſſe; non legitimæ familiæ Domini putemur procuraſſe compendia „ „. Similiter *S. Leo* inordinatas indignorum Ordinationes reprehendens, Epiſt. 1. alias 87. ad Africanos Epiſcopos; „ Non eſt hoc „ conſulere populis (*inquit*) ſed nocere, nec præſtare „ regimen, ſed augere diſcrimen. Integritas enim „ Præſidentium, ſalus eſt ſubditorum „. Concil. Lateranenſis 4. can. 27. hanc Regulam egregie confirmat: „„ Cum ſit ars artium regimen animarum, diſtricte præcipimus, ut Epiſcopi promovendos in Sacerdotes diligenter inſtruant, & informent, vel per ſe ipſos, vel per alios viros idoneos, ſuper Divinis

Qualitates Ordinandorum.

Refertur d. 17. can. Monachus.

vinis officiis, & eccleſiaſticis Sacramentis, qualiter ea rite valeant celebrare; quoniam ſi ignaros, & rudes de cætero ordinare præſumpſerint, & (quod quidem facile poterit deprehendi) & Ordinatores, & Ordinatos gravi decrevimus ſubjacere ultioni. Satius enim maxime in ordinatione Sacerdotum paucos bonos, quam multos malos habere Miniſtros; quia ſi cæcus cæcum duxerit, ambo in foveam dilabuntur „ „.

Luc. 12. & Matth. 15.

Idem confirmat *S. Thomas*, in 4. *Sententiar.* diſt. 24. qu. 1. art. 3. qu. 4. „ „ A Domino (*inquit*) deſcribitur fidelis, qui eſt ſervus conſtitutus ſuper familiam, ut det illis tritici menſuram, & ideo infidelitatis reus eſt, qui alteri ſuper menſuram ejus Divina tradit; hoc autem facit, quicunque indignum promovet. Et ideo mortale crimen committit, quaſi ſummo Domino infidelis, & præcipue cum hoc in detrimentum Eccleſiæ vergat, & honoris divini, qui per bonos miniſtros promovetur; eſſet enim infidelis Domino terreno, qui in ejus officio aliquos inutiles poneret „ „.

Et in Reſponſione ad primum; „ „ Deus nunquam ita deſerit Eccleſiam ſuam, quin inveniantur idonei miniſtri ſufficienter ad neceſſitatem plebis, ſi digni promoverentur, & indigni repellerentur. Et, ſi non poſſent tot miniſtri inveniri, quot modo ſunt, melius eſſet habere paucos miniſtros bonos, quam multos malos „ „. Quod Concil. Burdigalenſis anno 1583. celebrati verbis confirmatur: „ „ Ut vinea Domini (*inquit*) ex illius præcepto rite ſemper colatur, multaque meſſis in ejus horreum reportetur, multis operariis opus eſt, quorum non tam numerus, quam virtus ſpectanda eſt; paucos enim idoneos, & probatos habere ſatius eſt, quam multos inutiles, atque adeo ipſo vitæ genere perniciosos „ „.

RE-

REGULA XVIII.

Nemo absque Dei vocatione in Clerum eligendus, sacrisve Ordinibus initiandus est.

Christus enim Dominus Apostolis suis ait: *Non vos me elegistis, sed ego elegi vos.* Et (ut Apostolus ait) *Nec quisquam sumit sibi honorem, se qui vocatur a Deo tanquam Aaron.* Nec enim *Christus semetipsum clarificavit, ut Pontifex fieret; sed qui locutus est ad eum; Filius meus es tu.* Hinc Apostoli in locum Judæ proditoris Apostolum suffecturi, Deum ita precati sunt: *Tu, Domine, ostende, quem elegeris.* Nemo ingreditur ad regales Nuptias, nisi quos Pater-familias invitavit. Christus ostium ovium est, ut ipsemet docet Joan. 10. *Qui non intrat per ostium in ovile ovium, sed ascendit aliunde, ille fur est & latro; qui autem intrat per ostium, Pastor est ovium; huic ostiarius aperit, & oves vocem ejus audiunt,* quia ipse voci Christi paruit. Ideoque nihil a Deo amplius requirendum censet *S. Zeno* Veronensis Episcopus Serm. 2. *de Nativitate Christi*, quam *Ut quis ejus noverit voluntatem, sine qua ei nec legitime servire poterit, nec placere.* Quod si olim ab *Assuero* Persarum Rege constitutum legimus (Esther 4.) ut qui, sive mulier, sive vir non vocatus atrium Regis introiret, absque ulla cunctatione, aut indulgentiæ spe statim interficeretur; quantis putas damnandum pœnis, qui absque cœlesti vocatione in ecclesiasticam Professionem invadit, & Ordinationis gratiam suffuratur? Si nemo terreni cujuslibet Reguli, eo non præcipiente, & vocante, occupare ministeria, præripere beneficia, negotia dispensare audet, quantæ temeritatis rei sunt, qui in sacrum Ministerium absque Dei vocatione interna, & externa legitimorum Ecclesiæ Prælatorum, se ipsos arroganter inserunt, atque intrudunt? De quibus Dominus ait (Jer. 23.) *Non mittebam Prophetas, & ipsi currebant.* Quo quidem hominum genere nihil infelicius, ac miserius, nil Ecclesiæ calamitosius esse potest; (inquit Catechismus Concilii Tridentini.) Di-

Joan. 15. ad Hebr. 5.

Act. 1.

Ordinandorum vocatio probanda.

Divinæ vocationis indicia.

Divinæ autem vocationis varia sunt indicia. Primum est conscientiæ puritas, & anteactæ vitæ innocentia. Alterum ecclesiasticæ disciplinæ studium, amorque, & a sæculi moribus, ac vanitatibus alienatio. Tertium, recta intentio, seu finis bonitas, ob quem aliquis clericali militiæ dat nomen, vel ad sacram Ordinationem accedit. Si enim aliquis liber ab omni terreno affectu, vacuus ab omni gloriæ cupiditate, expers omnis ambitionis & avaritiæ, ad Clerum Deo deserviendi causa, & salutis populi procurandæ gratia solum se conferat, digitus Dei hic est; dextera Domini fecit virtutem, dextera Domini ipsum exaltat. Sed si rapit ambitio, si invitat avaritia, si otiositas allicit, si domesticæ curæ impatientia inducit, divinam ad Clericatum, & ad S. Ordines vocationem deesse, hæc argumenta sunt. Quæ de perversitate intentionis Conc. Catechismus hæc habet: Alii eo consilio ad hanc vivendi rationem se convertunt, ut quæ ad victum, vestitumque necessaria sunt, parent; ita ut præter quæstum nihil aliud in Sacerdotio quemadmodum vulgo cæteri omnes in quovis sordidi artificii genere, spectare videantur. Quamvis enim ex Apostoli sententia, natura, & divina lex jubeat, ut *Qui Altari servit, ex Altari vivat*, tamen quæstus, & lucri causa ad Altare accedere, maximum sacrilegium est. Alios honorum cupiditas, & ambitio ad sacerdotalem Ordinem ducit. Alii vero, ut divitiis affluant, initiari volunt, cujus quidem rei illud argumentum est, quod nisi opulentum aliquod Ecclesiast. beneficium iis deferatur, nullam sacri Ordinis cogitationem habent; hi vero sunt, quos Salvator noster *Mercenarios* appellat; & quos *Ezechiel* dicebat: *Semetipsos, & non oves pascere*; quorum fortitudo, & improbitas non solum sacerdotali Ordini magnas tenebras effundit, ita ut jam nihil fere a fideli populo haberi possit contemptius, & abjectius; verum etiam efficit, ut ipsi nihil amplius ex Sacerdotio consequantur, quam Judas ex Apostolatus munere, quod illi sempiternum exitium attulit.

1. Cor. 9.

Joan. 10. Ezech. 34.

Illi

Illi autem ostio in Ecclesiam introire merito dicuntur, qui a Deo legitime vocati, Ecclesiastica munera ejus unius rei causa suscipiunt, ut Dei honori inserviant. Qua de re *S. Bernardus*, seu potius *Gaufridus* Abbas 4. Clarævallensis, declamatione in Evangelium *Ecce nos relinquimus omnia*, ex verbis *S. Bernardi* contexta §. 13. præclare scribit; *Videte Vocationem vestram ait vocatus Apostolus.* „„ Consideremus & nos an vocati venerimus, & vocati a Deo, cujus nimirum hæc vocatio est. Nec communem modo vocationem dixerim, qua sane juxta eumdem Apostolum: *Quos prædestinavit, hos & vocavit;* sed quis vocaverit nos in honorem Cleri, convenire velim conscientias singulorum, ut secundum præceptum Domini ad cor Jerusalem loquar. Huic enim parvulo adhuc, aut forsitan necdum nato, Ecclesiastica jam beneficia provida sane parentum solicitudo parabat. Hunc nos, inquiens, illi, vel illi trademus Episcopo, apud quem habemus gratiæ locum, aut cui forte servivimus, ut ditetur de bonis Domini, nec in tot liberos nostra dividatur hæreditas. Illum Præpositus, aut Decanus, ut sibi succederet, plusquam materno educavit affectu, in deliciis enutriens, & delictis. Ille dignus Archidiaconatu, utpote filius Principis, magis autem si sit Episcopi consobrinus, in quo nimirum tota est Episcopata progenies. Alius undique circuit, sedulus explorator, blanditur, obsequitur, simulat, & dissimulat, miseraque sibi suffragia mendicare non erubescit, manibus & pedibus repans, si quo modo tandem aliquando sese ingerere queat in patrimonium Crucifixi, & bona Domini, quæ sola ex omnibus hodie inveniuntur exposita. Quis ea intentione gradus ecclesiasticos, & ministeria Sanctuarii quærit, imo quæritur (quæri nempe potius quam quærere ipse debuerat) ut sine curis sæculi, in sanctimonia cordis, & corporis illuminandus accedat ad Dominum, & sua pariter, ac proximorum operetur salutem, orationis studio deditus, & verbo prædicationis? Nam si eo quærit,

1. Cor. 1.

Rom. 8.

aut

aut tenet animo, eoque intuitu, ut huic vitæ habeat neceſſaria, evangelizat, ut manducet, & perverſo nimis ordine cœleſtibus terrena mercatur. Quam certe dignius, ampliuſque conſentaneum rationi, ut pro carnali victu carnalia magis opera, & nagotia exerceret, nec fieret inverſor rerum, aut inhonoraret Miniſterium ſpirituale? Sed modico eſt natura contenta, nec multi ſola in his neceſſaria quærunt, quippe minori facile ſatis obtinenda periculo. Honorati incedere volunt, placere ſtudent hominibus, delectari, & ſuperbire, & huic ſæculo per omnia conformari. Audi querelas Domini, quid ſuper hac tanta hominum temeritate loquatur patiens redditor, pœnitentiam cupiens, quam vindictam? *Ipſi* (inquit) *regnaverunt, & non ex me; Principes extiterunt, & ego non vocavi eos.* Univerſos ſiquidem in Ordinibus eccleſiaſticis, cæteriſque ad Sanctuarium pertinentibus, honorem quærentes proprium, aut divitias, ſeu corporis voluptatem, poſtremo, quæ ſua ſunt, non quæ Jeſu Chriſti, manifeſte prorſus, & indubitanter, non ea, quæ Deus eſt charitas, ſed aliena a Deo, & omnium radix malorum cupiditas introducit Quid iſtud temeritatis, imo quid inſaniæ eſt? Ubi timor Dei? Ubi mortis memoria, ubi gehennæ metus, & terribilis expectatio illa judicii? Sponſa, nec cubiculum, nec cellam ingredi niſi Rege introducente præſumit; tu irreverenter irruis nec vocatus, nec introductus. *Trahe me poſt te*, ait illa, *in odorem unguentorum tuorum curremus.* Nunc autem trahit ſua quemque voluptas, & odorem turpis lucri ſectantes, quæſtum æſtimant pietatem, quorum certa eſt damnatio „„.

Oſee 8.

Cant. 1.

REGULA XIX.

Nemo eſt ad ſacros Ordines promovendus, niſi qui vel innocenter vixerit, vel occultas prioris vitæ maculas diuturna pœnitentia diluerit.

Ordinandorum ſanctimonia.

Chriſti enim primi, ſummique Sacerdotis ſanctimoniam decet illos imitari, qui Sacerdotii illius

lius participes esse cupiunt. *Talis decebat, ut nobis esset Pontifex, sanctus, innocens, impollutus, segregatus a peccatoribus, & excelsior cœlis factus, qui non habet necessitatem quotidie, quemadmodum Sacerdotes, prius pro suis delictis hostias offerre, deinde pro populi;* (inquit Apostolus ad Hebr. 7.) Hinc Apost. 1. ad *Timotheum* 3. docens quales esse debeant Episcopi, cæterique Ecclesiæ ministri: *Oportet* (inquit) *Episcopum irreprehensibilem esse, unius uxoris virum, sobrium, prudentem, ornatum, pudicum, hospitalem, doctorem, non vinolentum, non percussorem, sed modestum; non litigiosum, non cupidum*, &c. *Diaconos similiter pudicos, non bilingues, non multo vino deditos, non turpe lucrum sectantes; habentes mysterium fidei in conscientia pura. Et hi autem probentur primum; & sic ministrent, nullum crimen habentes.* Et ad Titum 1. *Hujus rei gratia reliqui te Cretæ, ut ea, quæ desunt, corrigas, & constituas per civitates Presbyteros, sicut & ego disposui tibi. Si quis sine crimine est*, &c. *Oportet enim Episcopum sine crimine esse, sicut Dei dispensatorem, non superbum, non iracundum, non vinolentum, non percussorem, non turpis lucri cupidum; sed hospitalem, benignum, sobrium, justum, sanctum, continentem.*

Hanc Regulam confirmant SS. Patres, *Gregorius Nazianzenus.* Orat. 1. hunc esse rerum naturalem ordinem ait; „ „ Purgari prius, deinde purgare; sapientia instrui, atque ita demum sapientia alios instruere; lux fieri, & alios illuminare; ad Deum appropinquare, & ita alios deducere; sanctificari, & postea sanctificare „ „. Hinc sanctus idem Theologus de seipso ait: „ „ Hæc igitur cum ego nossem, illudque insuper, neminem magno, & Deo, & Sacrificio, & Pontifice dignum esse, nisi qui prius seipsum Deo viventem hostiam, sanctam exhibuerit, ac rationabile obsequium, gratum, atque acceptum ostenderit, Deoque sacrificium laudis, ac spiritum contribulatum obtulerit, quo tandem modo externum illud sacrificium, illud magnorum Mysteriorum antitypum ipsi offerre auderem? Aut quomodo Sa-

cerdotis habitum, aut nomen subire, priusquam sanctis operibus manus purificassem? Priusquam rebus creatis sane, atque ad Creatoris solum admirationem, non autem ad figmenti damnum aspiciendis oculos assuefeciissem; priusquam per Domini disciplinam aures meæ satis apertæ fuissent; priusquam os, labia, & lingua, illud quidem apertum fuisset, ac spiritum attraxisset; aut dilatatum, aut impletum Spiritu exponendis Mysteriis, & Dogmatibus; hæc autem divino sensu ligata fuissent, atque etiam tempestive soluta; ac denique lingua exultatione impleta fuisset, divinæque melodiæ plectrum effecta; priusquam statuti essent ad petram pedes mei perfecti tanquam cervorum, meique secundum Deum gressus directi essent, ita ut nec pene, nec ullo omnino modo effunderentur; prius denique quam omnia membra justitiæ arma effecta fuissent, omnemque mortalitatem abjeciissent, a vitiis scilicet absorptam, ac spiritui cedentem „„.

S. Hieronymus in cap. 1. Epistolæ ad Timotheum: „„ Sine crimine jubetur esse Episcopus, quod puto alio verbo irreprehensibilem nominatum. Non quod eo tantum tempore, quo ordinandus est, sine ullo sit crimine, & præteritas maculas nova conversatione diluerit, sed quod ex eo tempore, quo in Christo renatus, nulla peccati conscientia remordeatur. Quomodo enim potest Præses Ecclesiæ auferre malum de medio ejus, qui in delicto simili corruit? Aut qua libertate corripere peccantem potest, cum tacitus sibi ipse respondeat, eadem admisisse, quæ corripit „„.

S. August., Tract. 41. in Joannem, §. 10. „„ Prima est ergo libertas (*inquit*) carere criminibus. Ideo & Apostolus Paulus, quando elegit Ordinandos, vel Presbyteros, vel Diaconos, & quicunque ordinandus est ad Præposituram Ecclesiæ, non ait; Si quis sine peccato est; hoc enim si diceret, omnis homo reprobaretur, nullus ordinaretur; sed ait; *Si quis sine crimine est*, sicuti est homicidium, adulterium, ali-

aliqua immunditia fornicationis, furtum, fraus, ſacrilegium, & cætera hujuſmodi. Cum cœperit ea non habere homo, (debet autem non habere omnis chriſtianus homo,) incipit caput erigere ad libertatem, &c „ „.

S. Gregorius magnus, paſtoralis Curæ, p 1. „ „ Ille (*inquit*) modis omnibus debet ad exemplum vivendi pertrahi, qui cunctis carnis paſſionibus moriens jam ſpiritualiter vivit, qui proſpera mundi poſtpoſuit, qui nulla adverſa pertimeſcit, qui ſola interna deſiderat. Cujus intentioni bene congruens, nec omnino per imbecillitatem corpus, nec valde per contumaciam repugnat ſpiritus. Qui ad aliena cupienda non ducitur, ſed propria largitur. Qui per pietatis viſcera citius ad ignoſcendum flectitur, ſed nuſquam pluſquam deceat ignoſcens, ab arce rectitudinis inclinatur. Qui nulla illicita perpetrat, ſed perpetrata ab aliis, ut propria, deplorat. Qui ex affectu cordis alienæ infirmitati compatitur, ſicque in bonis proximi ſicut in ſuis profectibus lætetur Qui ita ſe imitabilem cæteris in cunctis, quæ agit, inſinuat, ut inter eos non habeat, quod ſaltem de tranſactis erubeſcat. Qui ſic ſtudet vivere, ut proximorum quoque corda arentia doctrinæ valeat fluentis irrigare. Qui orationis uſu, & experimento jam didicit, quod obtinere a Domino, quæ popoſcerit, poſſit... Si enim fortaſſe quis veniat, ut pro ſe ad intercedendum nos apud potentem quemdam virum, qui ſibi notus, nobis vero eſt incognitus, ducat, protinus reſpondemus; ad intercedendum venire non poſſumus, quia familiaritatis ejus notitiam non habemus. Si ergo homo apud hominem, de quo minime præſumit, fieri interceſſor erubeſcit, qua mente apud Deum interceſſionis locum pro populo accipit, qui familiarem ſe gratiæ ejus eſſe per vitæ meritum neſcit? Aut ab eo quomodo aliis veniam poſtulat, qui utrum ſibi ſit placatus ignorat? Qua in re adhuc eſt ſolicitius formidandum, ne qui placare poſſe iram creditur, hanc ipſe ex proprio reatu mereatur. Cuncti enim

liquido novimus, qui cum is, quia displicet, ad intercedendum mittitur, irati animus ad deteriora provocatur „„. Et cap. 11. postquam defectum, & vitia corporis recensuit, quæ a Sacerdotio in veteri Lege arcebant, quorum defectum unumquemque ibidem moraliter explicat; ita suam illam expositionem concludit: „„ Quisquis ergo quolibet horum vitio subigitur, panes Domino offerre prohibetur; ne perfecte diluere aliena delicta non valeat is, quem adhuc propria devastant „„.

Idem lib. 3. Ep. 26. „„ Pervenit ad Nos quosdam de sacris Ordinibus lapsos, vel post pœnitentiam, vel ante, ad officii sui ministerium revocari; quod omnino prohibemus, & in hac re quoque sacratissimi Canones contradicunt. *Et lib. 4. Ep. 17.* Si lapsis ad suum Ordinem licentia concedatur, vigor canonicæ proculdubio frangitur disciplinæ, dum pro reversionis spe, pravæ actionis desideria quis concipere non formidat „„.

S. Isidorus Hispalensis, lib. 3. *Sententiarum*, cap. 31. „„ Non sunt (*inquit*) promovendi ad regimen Ecclesiæ, qui adhuc vitiis subjacent; hinc est, quod præceptum est David non ædificare visibile Templum, quia sanguinum vir belli frequentia esset; qua figura illi spiritaliter admonentur, qui vitiorum adhuc corruptioni sunt dediti, ne Templum ædificent, hoc est, Ecclesiam docere præsumant. *Subdit ibidem*: Non debet honoris ducatum suscipere, qui nescit subjectis tramite vitæ melioris præire; neque enim quisquam ad hoc tantum præficitur, ut subditorum culpas corrigat, & ipse vitiis serviat „„.

Et lib. 2. *De officiis ecclesiasticis*, cap. 5. „„ Quod is, qui post Baptismum aliquo mortali peccato corruptus ad Sacerdotium non promoveatur, lex ipsa testatur. Moyses enim in lege præcepit Sacerdotibus, ne aliquod pecus vitiatum ad Aram Deo offerant. Unde & in Numeris vitula rufa, cujus cinis expiatio est populi, non aliter jubetur offerri ad Altare Domini; nisi quæ terrena opera non fecerit,

jugum

jugumque delicti non retraxerit, nec vinculis peccatorum fuerit alligata. Sed quid plura objiciamus? Si enim is, qui in Episcopatu mortale aliquod peccatum admiserit, non debet offerre panem Domino, quanto magis ante Ordinationem peccator inventus, repudiari debet, ut non ordinetur „„?

S. Martinus I. Pontifex, & Martyr, in Epistola ad *Amandum* Trajectensem Episcopum: „„ Si tales (*inquit*) quærimus ad sacros Ordines promovendos, quibus nulla ruga, nullumque vitæ contagium præpediat, quanto magis si post Ordinationem suam quispiam in lapsum ceciderit, & prævaricationis peccato deprehendatur obnoxius, omnino prohibendus est, cum manibus luculentis, atque pollutis Mysterium nostræ salutis tractare „„?

Id confirmat *S. Bernardus*, in Tractatu *De Conversione ad Clericos*, cap. 19. „„ Multi quidem veniunt (*inquit*) sed considera, quis vocetur; ordinem ipsum dominici sermonis attende: *Beati* (inquit) *mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt.* Ac deinde, *Beati pacifici, quoniam filii Dei vocabuntur.* Mundos corde utique vocat Pater cœlestis, qui non quærunt, quæ sua sunt, sed quæ Jesu Christi; nec quod sibi utile, sed quod multis. *Petre* (inquit) *amas me? Domine, tu scis, quia amo te.* Pasce, *ait*, oves meas. Quando enim sic amatas oves committeret non amanti? Nimirum hoc quæritur inter dispensatores, ut fidelis quis inveniatur. Væ Ministris infidelibus, qui necdum reconciliati, reconciliationis alienæ negotia, quasi homines, qui justitiam fecerint, apprehendunt. Væ filiis iræ, qui se Ministros gratiæ profitentur. Væ filiis iræ, qui pacificorum sibi usurpare gradus, & nomina non verentur. Væ filiis iræ, qui fideles sese Mediatores pacis, ut peccata populi comedant, mentiuntur. Væ qui ambulantes in carne Deo placere non possunt, & placere velle præsumunt. Non miramur; fratres, quicunque præsentem Ecclesiæ statum miseramur; non miramur de radice colubri regulum orientem, Non miramur, si vindemiat vi-

Matth. 5.

Joan. 21.

neam Domini, qui institutam a Domino prætergreditur viam. Impudenter enim pacifici gradum, & Filii Dei vices occupat homo, qui nec primam quidem adhuc vocem Domini ad cor revocantis audivit; aut si quando forsitan cœperit audire, resiliens fugit ad folia, ut absconderetur in eis. Propterea necdum peccare quievit, sed longam adhuc trahit restem, &c. Quid de munditia cordis loquar? Utinam non illud oblivioni dedisset tanquam mortuus a corde! Utinam non esset columba seducta, non habens cor! Utinam esset, quod vel deforis est mundum, nec ea, quæ corporalis maculata tunica inveniretur! Ut obediret vel in hac parte dicenti; *Mundamini, qui fertis vasa Domini* „„.

Isai. 52.

REGULA XX.

Sacrilegii reus est, qui cum peccati mortalis conscientia Ordines suscipit.

Hanc Regulam tradit *S. Thomas*, in 4. *Sentent.* dist. 24. q. 1. art. 3. qu. 1. 1. „„ Cum (*inquit*) in quolibet Ordine aliquis constituatur Dux aliis in rebus divinis, in quolibet quasi præsumptuosus mortaliter peccat, qui cum conscientia peccati mortalis ad Ordines accedit; & ideo sanctitas vitæ requiritur ad Ordinem de necessitate præcepti, sed non de necessitate Sacramenti; unde si malus ordinatur, nihilominus Ordinem habet, tamen cum peccato „„.

Et in Responsione ad secundum ait, Ordinatos per ministerium spirituale ad quod applicantur, effici medios inter Deum, & plebem: „ Et ideo (*inquit*) „ debent bona conscientia nitere quoad Deum, & „ bona fama quoad homines „.

Præterea, cum Sacramentum Ordinationis sit Sacramentum vivorum, non mortuorum, nec sanandis animæ nostræ languoribus, aut vivificandis animabus institutum, sed ad gratiam augendam hominibus relictum; ejus virtutem evacuant, dignitatem contaminant, effectui, finique repugnant, qui mortalis

talis peccati labe inquinati, indignos se gratiæ augmento, & donorum Spiritus sancti ubertate præbent, quæ cumulatissime hoc Sacramento effunduntur. Hanc rationem subministrat *S. Thomas*, loco mox indicato in Responsione ad tertium: „„ Aliquæ (*inquit*) medicinæ sunt, quæ exigunt robur naturæ (alias cum periculo mortis assumuntur) & aliæ sunt, quæ debilibus dari possunt; ita etiam in spiritualibus quædam Sacramenta sunt ordinata ad remedium peccati; & talia peccatoribus sunt exhibenda, sicut Baptismus, & Pœnitentia; illa vero, quæ perfectionem gratiæ conferunt, requirunt hominem per gratiam confortatum „„.

Hanc Regulam confirmans Concilii Trid. Catechismus: „„ Primum (*inquit*) in eo, qui Sacerdos creandus est, vitæ, & morum integritas commendetur, magnopere oportet; non solum quia, si alicujus mortiferi peccati conscius se initiari curet, vel etiam patiatur, novo se, & maximo scelere obstringit; sed etiam quia virtutis, & innocentiæ lumen aliis præferre debet. Ea de re quid Apostolus Tito, & Timotheo præcipiat, Pastoribus declarandum erit; & simul illud docendum, ea corporis vitia, quæ in veteri Lege ex Domini præscriptione aliquem ab Altaris ministerio excludebant, in evangelica Lege ad animæ vitia præcipue transferenda esse. Quare sanctam illam consuetudinem in Ecclesia servari animadvertimus, ut qui in sacris initiandi sunt, prius pœnitentiæ Sacramento conscientiam purgare diligenter studeant „„. Hinc Synodus Parisiensis anno 1557. nullum ad sacros Ordines admittendum statuit: *Nisi sacramentali Confessione purgatus sit.* Concilium Bituricense anno 1584. pariter decernit: *Ut a jejunis tantum, & confessis recipiantur Ordines.* Aquense jubet: „„ Ut die sacro Ordinationis summo mane conveniant ordinandi in Ecclesia cathedrali confessi de peccatis suis, ut ab Episcopo sacram Communionem sumant „„. Conc. Rothomagense sub *Carolo* Cardinali *Borbonio*, statuit, ut Ordinandos „„ Pœnitentiarius

tiarius interroget an aliqua irregularitate, vel excommunicatione obstricti teneantur, unde a suscipiendis Ordinibus impediantur; eosdem vero ipse, vel alius idoneus per ipsum commissus in confessione audiat, antequam ab Episcopo consecrentur „„. Ordinandis, præsertim iis, qui vel Subdiaconatum, vel Diaconatum susceperi sunt, Confessionem generalem, & pium seccessum, sive spiritualia exercitia suadent Synodus Mediolanensis 4. Aquensis, & Burdigalensis postrema.

REGULA XXI.

In mortalis peccati reatum incurrit, qui Tonsuram clericalem indigne suscipit.

Ordinandorum sanctimonia.

Quamvis enim non sit ipsa Sacramentum, sed Cæremonia tantum sacramentalis, Ritusque sacer, cui nullum gratiæ augmentum promissum est; tamen quicunque per Tonsuram Clero adscribitur, maximum a Deo spiritale beneficium consequitur, & novum vitæ genus; atque ex duobus generibus Christianorum, quorum unum communem vivendi rationem sectatur; alterum perfectionis studio vocat, & aliorum salutem procurat, perfectius ipse amplectitur, & ad proximi salutem procurandam se devovet. Si autem unquam charitatis, & contritionis præcepta hominem obligant, tunc præsertim, cum insignia Dei beneficia spiritualia a Deo ei submini-strantur, vel cum novam vitæ rationem aggreditur. Quemadmodum enim ex sententia *S. Thomæ*, ut primum quis rationis usum attigit, tenetur ad Deum sese convertere, ac dirigere, eumque sibi omnium actionum suarum finem ultimum præfigere, ita homini novum vitæ genus inchoanti necessarium videtur, ut ad Deum se convertat, Deumque sibi omnium actionum suarum in eo vitæ genere finem præstituat; tum vero maxime cum perfectionis etiam in alios diffundendæ statum ingreditur. Quamobrem & injuriosus est in Deum, & clericali Ordini contumelio-

melioſus, qui impœnitens Clericorum Catalogo inſcribi ſe procurat, & Deo ſe in iſto Ordine miniſtraturum devovet. Prudenter itaque Synodus Carnotenſis Ordinum candidatos admonet: „ Ut ante„ quam ad Ordines, & primam Tonſuram accedant, „ diligenter confiteantur peccata ſua „.

REGULA XXII.

Ordinandorum ſcientia probari debet, ac tentari pro ratione Ordinum, ad quos promovendi ſunt, & locorum, quo mittuntur, pro ingenii captu, & doctrinæ genere, quam profitentur. Qui autem agreſti ſunt ingenio, & literarum ignari, atque incapaces, rejiciendi ſunt.

I. Hanc Regulam tradunt Patres, & Concilia. Aurelianenſe 2. can. 18. „ Presbyterum, vel „ Diaconum ſine literis, vel ſi baptizandi ordinem „ neſciat „, prohibet ordinari. Toletanum 8. & can. 8. ad alicujus Ordinis, vel eccleſiaſticæ dignitatis ſtatum vetat promoveri eos, qui totum Pſalterium, & baptizandi ritum non noverint: „„ Abſurdum ſiquidem eſt, eos, qui cæteros ſimpliciores, & laicos debent docere (quibus & diſciplinæ, & vitæ debent eſſe quoddam ſpeculum) ad alicujus Ordinis, vel dignitatis promoveri ſtatum, qui legem ignorant, nec literarum ſaltem mediocritate ſunt inſigniti. Nullus igitur ad ſacra Myſteria tractanda veniat indoctus, aut ignorantiæ tenebris cæcutiens, ſed quem morum innocentia, & literarum ſplendor reddunt illuſtrem, aliter ordinaturis, & ordinandis imminet impoſterum Dei, & Eccleſiæ ejus vindicta „„. Concilium Nannetenſe can. 11. Ordinandos diligenter examinandos eſſe ait: „ Si bene literati, ſi inſtructi „ in lege Domini ſint, & Fidem catholicam teneant, „ ac ſimplicibus verbis eam tueri, vel aſſerere poſſint „. Refertur can. *Quando Epiſcopus*, diſt. 24.

Hanc Regulam confirmat *S. Thomas*, in 4. *Sentent.* diſt. 24. q. 1. art. 3. qu. 2. „„ In quolibet actu homi-

nis (*inquit*) si debeat esse ordinatus, oportet, quod adsit directio rationis; unde ad hoc, quod homo Ordinis officium exequatur, oportet, quod habeat tantum de scientia, quod sufficiat ad hoc, quod dirigatur in actu illius Ordinis; ideo talis scientia requiritur in eo, qui ad Ordines promoveri debet; & non quod universaliter in tota Scriptura sit instructus; sed plus, & minus secundum quod ad plura, vel pauciora se ejus Officium extendit; ut scilicet illi, qui aliis præponuntur, Curam animarum suscipientes, sciant ea, quæ ad doctrinam Fidei, & Morum pertinent; & alii sciant ea, quæ ad executionem sui Ordinis spectant „„.

Examen eligendorum in Clerum per primam Tonsuram.

II. Prima Tonsura non sunt initiandi, qui „ „ Sacramentum Confirmationis non susceperint, & Fidei rudimenta edocti non fuerint, quique legere, & scribere nesciant, & de quibus probabilis conjectura non sit, eos non sæcularis judicii fugiendi causa, sed ut Deo fidelem cultum præstent, hoc vitæ genus elegisse „„. Quod igitur scientiam spectat, duo tantum in Clericatus Candidatis postulat Tridentina Synodus sess. 23. *De Reformatione*, cap. 4. Primum, ut Fidei rudimenta sint edocti; alterum, ut legendi, scribendique periti sint. Tertium addit Conc. Mediolanense 5. ut scilicet Epactæ intelligentiam habeant, quam ad Martyrologii lectionem, & Breviarii recitationem *S. Carolus* necessariam existimavit.

Examen promovendorum ad minores Ordines.

III. Minores Ordines iis tantum conferri debent: „ Qui saltem latinam linguam intelligant, *& quos* „ scientiæ spes majoribus Ordinibus dignos ostendat: Cum a minoribus Ordinibus ad altiores gradus, & sacratissima Mysteria sit ingressus „. Ita sanxerunt Tridentina Synodus sess. 23. cap. 11. *De Reformatione*, Mediolanensis 5. p. 3. tit. De Examinandi ratione, & Burdigalensis 2. cap. 6.

IV. Ab omnibus, & singulis Ordinum Candidatis generatim quærendum est, an vim, & naturam, Mysteriaque Ordinis, quæ suscepturi sunt, noverint.

rint. 2. An ritus & cæremonias, quæ ex libro Pontificali adhibentur, cum initiantur. 3. An eorum item significationes sanctiores. 4. An sacrarum vestium, quibus induuntur, Mysteria item & significata. 5. An functionum notitiam habeant Ordinis, quo sunt initiandi. 6. An earum usum, exercitationemque recte teneant, cum in literis, tum etiam in cantu. Ita statuit Synodus Mediolanensis.

V. Ab iis, qui a Minoribus ad sacros Ordines ascendunt, quærendum imprimis est, utrum Breviarium, sacra Biblia, Concilium Trid. Catechismum romanum, Rationale divinorum Officiorum, & libros aliquos de vitæ spiritualis rationibus conscriptos, sui muneris usui accommodatos habeant, ut statuit mox laudata Synodus Mediolanensis. Quod enim S. Paulus Timotheo, hoc Clericis omnibus serio inculcandum est: *Attende lectioni.* Ex iis autem libris, quorum lectioni debent incumbere, potissima sunt sacra Biblia, quæ doctrinam *utilem ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, ad erudiendum in justitia* complectuntur. Secundum locum tenent Conciliorum decreta, quibus ecclesiasticæ Regulæ continentur, & Fidei, Morumque dogmata. Post hæc libri illi ab ecclesiasticis viris evolvi debent, qui Mysteriorum nostræ religionis arcana aperiunt, & sacrorum Rituum causas, & significationes explicant.

1. Tim. 4. Ordinandorum scientia.

VI. Ad Subdiaconatum, & Diaconatum promoveri non debent, nisi „ „ Habentes bonum testimonium, & in minoribus Ordinibus jam probati, ac literis, & iis, quæ ad Ordinem exercendum pertinent, instructi; qui sperent Deo auctore se continere posse, Ecclesiis, quibus adscribentur, inserviant, sciantque maxime decere, si saltem diebus Dominicis, & solemnibus, cum Altari ministraverint, sacram Communionem perceperint „ „. Sanctio est Trid. Concilii, sess. 23. c. 13. *de Reformatione.* Conc. Mediolanense 5. promovendos ad Subdiaconatum interrogandos esse statuit de minorum, & majorum Ordinum differentia; de Voto item continentiæ, quod

Examen Subdiaconorum.

quod Subdiaconatus Ordini conjunctum est; de Sacramentorum etiam doctrina, saltem generatim, de modo tandem recitandi Breviarii, ut qui ad ejus recitationem obligabuntur, non imperiti ad sacrum hoc pensum persolvendum accedant; de quo Conc. Burdigalense anno 1583. cap. 14. ita statuit: „„ A Subdiaconatu, statim Officii divini recitandi rationem teneant, neque omnino superiores illis Ordines conferantur, quos per examen hac insigni, & mortali negligentia teneri constiterit „„.

Diaconorum examen.

VII. Diaconorum futurorum examen aliquando diligentius de Sacramentorum doctrina fieri debet; item de Concionibus habendis, ut statuit Conc. Mediolanense 5. Cum enim in omnibus Sacramentis ministrent, viceſque gerant Sacerdotis in administrando Baptismo, eidemque propius adsistant, dum Sacrum facit, eisque etiam dominici Sanguinis dispensatio antiquitus conveniret, majori quam Subdiaconi, Sacramentorum scientia imbuti esse debent. Cum etiam Catechumenos docere ex Officio teneantur, concionandi, seu catechizandi omnino imperiti ad hunc Ordinem admitti non debent.

Sacerdotum examen, quæ scientia illis necessaria.

VIII. Major in Sacerdotibus ordinandis scientia requiritur, cum ad docendum alios apti esse debeant, & ad ministranda Sacramenta instructi, ut statuit Trid Synodus, sess. 23. cap. 14. De Reformatione: „„ Ad populum docendum ea, quæ scire omnibus necessarium est ad salutem, ac ad ministranda Sacramenta, diligenti examine præcedente idonei comprobentur; atque ita pietate, ac castis moribus conspicui, ut præclarum bonorum operum exemplum, & vitæ monita ab eis possint expectare „„.

Id paulo uberius explicat Conc. Catechismus. „„ In Sacerdote (*inquit*) non solum ea cognitio requirenda est, quæ ad Sacramentorum usum, & tractationem pertinet; sed etiam sacrarum Literarum scientia instructum esse oportet, ut populo christiano Fidei mysteria, & divinæ legis præcepta tradere, ad virtutem, & pietatem incitare, a vitiis revocare

vocare Fideles possit. Sacerdotis enim duo sunt munera; quorum alterum est, ut Sacramenta rite conficiat, & administret; alterum, ut populum fidei suæ commissum, iis rebus, & institutis, quæ ad salutem necessaria sunt, erudiat. Malachias enim ita testatur: *LABIA Sacerdotis custodient scientiam, & legem requirent ex ore ejus; quia Angelus Domini exercituum est.* Ut igitur in horum altero, si mediocri cognitione sit ornatus, præstare quod debet, possit; alterum certe non vulgarem, sed exquisitam potius doctrinam desiderat; quamvis æque ab omnibus Sacerdotibus reconditarum rerum scientia non exigatur, sed quæ ad suscepti Officii, & Ministerii functionem unicuique satis esse possit „„. Malach. 2.

De scientia Sacerdotibus necessaria præclare *S. Gregorius*, pastoralis Curæ p. 1. cap. 1. & *S. Isidorus Hispalensis* lib. 3. *Sentent.* cap. 35. „„ Sicut, iniqui, & peccatores (*inquiunt*) Ministerium sacerdotale assequi prohibentur; ita indocti, & imperiti a tali officio retrahuntur. Illi enim exemplis vitam bonorum corrumpunt, isti vero sua ignavia iniquos corrigere nequeunt: Quomodo docere poterunt, quod ipsi non didicerunt? Desinat locum docendi suscipere, qui nescit docere. Ignorantia quippe Præsulum vitæ non congruit subjectorum: *CÆCUS enim si cæco ducatum præbuerit, ambo in foveam cadunt* „„. Matth. 15.

Julianus Pomerius, lib. 1. *de Vita contemplativa* cap. 20. cujus verba sua fecit Conc. Aquisgranense cap. 36. „„ Sacerdos (*inquit*) & sancte debet vivere propter exemplum, & pie docere propter suæ administrationis officium, certus quod ei sua justitia nihil suffragetur, de cujus manu anima pereuntis exigitur. Quando quicunque alius perierit, quem nulla docendi necessitas manet, solus pœnas sui sceleris dabit; ille autem, cui dispensatio verbi commissa est, etiamsi sancte vivat, & tamen perdite viventes arguere, aut erubescat, aut metuat, cum omnibus, qui eo tacente perierint, perit. Et quid ei proderit non puniri suo, qui puniendus est alieno

pec-

peccato? Mentior, nisi hoc Dominus per Ezechielem Prophetam sub cujusdam terroris denuntiatione
Ezec. 3. 17. loquitur ad eum: *Et tu, fili hominis, Speculatorem dedi te domui Israel.* Nec hoc transeunter debemus audire, quod Sacerdotem speculatorem appellet. *Audies*, inquit, *sermonem ex ore meo, & annuntiabis eis ex me.* Si ei peccata sua non annuntiaveris, si eum non argueris, ut ab impietate sua convertatur, & vivat; & te, qui non increpasti, & ipsum, qui te tacente peccavit, flammis perennibus perdam „ „.

Et cap. 36. „ Sacerdotes pro populorum iniqui„ tate damnantur, si eos ignorantes non erudiant, „ aut peccantes non arguant „. Omnis igitur Sacerdos pro sua virili proximorum saluti procurandæ collaborare debet.

Præclare item *S. Bernardus*, Declaratione in hæc verba: *Ecce nos reliquimus omnia*, ait: „ „ Quomodo excusare ignorantia possit hominem, qui se Magistrum infantium, Doctorem insipientium profitetur? Ignorans utique ignorabitur; imo & multos ignorare faciet, & ignorari. Quid enim periculi sit, ubi non invenit Pastor pascua, ignorat Dux itineris viam, Vicarius nescit Domini voluntatem, Ecclesia quotidie multipliciter, & miserabiliter experitur. Itaque hac dote (*scientiæ nempe*) carens, frustra sibi tanquam per Christum introierit, blandiatur; si quidem dicitur ignoranti: *Si Cæcus cæco ducatum præstet, ambo in foveam cadunt* „ „.

Ordinandorum scientia.

Nec est, quod aliquis scientiæ dotem in eo non ita severe dicat exigendam, qui Presbyteratum hoc tantum fine petat, ut cantui, lectioni, vel orationi vacet; cui nec populi docendi, nec regendi voluntas sit. Primo enim quis spondere audeat eum, qui ante Ordinationem talia promiserit, postea non omnem moturum lapidem, ut Sacramentorum administrandorum potestas sibi detur, aut animarum Cura demandetur? Quo argumento conjiciet, ipsum non temere de Mysteriis divinis verba facturum? indocta responsa, noxia consilia, dogmata, errores non propa-

palaturum, quæ in totius Ordinis dedecus vergant, & perniciem populi? Secundo, quis ferat Presbyterum ordinari, ut ſibi tantum vacet non aliis? Quod enim Chriſtiani ſumus, propter nos eſt; quod Presbyteri, propter alios. Hoc ſacerdotalis Ordinis ratio, hoc poteſtatis pro populo inſtituta dignitas; hoc vetus Eccleſiæ diſciplina, quæ inutiles, otioſos, nullam populi chriſtiani curam habentes Presbyteros vix patiebatur; hoc inſtitutio Chriſti, & Apoſtolorum traditio, quibus conſtat, Presbyteros ad populi utilitatem, & Sacramentorum adminiſtrationem primum inſtitutos, tanquam indecorum, & inordinatum rejiciunt. Quamobrem ex Conc. Mediol. 5. præſcripto, ab iis, qui ad Presbyteratum promovendi ſunt, quærendum eſt primo: Quid ſit Miſſæ Sacrificium; quis illius ſacrificii effectus; quæ ejuſdem partes; quæ myſteria in eo ſint; quæ ſacrarum veſtium ſignificationes; quæ in eo Sacrificio offerendo requirantur: ubi, & quando illud fieri non liceat; quæ dubia aliquando incidere poſſint; quæ explicatione opus habeant, ut illud recte fiat? Tum explorandum eſt, an ſacræ Confeſſionis aliquam peritiam habeant; an ad alia item Sacramenta recte, riteque miniſtranda idonei ſint; an eorum cognitionem explicatiorem habeant; an doctrinam teneant, qua verbum Dei recte tractare, concionemve habere poſſint; atque de re ſacra, de chriſtianarum virtutum officiis, atque de omni re ad ſalutem neceſſaria, ante populum inſtruere, aut docere poſſint.

IX. Aliquam tamen habendam eſſe rationem virorum Religioſorum, qui perpetuo deliteſcere amant in ſuis monaſteriis, & ad nullas animarum Curas, ad nullas functiones hierarchicas evocari, quales ſunt Carthuſiani, Camaldulenſes, Grandimontenſes, Ciſtercienſes, &c. ſtatuit Synod. Colon. an. 1549. ut ſcilicet benignius cum iis agatur, nec eadem, quæ in aliis, ſcientia requiratur. Quam exceptionem confirmat *S. Thomas*, in 4. *Sentent.* diſt.

24. q. 1. art. 3. qu. 2. ad primum. „ „ Sacerdos (*inquit*) habet duos actus ; unum principalem ſupra Corpus Chriſti verum , & alterum ſecundarium ſupra Corpus Chriſti myſticum. Secundus autem actus dependet a primo , ſed non convertitur , & ideo aliqui ad Sacerdotium promoventur , quibus committitur primus actus tantum , ſicut Religioſi , quibus Cura animarum non committitur ; & a talium ore non requiritur Lex , ſed ſolum , quod Sacramenta conficiant ; & ideo talibus ſufficit ſi tantum de ſcientia habeant , quod ea , quæ ad Sacramentum perficiendum ſpectant , recte ſervare poſſint. Alii autem promoventur ad alium actum , qui eſt ſupra Corpus Chriſti myſticum ; & a talium ore populus legem requirit ; unde ſcientia legis in eis eſſe debet ; non quidem , ut ſciant omnes difficiles quæſtiones legis (quia in his debet ad Superiores haberi recurſus) ſed ſciant , quæ populus debet credere , & obſervare de lege. Sed ad ſuperiores Sacerdotes (ſcilicet Epiſcopos) pertinet , ut etiam ea , quæ difficultatem in lege facere poſſunt , ſciant ; & tanto magis , quanto in majori gradu collocantur „ „.

REGULA XXIII.

De ſtudio mentalis Orationis examinandi ſunt Ordinandi ?

Studium Orationis mentalis.

Cum enim certum ſit ex *S. Cypriano* , Ep. 66. „ Singulos divino Sacerdotio honoratos , & in „ clericali miniſterio conſtitutos , nonniſi Altari , & „ Sacrificiis deſervire , & precibus , atque orationibus „ vacare debere „ ; probari conveniens eſt Ordinandos circa ſtudium Orationis , & explorari , an ſint in mentalis Orationis ſtudio , uſuque verſati ; quibus meditationibus inſtructi Deum taciti orent ; quis Orationis modus , qui illius fructus , quæve utilitates ; quot , quibuſque partibus illa conſtet ; quæ regulæ præparationis ad orationem , &c. Ita ſanxit Conc. Mediolanenſe 5.

RE-

REGULA XXIV.

Nemo ad ſacros Ordines promovendus eſt, niſi probatæ caſtitatis, & qui ſperet Deo auctore ſe continere poſſe.

Ordinandorum caſtitas.

Ita ſtatuit Conc. Trid., ſeſſ. 23. cap. 13. *De Reformatione*. Cælibatus enim eccleſiaſtica lege Subdiaconatui, ac ſuperioribus Ordinibus annexus eſt. Unde idem Concilium ſeſſ. 24. can. 9. „ „ Si quis dixerit, Clericos in ſacris Ordinibus conſtitutos, vel Regulares caſtitatem ſolemniter profeſſos, poſſe matrimonium contrahere, contractumque validum eſſe, non obſtante lege eccleſiaſtica, vel voto; & oppoſitum nihil aliud eſſe quam damnare matrimonium; poſſeque omnes contrahere matrimonium, qui non ſentiunt ſe caſtitatis, etiamſi eam voverint, habere donum; anathema ſit; cum Deus id recte petentibus non deneget, nec patiatur nos ſupra id, quod poſſumus, tentari „ „.

Ita *S. Leo*, Epiſt. 12. alias 89. ad *Anaſtaſium* Theſſalonicenſem Epiſcopum, cap. 4. „ „ Cum (*inquit*) extra Clericorum Ordinem conſtitutis, nuptiarum ſocietati, & procreationi filiorum ſtudere ſit liberum arbitrium; ad exhibendam tamen perfectæ continentiæ puritatem, nec Subdiaconis quidem connubium carnale conceditur; ut & qui habent, ſint tanquam non habentes, & qui non habent, permaneant ſingulares. Quod ſi in hoc Ordine, qui quartus a capite eſt, dignum eſt cuſtodiri; quanto magis in primo, aut ſecundo, vel tertio ſervandum eſt, ne aut Levitico, aut Presbyterali honore, aut Epiſcopali excellentia quiſquam idoneus æſtimetur, qui ſe a voluptate uxoria necdum frænaſſe cognoſcitur „ „? 1. Cor. 7.

Innoc. III. cap. *A multis*, Extra, *de Ætate, & Qualitatibus Ordinandorum* idem confirmat ex *Urbani II.* Decreto, cujus hæc ſunt verba: „ „ Erubeſcant impii, & intelligant judicio Spiritus ſancti, eos, qui in ſacris Ordinibus, Presbyteratu, Diaconatu, Subdiaconatu ſunt poſiti, ſi caſte non vixerint, exclu-

dendos ab omni eorumdem graduum dignitate. *Et iterum;* nemo ad sacrum Ordinem permittatur accedere, nisi aut virgo aut probatæ castitatis existat; & qui usque ad Subdiaconatum unicam, & virginem habuerit uxorem. Et ad similitudinem Diaconi, & Presbyteri, Subdiaconus debet continentiam ob-
Lib. 1. Ep. 4. servare, sicut est in sexta Synodo constitutum; ut si quis eorum, qui ad Clerum accedunt, nuptiali jure mulieri voluerit copulari, hoc ante Subdiaconatus Ordinem faciat. Et B. Gregorius statuisse legitur, ut nullum facere Subdiaconum præsumant Episcopi, nisi qui se caste victurum promiserit „„.

REGULA XXV.

Lethaliter peccant, qui vel alieno nomine interrogari se patiuntur, vel aliam personam examini supponunt.

De Clericis furtive ordinatis.

Qui enim sine examine ad Ordines promoventur, Ordinationem furtive surripiunt; qui vero alienas personas mentiuntur, sacrilego huic furto cooperantur, utrique Ecclesiam ludificantur, & impie subsannant. Hos autem, qui ea ratione fuerint ordinati, ad superiorem Ordinem ascendere, nisi ex dispensatione, sacra Decreta non permittunt. Nam *Alexander III.* cap. *Veniens*; Extra, *De eo, qui furtive Ordinem suscepit*, cum eo, qui furtive Diaconatus Ordinationem consecutus est, dummodo ab Episcopo, vel Archidiacono, aliove Prælato sub anathematis interminatione prohibitus non fuerit, ab Episcopo dispensari permittit, imposita pœnitentia, ut ad Sacerdotium promoveatur; si vero interminatio anathematis facta fuerit; eidem, nisi post vitæ religiosæ Professionem indulgendum negat, ut ad sacerdotalem Ordinem ascendat. Hanc porro seu comminationem, seu sententiam Anathematis contra eos ferri, qui furtive Ordines suscipiunt, mos est usitatus, ac legitimus Pontificale scilicet romanum hunc Ritum in ordinatione præscribit, ut antequam

tequam Ordinationes celebrentur, aliquis nomine Episcopi ordinaturi sub pœna excommunicationis præcipiat: „ Ne quis non descriptus, examinatus, „ approbatus, & nominatus, ullo pacto audeat ad „ suscipiendos Ordines accedere „. Quæ si excommunicationis lata sententia est, nec solum commina-tio (quod ex intentione Episcopi præsertim dijudicandum erit) is, qui ejusmodi prohibitione insuper habita Ordinem surripuerit, in susceptis Ordinibus ministrare non poterit, donec ab ea excommunicatione fuerit absolutus. Addiderim Canones, qui sine examine ordinatos, e Clero dejici præcipiunt, scilicet Can. *Si quis*, dist 81. & Can. *Quisquis*, dist. 34. in eos etiam militare, qui alia persona examini supposita Ordinationem surripuerint Hos enim sine examine promotos nemini dubium est, & eo magis plectendos, quod fraude sacrilega indebitam Ordinationem obtineant, & alium in partem criminis subornent.

REGULA XXVI.

Nullus ad Subdiaconatum promoveri debet sine legitimo Titulo sive beneficii, sive patrimonii; ita tamen, ut quoscunque beneficium ecclesiasticum obtinentes ordinare possit Episcopus, si nullum aliunde canonicum impedimentum habeant, & idonei judicentur; ad Titulum vero patrimonii, vel pensionis eos tantum ordinare possit, quos Ecclesiis suis necessarios, vel utiles judicaverit.

De Ordinandorum titulo.

Antiqua Ecclesiæ lex est: *Ut nemo absolute ordinetur*, id est, nisi certæ Ecclesiæ adscribatur, in qua sacra ministeria obeat, & ex cujus redditibus, vel obventionibus alatur. Hic beneficii Titulus est, præter quem nullum alium agnovit Antiquitas ante Conc. Lateranense 3. sub *Alexandro III.* cujus can. 5. titulus Patrimonii cœpit ex dispensatione quadam approbari. „ „ Episcopus (*inquit*) si aliquem sine certo titulo, de quo necessaria vitæ percipiat, in

Tituli patrimonialis origo.

Diaconum, vel Presbyterum ordinaver, tamdiu necessaria ei subministret, donec in aliqua Ecclesia convenientia ei stipendia militiæ clericalis assignet; nisi forte talis, qui ordinatur, extiterit, qui de sua, vel paterna hæreditate subsidium vitæ possit habere „ „. Id confirmat cap. *Non liceat*, Ext. *de Præbendis*, & cap. *Accepimus*, quod est *Innocentii III.* Extr. *de Ætate, & qualitatibus Ordinandorum.*

Eamdem Regulam confirmat, explicatiusque tradit Conc. Trid. sess. 21. c. 11. De Reformatione: „ „ Cum non deceat, eos, qui divino Ministerio adscripti sunt, cum Ordinis dedecore mendicare, aut sordidum aliquem quæstum exercere (sordidus quæstus non in profanis solum, sed in sacris exercetur, de Missarum celebratione faciendo artem de pane lucrando) compertumque sit, complures plerisque in locis, ad sacros Ordines nullo fere delectu admitti; qui variis artibus, ac fallaciis confingunt se beneficium ecclesiasticum, aut etiam idoneas facultates obtinere; statuit sancta Synodus, ne quis deinceps Clericus sæcularis, quamvis alias sit idoneus moribus, scientia, & ætate, ad sacros Ordines promoveatur; nisi prius legitime constet, eum beneficium ecclesiasticum, quod sibi ad victum honeste sufficiat, pacifice possidere. Id vero beneficium resignare non possit, nisi facta mentione, quod ad illius beneficii titulum sit promotus; neque ea resignatio admittatur, nisi constito, quod aliunde vivere commode possit; & aliter facta resignatio nulla sit. PATRIMONIUM vero, vel pensionem obtinentes ordinari posthac non possint nisi illi, quos Episcopus judicaverit assumendos pro necessitate, vel commoditate Ecclesiarum suarum; eo quoque prius perspecto, Patrimonium illud, vel pensionem vere ab eis obtineri, taliaque esse, quæ eis ad vitam sustentandam satis sint; atque illa deinceps sine licentia Episcopi alienari, aut extingui, vel remitti nullatenus possint, donec beneficium ecclesiasticum sufficiens sint adepti, vel aliunde habeant, unde vivere pos-

possint; antiquorum Canonum pœnas super his innovando „ „.

Solum beneficium est Titulus legitimus; Patrjmonium non nisi dispensative.

Prosper Fagnanus vir juris Canonici consultissimus in 1. p. libri 3. Decretalium ad cap. *Episcopus*, tit. *de Præbendis, & dignitatibus*, censet „ „ Hodie solum beneficium esse titulum legitimum ad sacros Ordines; Patrimonium vero nonnisi dispensative, quemadmodum etiam alias declaravit sacra Congregatio ejusdem Conc. Interpres. Et propterea Concilium utitur illis verbis; *Statuit, nec deinceps*, quæ ostendunt hanc Provisionem esse jus novum.

Pœnæ Canonicæ adversus ordinatos, & ordinantes sine titulo.

Pœnas antiquis Canonibus latas adversus Ordinationes absque titulo Conc. Trid. renovavit; quo nomine non solum intelliguntur canon *Neminem*, & canon *Sanctorum*, dist. 70. quibus absque titulo Ordinati a sacris Ordinibus ita susceptis ipso jure suspenduntur; sed etiam Gregorianæ decretales, cap. *Cum jam dudum*, cap. *Non liceat*, & cap. *Episcopus*, tit. *De Præbendis*; quibus Episcopi, qui Clericum aliquem absque titulo ad sacros Ordines promoverint, ad alimenta eidem præstanda obligantur. Ita declaravit sacra Congregatio Concilii Interpres, teste *Fagnano*. Tenetur autem Episcopus Clerico sic ordinato de bonis suis vitæ necessaria congrue subministrare, donec beneficium ecclesiasticum competens vel ab ipso Ordinatore, vel ab alio fuerit assecutus. 2. Eadem pœna tenetur Episcopus, qui Clericum sine titulo jam constitutum in sacro Ordine promovit sine novo titulo ad superiores Ordines. 3. Si plures Episcopi Clericum illis subditum ratione originis, domicilii, vel beneficii sine titulo ordinaverint, quilibet tenetur in solidum præstare alimenta sic Ordinato. 4. Non solum Ordinator ad id tenetur, sed hoc onus transit ad illius successorem, & ad hæredes.

REGULA XXVII.

Qui cum ficto Titulo decepit Ordinantem, ipso jure ab Ordinum executione suspensus est.

Concilium enim Trid. innovavit pœnam Suspensionis statutam can. *Neminem*, & can. *Sanctorum*, adversus eos, qui sine Titulo beneficii, vel patrimonii legitimo fuerint per fraudem ordinati; eam certe non sustulit, ut declaravit sacra Congregatio Concilii Trid. Interpres, die 17. Novembris anno millesimo sexcentesimo decimo. Ita refert *Fagnanus* loco supra laudato. Hanc Regulam confirmat *Urbani VIII.* Constitutio, quæ incipit: *Secretis æternæ providentiæ*, edita die 11. Decembris anno 1624. Suspensionem perpetuam decernens contra promotum ficto falso, seu fiduciario patrimonio, his verbis: „„ Promoti vero perpetuæ Suspensionis pœnam absque spe dispensationis a sede Apostolica obtinendæ incurrant; eo ipso insuper promotos hujusmodi, ac etiam eos, qui cum falsis, aut fiduciariis patrimonii Titulis scienter se ad Ordines hujusmodi promoveri fecerint, non solum prædictis, verum etiam majoribus, arbitrio nostro, & pro tempore existentis romani Pontificis infligendis pœnis, &c „„ Refert *Barbosa* p. 2. *De officio, & potestate Episcopi*, Alleg. 20. §. 33.

REGULA XXVIII.

Religiosi, seu Canonici, vel Clerici regulares, sive intra claustra monasteriorum, aut domorum more Regularium viventes in communi, qui nunquam, seu nonnisi ad certum tempus professionem emittunt, & ex claustro exire, vel dimitti, & ad sæculum redire libere, & licite possunt, si prætextu Religionis ante Professionem expressam sacros Ordines susceperint, absque titulo sufficientis beneficii, vel Patrimonii ipso jure ab executione Ordinum sunt suspensi; & si Ministeria sacra obierint, eo ipso in irregularitatem incurrunt. Ordinantes

nantes vero per annum a collatione talium Ordinum ipso pariter jure sunt suspensi.

Ita statuit, ac declaravit *Pius V.* Constitutione, quæ incipit, *Romanus Pontifex*, edita pridie Idus octobris 1568. incommodum avertere volens, quo „„ sic promoti, & e claustro exeuntes, & per sæculum vagantes, vel mendicare, vel sordidum quæstum exercere, non sine ipsorum dedecore, vel Ordinis vilipendio, & quam plurimorum Christi fidelium scandalo cogebantur „„. Patres Societatis Jesu ab hac lege singulari Privilegio excepit *Greg. XII.* Votaque simplicia post biennium Novitiatus emissa ipsis sufficere declaravit, ut sub titulo religiosæ paupertatis ad sacros Ordines promoveri possint, Constitutione, quæ incipit, *Ascendente*, edita anno 1584. & *Greg. XIV.* id confirmavit Constitutione, quæ incipit *Ecclesiæ catholicæ*, edita anno 1591.

REGULA XXIX.

Regulares religiosæ Professionis testificationem loco tituli exhibere tenentur, cujus ratihabitionem in scriptis, ac juramento firmatam Episcopus ab ipsis exigere potest.

Hanc Regulam firmat laudata *S. Pii V.* Constitutio; & Conc Mediolanensis 2. Decretum 23. his conceptum verbis: „„ Ut quod summus Pontifex Pius V. in explicatione decreti Tridentini, quod est Sess. 22. cap. 2. constituit, executionem habeat, Episcopus ne Clericum ullum regularem, neque sæcularem, qui Regularium more in communi vitæ disciplina sit, beneficiumque ecclesiasticum non habeat, Ordinibus sacris adscribat, nisi a Superiore fidem ille attulerit, se Religionis, cui adscriptus est, professionem confeciſſe; juratusque affirmet, scripto manu sua subsignato, coram Episcopo, se id sponte feciſſe, aut ratum habuiſſe. Illud autem scriptum in Archivio asservandum Episcopus curet „„. Eadem

fere habet Conc. Aquenſe. Decretique illius æquitas inde patet, quod cum loco tituli eccleſiaſtici, vel patrimonii ſit regularis Profeſſio Religioſis viris; ſicut eccleſiaſtici beneficii titulum, & pacificam poſſeſſionem, vel patrimonium, ſeu annuum cenſum Ordinatori ſuo comprobare debent ſæculares Clerici, ut ad ſacros Ordines promoveantur; quia ipſius eſt cavere, ne ſine hujuſmodi titulo facta Ordinatio vitioſa ſit; ita apud eundem de religioſa Profeſſione emiſſa Regulares fidem facere oporteat, ne ad titulum monaſterii falſo aliqui ordinentur, & religioſam Profeſſionem ideo mentiantur. Quia vero vel extorta, vel ante ætatem facta, vel ante Probationem annuam, vel aliis ejuſmodi conditionibus deſtituta, ſine quibus ipſam irritam eſſe ſummi Pontifices declararunt, nulla eſt, & irrita, conſulto additur illa religioſæ Profeſſionis coram Epiſcopo ratihabitio, ne abolita poſtea profeſſione, abſque ullo titulo quis ordinatus remaneat; & ita cum Ordinis clericalis dedecore mendicare, aut ſordidum quæſtum facere cogatur. Quam infamiam ut averteret Burdigalenſis Synodus ſub Cardinale *De Sourdis*, cap. 6. n. 4. *De Subdiacono*, hoc Decretum edidit; „ „ Regulares autem quicunque ſine literis Superiorum ſuorum, quibus conſtet eos vota Religionis emiſiſſe, non ordinentur; promoti vero, ſi quando ab hujuſmodi Superioribus pro criminis exigentia puniri conveniat, & urgeat neceſſitas, ne poſſint tamen habitu Religionis privari, ita ut extra monaſteria in contemptum Eccleſiæ ejiciantur mendicaturi; ſed intra eorumdem monaſteriorum ſepta detineri, puniri, & ſuſtentari; & ad id prædicti Superiores per Ordinarios compellantur „ „.

Clerus denique Gallicanus in comitiis generalibus anno milleſimo ſexcenteſimo vigeſimo quinto congregatus, Regularium neminem ad ſacros Ordines promovendum eſſe decrevit, niſi monaſterium, in quo Profeſſionem emiſerit, ſe adſtringat ad præbendum ipſi alimenta, ſi quocunque prætextu, ſpecie,

cie, vel occasione ejectus, aut dimissus fuerit, quæ vero nullos redditus habent, spondeant se nunquam illos, qui ad sacros Ordines promovendi sunt, ejecturos, Episcopo, aut ejus Vicario generali inconsultis.

REGULA XXX.

Nullus ordinandus est, nisi certæ adscribatur Ecclesiæ, quam si deserat inconsulto Episcopo, a sacris ministeriis suspendi debet.

Hanc Regulam, antiquis Conciliis statutam, confirmat Tridentina Synodus sess. 23. cap. 16. De Reformatione: „„ Cum nullus (*inquit*) debeat ordinari qui judicio sui Episcopi non sit utilis, aut necessarius suis Ecclesiis, sancta Synodus vestigiis sexti Canonis Concilii Chalcedonensis inhærendo, statuit, ut nullus imposterum ordinetur, qui illi Ecclesiæ, aut pio loco, pro cujus necessitate, aut utilitate assumitur, non adscribatur, ubi suis fungatur muneribus, nec incertis vagetur sedibus. Quod si locum inconsulto Episcopo deseruerit, ei Sacrorum exercitium interdicatur „„.

REGULA XXXI.

Ordinandorum consensus necessarius est, adeo ut irrita esset Ordinatio, quæ prorsus renitenti, & reluctanti, & qui nulla ratione ad consentiendum adduci posset, conferretur.

Ordinandorum consensus.

Quod enim declaravit *Innocent. III.* cap. *Majores*, Extra, *De Baptismo, & ejus effectu*, quod *Ille, qui nunquam consentit, sed penitus contradicit, nec rem, nec Characterem suscipit Sacramenti*; non minus de Ordinatione, quam de Baptismo verum est.

Qui tamen conditionali coactione (ut loquuntur Canonici juris Interpretes) ordinati sunt, id est, conditionaliter voluerunt, quod alias absolute noluissent, eorum Ordinatio valida est, ut docent *S. Raymundus* 3. p. Summæ, tit. *De Ætate Ordinandorum*,

§. 16. aliique juris Canonici Commentatores. Sic *Pauliniano* S. Hieronymi fratri vis aliqua facta est a *S. Epiphanio*, ut Diaconatus, & Presbyteratus Ordinationem susciperet, ut ipsemet *S. Epiphanius* testatur in Epistola ad Joannem Hierosolymitanum: „„ Cum igitur (*inquit*) celebraretur Collecta in Ecclesia villæ, quæ est juxta Monasterium nostrum, ignorantem eum, & nullam pœnitus habentem suspicionem, per multos Diaconos apprehendi jussimus, & teneri os ejus, ne forte liberari se cupiens, adjuraret nos per nomen Christi; & primum Diaconum ordinavimus, proponentes ei timorem Dei, & compellentes, ut ministraret, valde quippe obtinebatur, indignum se esse contestans; vix ergo compulimus eum, & persuadere potuimus testimoniis Scripturarum, & propositione mandatorum Dei; & cum ministraret in sanctis Sacrificiis, rursus cum ingenti difficultate, tento ore ejus, ordinavimus Presbyterum, & iisdem verbis, quibus ante suaseramus, impulimus, ut sederet in Ordine Presbyterii „„. Sic *S. Paulinus*, cum Barcinone versaretur, *Repentina vi multitudinis correptus, & Presbyteratu initiatus est invitus*, ea tamen conditione tandem consensit, ut Barcinonensi Ecclesiæ non alligaretur; ut ipse testis est in *Epistola ad Severum*. Sic *Pinianus* violenta plebis impressione ad Sacerdotium postulatus est, acceptumque Juramentum præsente S. Augustino: „ Ut si quando illi ad suscipiendum Clericatum consentire placuisset, nonnisi in ipsa Hipponensi Ecclesia consentiret „. Ipsum autem ad Juramentum hujusmodi, & ad mansionem apud se promittendam Hipponenses compulerunt, „ Quia per illam præsentiam creditum est, eum etiam ad Clericatum suscipiendum posse desiderantibus consentire; ut refert *S. August.* Ep. 126. alias 225. ad *Albinam* „. Sic *Germano* Antisiodorensi postmodum Episcopo, cum esset Provinciæ Præfectus, vis quodammodo illata est a *S. Amatore* Episcopo, qui glomerata „„ secum turba Clericorum, atque Nobilium, *vallatis Ecclesiæ*

cleſiæ foribus, injiciens manus, *ipſum apprehendit*, & invocato nomine Domini, cæſariem ejus capiti detrahens, habitu Religionis, rejectis ſæcularibus ornamentis, cum promotionis honore induit... Germanum Epiſcopum una omnium vox poſtulat; bellum civile indicitur poteſtati, cujus ſubjectio facilis fuit, cum etiam ab his, quos pro ſe paraverat, vinceretur. Suſcepit Sacerdotium invitus, coactus, addictus; ſed repente mutatus ex omnibus; deſeritur mundi militia, cœleſtis aſſumitur, ſæculi pompa calcatur, uxor in ſororem ex conjuge mutatur, &c „„. Ita refert *Conſtantinus* Presbyter in ejus vita. Sic *Macedonius* Monachus ſanctiſſimus, & admirandæ ſimplicitatis, quodammodo invitus a *Flaviano* Antiocheno Epiſcopo Presbyter ordinatus eſt, ut refert *Theodoretus*, Hiſtoriæ Religioſæ cap. 13. „„ Flavianus (*inquit*) de montis illum vertice per ſpeciem objectæ accuſationis abduxit, & ſub myſticum Sacrificium Altari admovit, cooptavitque in numerum Sacerdotum. Cumque peracta liturgia hoc illi quidam indicaſſet (ignorabat enim prorſus quid egiſſet) primum quidem conviciis, verbiſque aſperis proſcidit univerſos, deinde accepto baculo, quo innixus propter ſenium incedebat, Pontificem ipſum, & alios, qui aderant, inſecutus eſt. Ordinationem hanc ratus montis verticem ſibi, optatamque habitationem erepturam; ſed tum quidem ſic indignantem ægre tandem amici quidam ſedaverunt. Expleto autem hebdomadæ circulo cum rediiſſet dies Dominicus, iterum evocat illum magnus Flavianus, rogatque, ut celebritati cum ipſis interſit. Tum ille ad eos, qui venerant, An vobis, ait, non ſufficiunt, quæ jam acta ſunt, ſed iterum me Presbyterum creare vultis? Et reſpondentibus illis, fieri non poſſe, ut bis eadem fiat manuum impoſitio, non acquievit, nec profectus eſt, donec illum tempus, & familiares hoc ſæpius docuerunt „„. Plurima ſunt alia, & quidem illuſtria ſanctorum Virorum exempla, qui ſuæ tenuitatis, ut ſibi ipſis videbantur, conſcii, & Sacerdotii pondus,

ac majestatem reveriti, aliquamdiu Ordinationi restiterunt, sed tandem cesserunt postulantis plebis importunitati, aut violentiæ, vel Episcoporum imperio, in se, ac de se fieri consentientes quidquid Ecclesia, Præsulesque vellent. Hoc sensu *S. Augustin.* Epist. 173. alias 204. ad *Donatum*, cap. 3. scribit: „„ Neminem existimas cogendum esse ad bonum; attende, quid Apostolus dixerit: *Qui Episcopatum desiderat, bonum opus concupiscit*; & tamen tam multi, ut Episcopatum suscipiant, tenentur inviti, perducuntur, includuntur, custodiuntur, patiuntur tanta, quæ nolunt, donec eis adsit voluntas suscipiendi operis boni; quanto magis vos ab errore pernicioso, in quo vobis inimici estis, trahendi estis, & deducendi ad veritatem, vel cognoscendam, vel eligendam, non solum, ut honorem salubriter habeatis, sed etiam ne pessime pereatis „„?

CAPUT IV.

De impedimentis Ordinationum, & irregularitatibus.

Quid sit irregularitas.

Irregularitas est nota, seu canonicum impedimentum, ex facto, seu defectu proveniens, quo quis tam ad ecclesiasticos Ordines promoveri, quam promotus in iisdem ministrare prohibetur, etiam post pœnitentiam.

Irregularis dicitur, quasi alienus a regula, sive Canone, ut colligitur ex Conc. Nicæno can. 17. ubi decernitur, ut si quis Clericus inventus fuerit usuras ex mutuo sumere, vel turpe lucrum sectari: *Dejiciatur a Clero, & alienus existat a Regula.* Et can. 9. loquens de quibusdam Presbyteris sine examine ordinatis, & peccata ante Ordinationem commissa confitentibus, ait: *Tales Regula non admittit, quia quod irreprehensibile est, catholica defendit Ecclesia.*

Dicitur *Impedimentum canonicum*, id est, jure Canonico, seu Ecclesiastico inductum. Unde contrahi non

non censetur irregularitas, nisi in casibus a jure expressis. Unde can. 18. *de Sententia Excommunicationis*, in sexto, respondet Pontifex, quod is, qui in Ecclesia sanguinis, aut seminis effusione polluta, vel qui præsentibus majori excommunicatione nodatis scienter celebrare præsumpsit, licet in hoc temerarie agat, irregularitatis tamen laqueum non incurrit: *Cum id non sit expressum in jure.*

Dicitur: *Quo quis ad ecclesiasticos Ordines promoveri, & in iisdem ministrare prohibetur*; quia irregularitas primario, ac directe tendit ad impediendam susceptionem Ordinum, vel eorum usum. Nulla fit mentio beneficiorum, quia non est consequens, ut qui Ordinum usu, & exercitio privatus est, beneficiis etiam privetur, nisi id in jure fuerit expressum, quemadmodum de homicidio per assassinos perpetrato decernitur, cap. 1. *de homicidio*, in sexto. Jure quidem antiquo, cum Ordines, & beneficia simul conferuntur, eadem irregularitas ad utrumque simul aditum præcludebat; postquam vero beneficia ab ipsis Ordinibus separari cœperunt, eorumque collatio ab Ordinatione sejungi, cœpit irregularitas ad solos Ordines restringi, de quibus solis Canones loquebantur, atque ita receptum est contra priscam disciplinam, ut irregulares suis beneficiis privari non censeantur.

Hinc sequitur, irregularitatem Censuram ecclesiasticam non esse, quia tendit primario ad impediendam Ordinum susceptionem, aut eorum usum. Is autem non est primarius Censurarum effectus, sed consequens duntaxat, & indirectus. Censura, inquam, impedit Ordinum functiones, aut quatenus sunt communicatio quædam fidelium, ut *Excommunicatio*; aut quatenus sunt Officia quædam ecclesiastica, id est, a personis Ecclesiasticis exercenda, ut *Suspensio*; aut quatenus sunt usus Sacramentorum, ut *Interdictum*; sola irregularitas directe eas impedit, quatenus sunt exercitia Ordinum.

Dicitur denique, *Etiam post pœnitentiam*; quia irregu-

regularitati, etiam ex crimine contractæ, proprium est, ut crimine per pœnitentiam remisso, nihilominus maneat.

Et quotuplex.

Duplex est irregularitatis genus. Quædam ex delicto, altera ex defectu. Illa oritur ex defectu, & indecentia, citra culpam hominis in illa incurrentis. Illa proficiscitur ex delicto, quod Ecclesia prohibitione a Clericatu, & sacris Ordinibus, eorumque ministeriis coerceri voluit.

Irregularitas ex defectu septem species complectitur Prima est ex defectu animi, quomodo amentes, energumeni, & illiterati sunt irregulares. Altera ex defectu corporis, quomodo sunt irregulares, qui membro aliquo mutilati sunt, vel insigniter deformes, leprosi, morbo caduco laborantes. Tertia, ex defectu natalium in filiis illegitimis, & spuriis. Quarta, ex defectu libertatis, in servis, & obligatis ad ratiocinia. Quinta, ex defectu ætatis. Sexta, ex defectu Sacramenti, in bigamis. Septima, ex defectu perfectæ lenitatis, id est, ex homicidio licite perpetrato, in judicibus, regiis Cognitoribus, Notariis causarum capitalium, Accusatoribus, testibus.

Irregularitas ex delicto quintuplex est. Prima ex iteratione Baptismi. Altera ex indebita susceptione, vel usu Ordinis. Tertia ex hæresi. Quarta ex homicidio illicite perpetrato. Quinta ex infamia.

Quis de irregularitate dispensare possit.

In irregularitatibus ex delicto occulto provenientibus dispensare potest Episcopus, excepta ea, quæ oritur ex homicidio voluntario, exceptis etiam aliis deductis ad forum contentiosum, ut declarat sacra Synodus Tridentina, sess. 24. cap. 4. *de Reformatione*. In iis vero, quæ ex delicto publico proveniunt, summus Pontifex duntaxat dispensare potest.

Qui Tonsuram clericalem, vel Ordines suscepit, cum esset irregularis, vel functiones Ordinum exercuit, lethale quidem commisit peccatum, sed novam irregularitatem non contraxit. Irregularitas enim non contrahitur, nisi in casibus a jure expressis, ut colligitur a pari ex cap. 18. *de Sententia Excommunicatio-*

cationis, in sexto, & ex Regula juris: *Odia restringi, favores convenit ampliari.*

Conc. Mediolanense, 4. p. 2. tit. *Quæ pertinent ad Sacramentum Ordinis*, paucis explicat; quinam impediantur ab Ordinum susceptione. „ „ Impedimento (*inquit*) irretiti, hi sunt: Minores natu, Sacramento Chrismatis non confirmati, rudes, & ignari, criminosi, solemniter Pœnitentes, Neophyti, ebrietati, aut gulæ dediti, impudici, lapsi post Ordinem susceptum, perjurii, usurarii manifesti, infames, ratiocinii obligati, servi, corpore vitiati, insigniter deformes, illegitime nati, peregrini & ignoti, bigami, irregulares quovis alio modo, suspensi, interdicti, excommunicati, amentes, morbo caduco laborantes, energumeni, non examinati, & probati „ „.

His prænotatis, de præcipuis Ordinationum impedimentis singillatim agendum est.

ARTICULUS PRIMUS.

De Impedimento sexus.

De irregularitatibus.

Muliebris sexus sacræ Ordinationis est incapax, non ecclesiastico tantum jure, sed naturali, & divino. Sexus enim muliebris, sexus subjectionis est; vir caput est mulieris; Sacerdos autem caput populi; mulier ergo Sacerdotii incapax, quam Deus caput esse noluit, cui tantum abest, ut populum subjecerit, cum potius ipsa viro, Deo ita volente, subjecta sit. Deinde nativo quodam pudore mulieres a docendo, aliisque publicis functionibus, quales sunt Sacerdotales, obeundis retardantur; ideo Christus mulieres a Sacerdotio arceri voluit. *Mulieres in Ecclesia taceant* (inquit Apost. 1. ad Corinth. 14.) *Non enim permittitur eis loqui, sed subditas esse, sicut & lex dicit: Si quid autem volunt discere, domi viros suos interrogent. Turpe est enim mulieri loqui in Ecclesia.* Ad Ephesios 5. *Mulieres subditæ sint viris suis, sicut Domino; quoniam vir caput est mulieris, sicut Chri-*

Christus caput est Ecclesiæ. Ipse Salvator corporis ejus. Sed sicut Ecclesia subjecta est Christo, ita & mulieres viris suis in omnibus. Et 1. ad Timoth. 2. *Mulier in silentio discat cum omni subjectione. Docere autem mulieri non permitto, neque dominari in virum, sed esse in silentio: Adam enim primus formatus est, deinde Heva: & Adam non est seductus, mulier autem deducta in prævaricatione fuit.* Quamobrem conveniens non erat, ut ei Deus per Sacerdotium ducatum ad pietatem instillanda concederet, quæ posterior creata, prior in peccatum incidit, virumque suum in peccati foveam præcipitem traxit. Lege *S. Epiphanium*, hæresi 49. ubi Quintillianorum, sive Pepuzianorum, aut Artotyritarum hæresim describit, & impugnat, apud quos mulieres Episcopi erant, & Presbyteri, & ad cæteros gradus allegebantur, nullum ut sexus discrimen servaretur. *Nam in Christo Jesu* (inquiebant) *neque mas est, neque fœmina.* Quibus Apostoli verbis abutebantur, cum nihil aliud significent, nisi nullam esse sexus prærogativam quantum ad fidem, divinæ legis observationem, justificationis gratiam, adoptionem in filios, æternæ felicitatis retributionem; unde subjungit: *Omnes enim filii Dei estis per fidem, quæ est in Christo Jesu;* sed non significant parem esse ad Sacerdotium obtinendum sexus utriusque capacitatem.

ad Gal. 3.

Objiciebant, sororem Moysis, & quatuor Philippi filias Prophetissas fuisse; ac perperam inde colligebant, mulieres Sacerdotio posse initiari. Dispar enim est Sacerdotii, & Prophetiæ ratio. Nam Prophetia ex genere est gratiarum, quæ gratis datæ nuncupantur, quarum in distributione nullus naturæ servatur ordo, quia præter naturam est, quod recipitur. At vero in ecclesiastico regimine instituendo licet supernaturalem Sacerdotibus, ac ministris Christus tradiderit potestatem, ordinem tamen naturalem servari voluit, ut sexus ille a Sacerdotio excluderetur, qui ad subjectionem factus est, non ad imperium destinatus. Id confirmat *S. Thomas*, in 4. *Sentent.* dist.

25.

25. q. 2. qu. 1. ad primum: „„ Prophetia (*inquit*) non est Sacramentum, sed donum Dei. Unde non exigitur ibi significatio, sed solum res; & quia secundum rem in his, quæ sunt animæ, mulier non differt a viro (cum quandoque mulier inveniatur melior quantum ad animam multis viris;) ideo donum Prophetiæ, & alia hujusmodi potest accipere, sed non Ordinis Sacramentum „„. Cum enim Ordo ad impetrandum institutus sit, & aliquam Ordinatorum supra cæteros præeminentiam, & præcellentiam significet, mulieres vero ad subjectionem a Deo factæ sint, ideo Ordinationis incapaces sunt, quæ prærogativam subjectioni isti appositam tribuit, expresseque significat.

Legatur rursus *S. Epiphanius*, hæresi 79. ubi Collyridianos impugnat, apud quos mulieres quædam currum, sive sellam quadratam adornantes, linteo desuper extento, solemni tempore, per aliquot dies panem proponebant, & in Mariæ Virginis nomen offerebant; ostenditque, nunquam ex quo mundus conditus est, Sacerdotio functam esse mulierem, sive tempore legis naturæ, sive legis mosaicæ, sive legis gratiæ. Certe „„ Si Sacerdotium mulieribus mandatum foret, aut canonicum quiddam præstare in Ecclesia liceret, nulli potius, quam Mariæ illud in novo Testamento committi debuit, cui tantus honor est habitus, ut in gremio, sinuque suo Regem omnium, ac cœlestem Deum, Deique Filium excipere. Cujus uterus, velut templum, ac domicilium ad divini Verbi Incarnationem singulari est Dei benignitate magno, ac stupendo Mysterio præparatus. Verum longe Deo aliter est visum; ac ne baptizandi quidem potestas est illi facta; cum alioqui tingi ab illa Christus potius, quam a Joanne potuisset „„.

Nominantur quidem in Canonibus Episcopæ, & Presbyteræ; non tamen ab ullo Ordine, vel ministerio, sed a viris suis, qui ad Episcopatum, vel Presbyteratum promoti fuerant; quibus mulieribus perpetuæ continentiæ lex imponebatur; antequam earum

Conc. Tom. 2. can. 12. & 13. Antiſiod. can. 20. & 21. Conc.

Rom. sub Greg. II. can. 1. alterum sub Zacharia, can. 3. S. Greg. L. 4. Dial. c. 20.

mariti sacris Ordinibus initiarentur, a quibus proinde uxorum loco non amplius habebantur, sed sororum. Frequens etiam est in ecclesiasticis monumentis Diaconissarum mentio, sed nec illæ sacram Ordinationem susceperunt, sed earum institutum est ministerium, ut muliebris sexus honestati in Baptismo consuleretur, ut *S. Epiphanius* docet. Quamvis autem Ordinationis Diaconissarum meminerint *Tertullianus* lib. 1. *Ad uxorem*, c. 7. Conc. Chalcedonense, can. 15. Concil. Trullanum can. 14. Justinianus Imperator passim in Novellis; Ordo romanus, &c. ea tamen Ordinatio, seu manus impositio, sacramentalis non fuit, sed mera cæremonia, quemadmodum Abbatissarum benedictio. Munus illarum præcipuum fuit, ea mulieribus officia præstare, quæ Diaconi viris. Ideo portas custodiebant, per quas illæ ingrediebantur, earumque confessum in Ecclesia ordinabant. Principia Fidei, & ritus Baptismi eis exponebant, ipsisque aderant cum ad immersionem nudabantur. Viduarum quoque, & pauperum, sacrarumque Virginum simul cum Diaconis curam gerebant; sed altaris Sacrificio non ministrabant, non accedebant ad altare, non sacra vasa tractabant, non canebant Evangelium, quamquam Orarium in sua Benedictione acciperent; non denique verbum Dei prædicabant, aut baptizabant, neque sacra hæc Ministeria obeundi tradebatur ipsis potestas, quæ Diaconis confertur.

ARTICULUS II.

De Impedimento pueritiæ, & amentiæ, & vexationis a dæmone.

De Irregularitatibus.

Pueris, vel amentibus, cum usu rationis careant, Sacramentum Ordinis illicite conferretur. Si tamen illis administraretur, Sacramenti caracterem eorum animis imprimeret; unde Ordinationes eorum iterandæ non essent, ubi adulta essent ætate, & singulis Ordinibus Ecclesiæ decretis præscripta, aut sana men-

mente ; ut colligitur ex cap. unico *De Clerico per saltum promoto* ; quod est *Innocent. III.* Necessitate quidem præcepti necessarius est rationis usus, ut quis ad Ordines promoveatur, non tamen necessitate Sacramenti, ut docet *S. Thomas* in 4. *Sentent.*, dist. 25. q. 2. art. 1. qu. 2. Idem docet Conc. Trid. Catechismus. Arreptitii, sive a dæmonibus obsessi, ab Ordinibus pariter arcentur, can. *Maritum*, can. *Communiter*, can. *Clerici*, & can. *Usque*, dist. 33.

ARTICULUS III.

De Impedimento servitutis.

Servi ab Ordinationibus excluduntur, can. *Nullus*, dist. 54. ex *S. Leone* Ep. ad Episcopos Campaniæ, & can. *Nulli*, ex Conc. Triburiensi, aliisque Canonibus, & Ponificum responsis ; lib. 1. Decretalium, tit. 18. *De servis non Ordinandis.* Ab Ordinibus suscipiendis pariter arcentur quicunque ad ratiocinia sunt obligati, vel hujusmodi negotiis temporalibus implicati. Cap. *Magnus*, ex Conc. Carth. 1. Extra. *De obligatis ad ratiocinia non ordinandis.* His non patet aditus ad Clerum : *Nisi post deposita onera, & reddita ratiocinia.* Rationem hujus disciplinæ *S. Thomas* affert in 4. *Sentent.*, dist. 25. q. 2. art. 2. qu. 1. „ „ In susceptione Ordinis mancipatur homo divinis officiis ; & quia nullus potest altari dare, quod suum non est, ideo servus, qui non habet potestatem sui, non potest ad Ordines promoveri ; si tamen promovetur, Ordinem suscipit ; quia libertas non est de necessitate Sacramenti ; licet sit de necessitate præcepti, cum non impediat potestatem, sed actum tantum. Et similis ratio est de omnibus, qui sunt aliis obligati „ „.

ARTICULUS IV.

D Impedimento natalium.

Spurii, & quicunque ex legitimis Nuptiis non sunt procreati, ab Ordinum susceptione arcentur, ut constat ex variis Canonibus dist. 56. relatis ; & ex

Impedimentum istud in filiis Presbyterorum

terorum primum constitutū est, ad incontinentiam Sacerdotum reprimendam undecimo sæculo; postea ad omnes illegitime natos extensum est.

cap. *Per venerabilem*, Extra. *Qui filii sint legitimi.* Rationem affert *S. Thomas*, in 4 *Sentent.*, dist. 25. art. 2. qu. 3. „ „ Ordinati (*inquit*) in quadam dignitate præ aliis constituuntur; ideo ex quadam honestate requiritur in eis claritas quædam, non de necessitate Sacramenti, sed de necessitate Præcepti; ut scilicet sint bonæ famæ, bonis moribus ornati, non publice pœnitentes. Et quia obscuratur hominis claritas ex vitiosa origine, ideo etiam de illegitimo thoro nati a susceptione Ordinum repelluntur, nisi cum eis dispensetur; & tanto est difficilior dispensatio, quanto origo est turpior „ „; puta, si adulterini fuerint, vel ex stupro, incestu, aut sacrilegio nati, quam si ex fornicatione simplici procreati essent.

Triplex est modus hunc defectum removendi, scilicet subsequens parentum matrimonium, de quo in cap. *Tanta*, Extra. *Qui filii sint legitimi*, ubi Exoniensi Episcopo rescribit Alexander III. „ Tanta est vis ma„ trimonii, ut qui antea sunt geniti, post contractum „ matrimonium legitimi habeantur „. 2. Religiosa professio in cœnobiis, aut in Canonica regulari, ut constat ex can. 1. *Presbyterorum*, quod Urbani II. responsum est, dist. 56. & ex cap. *Ut filii*, Ext. *De filiis Presbyterorum*, &c. 3. Modus hunc defectum removendi est dispensatio.

Potest autem Episcopus cum illegitimis ex quocunque etiam damnato coitu dispensare, ut ad minores Ordines, & beneficium simplex promoveantur; non vero, ut ad majores Ordines, aut beneficia curam animarum, dignitatem, Ordinem sacrum annexum habentia, quales sunt Canonicatus cathedralium Ecclesiarum, secundum jus novum Trid. Conc. sess. 24. cap. 12. *De Reformatione.* Ille vero, quocum summus Pontifex dispensat, ut natalium defectu non obstante, valeat ad beneficium curam etiam animarum annexam habens promoveri, non potest prætextu dispensationis hujusmodi, (quam exorbitantem a jure oportet veluti odiosam restringi) nisi unicum beneficium obtinere. Ita constat ex cap

Is,

Is, qui defectum, tit. *De filiis Presbyterorum*, in sexto. Illegitime natos, ad dignitates, personatus, & alia beneficia curam animarum habentia, sine dispensatione Sedis apostolicæ promoveri non posse, declaraverat antea *Greg. IX.* cap. *Nimis*, Extra. *De filiis Presbyterorum.*

An vero dispensare possit Episcopus super eo impedimento, cum occultum est, quæstio est ab Auctoribus ventilata. Probabilius est non posse; quia Concil. Trid. sess. 24. cap. 6. *De Reformatione*, permittit Episcopis, ut dispensent duntaxat super Irregularitatibus *ex delicto occulto*, non autem ex defectu provenientibus.

Cæterum religiosa Professio natalium defectum removet, facitque, ut qui Deo solemnibus votis consecratus est, ad sacros Ordines absque dispensatione promoveri possit, ut constat ex Conc. Nannetensi, quod *Hildeberto* Turonensi Archiepiscopo Præside celebratum est anno 1127. ex Conc. Later. 2. sub *Innocent. II.* can. 21. ex Innocent. III. lib. 4. Ep. 118. Decretum Urbani II. & Can. Concilii Pictavensis citante, & ex communi Ecclesiæ praxi; necessaria tamen ipsis est dispensatio, ut ad Episcopalem dignitatem, & regulares Prælaturas promoveri possint, ut constat ex cap. *Ut filii*, Extra. *De filiis Presbyterorum non ordinandis.* Sanxerat quidem *Sixtus IV.* ne ad religiosam Professionem reciperentur illegitimi, sed ejus Constitutionem rescidit *Greg. XIV.* Constitutione, quæ incipit, *Circumspecta*, & romanæ Pœnitentiariæ potestatem tribuit concedendi dispensationes Regularibus extra legitimum matrimonium natis, ut ad claustrales Præfecturas promoveri possint.

Natalium defectus religiosa Professione tollitur.

Defectus tamen natalium non impedit, quin Monachus instituatur magister Novitiorum, aut Prior claustralis sub Abbate regulari sine dispensatione Pontificia; quia hæc mera sunt Officia claustralia, non Prælaturæ, seu dignitates, quarum duntaxat, non simplicium officiorum gerendorum incapaces sunt

illegitimi, ut constat ex cap. *Ut filii*, supra laudato. Prior namque claustralis curam monasterii, & Monachorum ita gerit sub Abbate, ut ipse Abbati subsit, ab eoque possit ad nutum amoveri; unde non est monasterii Caput, & Prælatus, sed Abbatis regularis, qui monasterio præest, vices gerens, nec aliam auctoritatem habens, quam quæ ipsi ab Abbate demandatur; sicut illi, quos vocamus Superiores in Prioratibus conventualibus, sive cœnobiis, quæ ab Abbate regulari immediate non reguntur. Verum illegitimi non possunt eligi, vel institui Priores conventuales, seu majores, sine dispensatione summi Pontificis. Hi enim Prioratus sunt Prælaturæ, cum Priores conventuales sint Pastores, & capita suorum monasteriorum.

„ „ Filii Clericorum, qui non ex legitimo nati sunt Matrimonio, in Ecclesiis ubi eorum patres beneficium aliquod ecclesiasticum habent, aut habuerunt, quodcunque, etiam dissimile, beneficium obtinere, nec in dictis Ecclesiis quoquo modo ministrare, nec Pensiones super fructibus beneficiorum, quæ parentes eorum obtinent, vel alias obtinuerunt, habere „ „ possunt. Ita statuit Synodus Tridentina sess. 25. cap. 5. *de Reformatione*. Et *Clemens VII.* in Constitutione, quæ incipit, *Ad Canonem conditorem*, statuit, ut deinceps filii Presbyterorum ex fornicatione nati quæcunque beneficia ecclesiastica, cum cura, & sine cura, sæcularia, & quorumvis Ordinis Regularia, quæ illorum patres Presbyteri, & Clerici, vel Religiosi, in titulum, vel commendam, seu administrationem ad tempus vel in perpetuum aliquando obtinuerunt, nullo unquam tempore quoquo modo obtinere possint, non obstante, quod *Alexander III.* decreverit filios Sacerdotum posse succedere in beneficiis parentum, media interveniente persona. (Extra *De filiis Presbyterorum*, cap. 2. 3. 4. 5. 7.) Quamquam nec filius legitimus possit immediate succedere in beneficio patris, nisi cum eo per apostolicam Sedem fuerit dispensatum, ut constat,

ſtat, ex cap. *Conſtitutus*, ex cap. *Ex tua*, & cap. *Ex tranſmiſſa*, Extra, *De filiis Presbyterorum.*

ARTICULUS V.

De impedimento ex vitiis, ſeu defectibus corporis.

Ab Ordinum ſuſceptione, & executione eccleſiaſticis legibus arcentur homines mutilati, eunuchi, inſigniter deformes, ſeu aliquo vitio corporis, aut morbo laborantes, qui horrorem, aut contemptum perſonæ ingeneret, & prohibeat, ne ſacra Miniſteria cum debita dignitate, & reverentia exerceantur. Id conſtat ex can. *Priſcis*, qui eſt *Gelaſii I.* Epiſt. 1. ad Epiſcopos Lucaniæ; can. *Pœnitentes*, qui eſt *Hilarii* Papæ in Conc. romano; can. *Si quis;* ex Canonibus Apoſtolorum 22. & 23. quibus a Clero excluduntur, qui ſe ipſos abſciderunt; quod confirmat can. *Hi, qui*, ex Conc. Arelatenſi 2. can. 2. & can. *Si quis* ex Concilio nicæno. Poſſunt tam n ad Ordines promoveri, qui a medicis, a barbaris, aut quovis modo per hominum inſidias eunuchi facti ſunt, aut tales nati ſunt; ut conſtat ex eodem Canone, & ex can. *Eunuchus.* Item cap. *Ex parte*, 1. & 2. Ext. *De corpore vitiatis ordinandis, vel non.* Ob eamdem rationem arcetur, qui partem digiti ſibi volens abſcidit, non qui caſu, can. *Qui partem*, ex *Innoc. I.* Epiſt. *ad Felicem* Nucerianum Epiſcopum, & can. *Lator.* Illi, *cui oculus erutus eſt, non poſſunt ſecundum Canones Sacerdotii jura concedi*, ex Gelaſio I. can. *Si Evangelica.* Hos Canones legere eſt 1. p. Decretorum, diſt. 55. Presbyter, qui digiti partem amiſit, etiam ſua culpa, & in duello, diſpenſari poteſt ab Epiſcopo ſuo, ut in Ordine ſuo miniſtret, ſi *Non perdiderit tantum de digito, quin ſine ſcandalo poſſit ſolemniter celebrare.* Ita ſanxit *Alexander III.* cap. *de Presbytero*, Extra, *De corpore vitiatis.* Qui factus eſt eunuchus in cunabulis, ad Ordines promoveri poteſt, ut declarat *Clemens III.* cap. *Ex parte*, primo, ibidem. Qui con-

filio medici ad avertendum morbi periculum fectus eſt, Sacerdotale miniſterium, ut prius, poteſt exequi, ut reſpondet *Innoc. III.* cap. *Ex parte*, ſecundo ibidem. Mutilatus manu, ad ſacros Ordines non poteſt promoveri; (cap. *Expoſuiſti* ibidem.) Carens ungula pollicis: *Si ad frangendam Euchariſtiam ſit in pollice ipſo potens*, ad Sacerdotium poteſt promoveri, ut reſpondet *Honorius III.* cap. *Thomas* ibidem. Presbyter, cui medietas palmæ cum duobus digitis eſt abſciſſa, irregularis eſt, quoad Miſſæ celebrationem; „ Quia nec ſecure propter debilitatem, nec ſine „ ſcandalo propter deformitatem membri, hoc fieri „ poteſt „; cæteris autem Officiis ſacerdotalibus fungi minime prohibetur, cap. *Presbyterum*, Ext. *de Clerico ægrotante, vel debilitato.* Quæ Regula ad dijudicandam irregularitatem ex vitio, aut defectu corporis provenientem adhibenda eſt. Hujus autem rei examen, atque judicium pertinet ad Epiſcopos, ut reſpondit *Alexander III.* de eo, qui maculam in oculo habebat, cap. *Cum de tua*, Ext. *de corpore vitiatis.* Leproſi ab Ordinum ſuſceptione, & executione arcentur, cap. *De Rectoribus*, & cap. *Tua nos*, Ext. *De Clerico ægrotante, vel debilitato.*

Non inducitur Irregularitas ex defectu corporis, niſi ratione deformitatis, quæ ſcandalo eſſe poſſit, aut debilitatis, quæ celebrationem impedire poſſe videatur. Judicium de hoc defectu ad Epiſcopum pertinet.

Epileptico, vel caduco morbo laborantes, ſi frequenter in terram elidantur, a ſacris Ordinibus arcendi ſunt; ſi vero hæc infirmitas accidat Sacerdoti, prohibendus eſt a celebratione Miſſæ, nec ſacrum Miniſterium obire permittendus, niſi annus integer ab ultimo epileptici morbi ſymptomate effluxerit; ut habetur can. *Communiter*, diſt. 33. & can. *In tuis*, cauſa 7. qu. 2. ex *Alexandri II.* Reſcripto ad Vivarenſem Epiſcopum. Si autem alicui lis intentata fuerit de epileptico caſu, negetque ſe huic morbo eſſe obnoxium, diligenter inquirendum eſt: „„ Si aliquando vel in domo, vel in proceſſione, vel in aliquo quocunque loco probatur repente collapſus, voceſque dediſſe confuſas, & ſpumas ore jactaſſe „„. Re autem dubia manente, triginta dierum ſpatio explorandus eſt Clericus, qui eo morbo affectus dicebatur;

batur; quo temporis elapso intervallo, permittendæ sunt ipsi Ordinum functiones, ipsaque Missæ celebratio, si eo morbo affectum fuisse minime probetur. Sic respondet *Gelasius* Papa, can. *Nuper*, causa 7. qu. 2.

De his impedimentis respondet *S. Thomas*, in 4. *Sentent.* dist. 25. q. 2. art. 2. q. 3. „„ Aliquis efficitur ineptus ad susceptionem Ordinis, vel propter impedimentum actus, vel propter impedimentum claritatis personæ; & ideo patientes defectum in membris impediuntur a susceptione Ordinis, si sit talis defectus, qui maculam notabilem inferat, per quem obscuretur personæ claritas (ut abscissio nasi) vel periculum in executione facere possit; alias non impediuntur: Hæc autem integritas exigitur de necessitate Præcepti; sed non de necessitate Sacramenti „„.

ARTICULUS VI.

De Impedimento ex defectu Baptismi, Confirmationis, vel inferiorum Ordinum.

I. Impedimentum ex defectu Baptismi, divino jure institutum est; unde si quis non baptizatus ordinetur, ejus Ordinatio irrita est, & baptizari primum, deinde iterum ordinari debet, ut habetur cap. *Si quis*, ex Concil. Compendiensi can. 15. & cap. *Veniens*, quod est *Innocent. III.* Ext. *De Presbytero non baptizato.* Rationem affert *S. Thomas* in 4. *Sentent.*, dist. 24. q. 1. art. 2. qu. 3. „„ Nihil (*inquit*) potest aliquid recipere, cujus receptivam potentiam non habet; per caracterem autem baptismalem efficitur homo receptivus aliorum Sacramentorum; unde qui caracterem baptismalem non habet, nullum alterum Sacramentum suscipere potest; & sic caracter Ordinis baptismalem caracterem præsupponit „„.

II. Impedimentum ex defectu Confirmationis ecclesiastico duntaxat jure institutum est. Statuit enim Trident Conc. sess. 23. cap. 4. *De Reformatione*, ut prima Tonsura nemo initietur, qui Sacramentum

Confirmationis non ſuſceperit. Quæ lex etſi nulla foret, conſuetudo tamen generalis vim legis haberet, quam in iis, quæ gravioris momenti ſunt, & Sacramentorum inſtitutioni conſentanea, violare vix ſine peccato mortali ullus poteſt. Quamobrem lethalis peccati reum exiſtimarem eum, qui vel ex incuria, aut ignorantia culpabili, vel ſciens volens, Sacramento Confirmationis omiſſo, Tonſuram clericalem, aut Ordines ſuſciperet. Unde *Cornelius* ſummus Pontifex in Ep. ad *Fabium* Antiochenum apud *Euſebium* lib. 6. *Hiſtoriæ eccleſiaſticæ*, cap. 43. de Novatiano, qui Presbyter factus eſt, Sacramento Confirmationis non ſuſcepto, ita ſcribit; „„ Sed neque poſtquam liberatus eſt morbo, reliqua percepit, quæ juxta eccleſiaſticam Regulam percipi debent, neque ab Epiſcopo conſignatus eſt. Hoc autem ſignaculo minime percepto, quo tandem modo Spiritum ſanctum potuit accipere „„? Accedit ratio ex ipſo Sacramentorum ordine, & effectis petita. Sacri ſiquidem Ordines, & clericalis ſtatus, perfectos tantum chriſtianos admittunt; nemo vero ſine Sacramento Confirmationis perfectus cenſetur chriſtianus. Unde *S. Ambroſius* lib. 3. *De Sacramentis* cap. 2. docet, *Poſt Fontem ſupereſſe, ut perfectio fiat*; & hanc *Perfectam ætatem ſpiritualis vitæ* vocat *S. Thomas*. Præterea, ita ſe habent tria hæc Sacramenta, Baptiſmus, Confirmatio, & Ordo ad ſpiritualem vitam, quemadmodum ad corporalem nativitas, augmentum, & generatio; nam in vitæ ſpiritualis lucem Baptiſmus nos emittit; Confirmatio ſpirituale robur, gratiæ augmentum præſtat, viroſque perfectos facit; Ordo ſpirituales nos Patres efficit; quemadmodum ergo convenienter naturali rerum ordini prius oportet unumquemque naſci, deinde augeri, & roborari, antequam ſpeciei propagandæ per generationem det operam; ita neceſſarium eſt, ut prius Baptiſmo renaſcamur; convenientiſſimum vero, ut per Confirmationem roboremur, priuſquam per Ordinationem ſpirituales Patres efficiamur. Valida tamen,

3. p quæſt. 72. art. 1. ad 3.

&

& rata esset Ordinatio hominis non Confirmati, ut docet *S. Thomas*, in 4. *Sentent.* dist. 24. q. 1. art. 2. qu. 4. „„ Caracter Baptismalis (*inquit*) præsupponitur de necessitate Sacramenti, ita quod sine eo Sacramentum Ordinis conferri non potest; sed de congruitate requiritur omnis perfectio, per quam aliquis reddatur idoneus ad executionem Ordinis; & unum de illis est, ut sit Confirmatus; & ideo de congruitate caracter Ordinis caracterem Confirmationis præsupponit, & non de necessitate „„.

III. Impedimentum ex Ordinum inferiorum defectu jure pariter ecclesiastico institutum est, prohibente, ne quis iis prætermissis ad superiorem Ordinem provehatur: Nam (ut docet *S. Thomas* loco mox indicato, qu. 5.) „„ Non est de idoneitate superiorum Ordinum, quod aliquis minores Ordines prius habeat, quia potestates sunt districtæ; & una, quantum est de sui ratione, non requirit aliam in eodem subjecto; & ideo etiam in primitiva Ecclesia aliqui ordinabantur in Presbyteros, qui prius inferiores Ordines non susceperant; & tamen poterant omnia, quæ inferiores Ordines possunt; quia inferior potestas comprehenditur in superiori virtute; sicut sensus in intellectu, & ducatus in regno. Sed postea per constitutionem Ecclesiæ determinatum est; quod ad majores se non ingerat, qui prius in minoribus Officiis se non humiliavit. Et inde est, quod, qui ordinantur per saltum, secundum Canones non reordinantur, sed id, quod omissum fuerat de præcedentibus Ordinibus, eis confertur „„. Ita statuit *Alexander II.* de quodam, qui Subdiaconatus Ordine postposito, ad Diaconatus, & Presbyteratus Ordines ascenderat: „„ Mandamus (*inquit*) ut ab Officio sacerdotale eum prohibeas, donec proximo Quatuor temporum jejunio Subdiaconatus ministerium ei rite imponas, & sic deinceps ad majora eum Officia redire concedas „„. Refertur can. *Solicitudo*, dist. 52. Et *Innoc. III.* cap. *Tuæ literæ*, Ext. *De Clerico per saltum promoto*, de quodam, qui Ordine

Dia-

Diaconatus prætermiſſo Presbyter ordinatus fuerat; mandat Epiſcopo Bononienſi, ut ei Diaconatus Ordinem conferat, ac miſericorditer in Ordine ſacerdotali poſtea miniſtrare concedat.

ARTICULUS VII.

De impedimento Bigamiæ.

I. Bigami ab Ordinibus arcentur eccleſiaſtico jure ab Apoſtolis ipſis inſtituto. Ait enim Apoſtolus 1. *Tim.* 3. *&* *Tit.* 1. Epiſcopum eſſe oportere *Unius uxoris virum.* Id confirmant S. Hieronymus in Epiſtola ad Titum, Innoc. I. in Epiſt. ad Victricium Rothomagenſem Epiſcopum, *S. Auguſt.* libr. *De Bono conjugali*, cap. 18. S. Leo Epiſt. 1. alias 87. can. *Maritum* diſt 32. & canon. *Curandum*, diſt. 24. & *S. Greg.* lib. 2. Epiſtolarum, Ind. 10. Epiſt. 29. ad Epiſcopum Squillatinum, ex quo refertur in Decretis, diſt. 34. can. *Præcipimus.* Rationem eccleſiaſticæ iſtius Legis exponit *S. Thomas*, in 4. *Sentent.*, diſt. 27. qu. 3. art. 1. quæſt. 1. ex defectu ſignificationis perfectæ nuptiarum Chriſti cum Eccleſia in Bigamorum matrimonio petitam. „„ Aliquis (*inquit*) per Sacramentum Ordinis miniſter Sacramentorum conſtituitur, & ille, qui aliis Sacramenta miniſtrare debet, nullum in Sacramentis defectum pati debet. Defectus autem in Sacramento eſt, quando Sacramenti ſignificatio integra non invenitur; Sacramentum autem matrimonii ſignificat conjunctionem Chriſti ad Eccleſiam, quæ eſt unius ad unam; & ideo requiritur ad perfectam ſignificationem Sacramenti, ut vir ſit tantum unius vir, & uxor tantum unius uxor; & ideo bigamia, quæ hoc tollit, irregularitatem inducit „„. Hanc rationem preſſius tradidit *B. Petrus Damiani*, libro, qui inſcribitur: *Dominus vobiſcum*, cap. 12. „„ Sicut (*inquit*) Chriſtus, qui eſt Pontifex futurorum bonorum, & verus Sacerdos, vir eſt unius Sponſæ, ſanctæ ſcilicet Eccleſiæ, quæ procul dubio virgo eſt, quia fidei integritatem inviolabi-

labiliter ſervat; ita quilibet Sacerdos unius uxoris vir eſſe præcipitur, ut illius ſummi Sacerdotis præferre imaginem videatur „„.

Aliam rationem adjungit angelicus Doctor: „„ In illis (*inquit*) qui accipiunt Sacramentum Ordinis, maxima ſpiritualitas debet apparere; tum quia ſpiritualia miniſtrant, ſcilicet Sacramenta, tum quia ſpiritualia docent, & in ſpiritualibus occupari debent; unde cum concupiſcentia, per quam totus homo caro efficitur, maxime ſpiritualitati repugnet, non debet aliquod ſignum concupiſcentiæ permanentis in eis apparere; quod quidem in bigamis apparet, qui una uxore contenti eſſe nolunt „„.

Triplex autem diſtingui ſolet bigamia, ſcilicet vera, interpretativa, & ſimilitudinaria. Vera bigamia eſt matrimonium cum duabus uxoribus ſucceſſive contractum, & conſummatum, ſive ante, ſive poſt Baptiſmum quis illud contraxerit, & conſummaverit Hos bigamos ab Ordinum ſuſceptione, & executione arceri conſtat ex cap. *Super eo*, Ext. *De bigamis non ordinandis.* Bigamia quotuplex.

Bigamia interpretativa eſt, qua juris interpretatione quiſpiam habetur, ut Bigamus, tamen non ſit vere Bigamus, quippe qui multas quidem uxores, ſed non veras habuerit, v. g., qui duo matrimonia cum impedimento dirimente contraxit, vel ſaltem alterum. Hi pariter ab Ordinum ſuſceptione, & executione excluduntur, cap. *Nuper a nobis*, quod *Innocentii III.* Reſponſum eſt. Extra. *De Bigamis non ordinandis.* Nos autem (*inquit*) in hac quæſtione taliter reſpondemus: „„ Quod cum hujuſmodi Clericis, qui quantum in ipſis fuit, fecundas mulieres ſibi matrimonialiter conjunxerunt, tanquam cum Bigamis non liceat diſpenſari, licet in veritate Bigami non exiſtant; non propter defectum Sacramenti, ſed propter affectum intentionis, cum opere ſubſecuto „„. Legatur Ep. 66. Innocent III. lib. 2. Ed. Baluzii.

Interpretative Bigamus eſt & ille, qui unicam quidem uxorem duxit, ſed Viduam, aut ab altero corruptam,

ruptam, ideoque vere est Irregularis, ut constat ex Can. *Curandum*, dist. 34. & ea cap. *de Bigamis*, quod est *Cœlestini III.* Extra. *De Bigamis non ordinandis.* Et quamvis homo credat, uxorem, quam ducit, virginem esse, quam in ipso congressu deprehendit, corruptam ante Matrimonium fuisse, fit nihilominus irregularis, ut docet *S. Thomas*, in 4. *Sentent.*, dist. 27. q. 3. art. 1. Quæstiunc. 3. ad tertium: „„ Irregularitas (*inquit*) non est pœna inflicta, sed defectus quidam Sacramenti; & ideo non oportet, quod semper sit voluntaria bigamia ad hoc, quod irregularitatem causet; & ideo ille, qui uxorem ducit corruptam, quam virginem credit, irregularis est eam cognoscens „„. Si tamen duxerit prius a se defloratam, non fit irregularis: *Quia carnem suam non divisit in plures;* (inquit *S. Thomas* ibidem ad secundum.)

Ille denique interpretative bigamus est, eoque nomine ab Ordinibus, & sacris Ministeriis arcendus, qui uxorem adulterio pollutam cognoscit, etiamsi judicis sententia, aut officio conscientiæ debitum ei reddere compellatur, illa ante exigente, quam adulterii damnetur, ut docet *S. Thomas* in Responsione ad quartum; & colligitur ex can. *Si cujus*, qui Concilii Neocæsarienſis octavus est, & ex can. *Si laici*, qui est *Martini Bracarensis*, apud *Gratianum*, dist. 34.

Qui vero virginem duxit, sed alteri desponsatam, bigamus non censetur, quia bigamia non contrahitur, nisi carnalis copula inter conjuges præcesserit, ut respondet *Innoc. III.* cap. *Debitum*, Extra, *De Bigamis non ordinandis*, cujus hæc sunt verba: „„ Conjugium illud, quod non est commixtione corporum consummatum, non pertinet ad illud conjugium, designandum, quod inter Christum, & Ecclesiam per Incarnationis Mysterium est contractum. Cum ergo propter Sacramenti defectum prohibitum sit, ne bigamus, aut maritus viduæ præsumat ad sacros Ordines promoveri; quoniam nec illa est unica unici, nec iste unus unius; profecto ubi deficit inter hujus-

mo-

modi conjuges commixtio corporum, non deeſt hujuſmodi ſignaculum Sacramenti. Unde is, qui mulierem ab alio viro ductam, ſed minime cognitam, duxit uxorem; quia nec illa, nec ipſe carnem ſuam diviſit in plures, propter hoc impediri non debet, quin poſſit ad Sacerdotium promoveri „„.

Bigamia ſimilitudinaria eſt matrimonium attentatum, & conſummatum, etiam cum virgine, ab eo, qui voto ſolemni caſtitatis obſtrictus eſt, ſive ſacris Ordinibus annexo, ſive religioſa Profeſſione nuncupato; quia per hujuſmodi matrimonium carnale, quod contrahit, violat ſpirituale, quod præceſſit; quod Bigamiæ genus infert etiam Irregularitatem, ut conſtat ex Can. *Quotquot*, cauſa 27. q. 1. ex cap. *Nuper*, Extra. *De Bigamis non ordinandis*, & ex cap. *A nobis*, ibidem, quod eſt *Innocentii III.* Reſponſum: „„ Ille autem (*inquit*) qui in Subdiaconatus Ordine conſtitutus, de facto tantum (quia de jure non potuit) duxit viduam in uxorem, profecto Bigamus non exiſtit, ſed nec viduæ poteſt in veritate dici maritus; cum inter ipſum, & illam non fuerit vinculum maritale contractum; cum eo tamen contra doctrinam Apoſtoli, tanquam cum marito viduæ diſpenſare non licet; non propter Sacramenti defectum, ſed propter affectum intentionis cum opere ſubſecuto „„. Quia nimirum affectum ad duplex matrimonium carnali copula probat, ac de facto matrimonium contrahere attentat, quamvis nullum, & irritum ſit ipſo jure propter impedimentum voti. Si autem Clericus de facto matrimonium non contrahat, ſed tamen unam, vel plures concubinas habeat, non eſt cum ipſo agendum, ceu cum Bigamo, ſed cum ſimplicis fornicationis reo, ſeu concubinario; ut declarat *Innocent. III.* cap. *Quia circa crimina*, Extra. *De Bigamis non ordinandis.*

III. An Bigamiæ irregularitas ex nuptiis ante Baptiſmum contractis oriretur, olim dubitatum eſt. Eccleſia Græca eum, qui ante Baptiſmum plures

uxo-

uxores duxiſſet, irregularitatem ex Bigamia non contraxiſſe cenſuit, ut conſtat ex Can. 16. ſub Apoſtolorum nomine edito, & ex Commentariis Balſamonis, & Zonaræ. Eadem fuit S. Hieronymi ſententia in Epiſtolam ad Titum, & Ep. 83. ad Oceanum dicentis: „„ Si Baptiſmus novum hominem facit, & ex toto novum creat, nihilque in eo veteris hominis reſervatur, non poteſt novo imputari, quod in veteri quondam fuit „„. Contra, Innoc. I. in Ep. ad Victricium Rothomagenſem, cap. 6. Bigamiam etiam ante Baptiſmum contractam inducere irregularitatem cenſet. „„ Ne, *inquit*, ab aliquibus exiſtimetur, ante Baptiſmum ſi forte quis accepit uxorem, & ea de ſæculo recedente alteram duxerit, in Baptiſmo eſſe dimiſſum, ſatis errat a regula; quia in Baptiſmo peccata remittuntur, non acceptarum uxorum numerus aboletur „„.

Eamdem ſententiam amplexus eſt *S. Auguſt.* lib. *De bono Conjugali*, cap. 18. „„ Propterea, *inquit*, Sacramentum nuptiarum temporis noſtri ſic ad unum maritum, & unam uxorem redactum eſt, ut diſpenſatorem Eccleſiæ non liceat ordinari niſi unius uxoris virum. Quod acutius intellexerunt, qui nec eum, qui Catechumenus, vel Paganus habuerit alteram, ordinandum eſſe cenſuerunt. De Sacramento enim agitur, non de peccato. Nam in Baptiſmo peccata omnia dimittuntur; ſed qui dixit: Si acceperis uxorem non peccaſti, & ſi nupſerit, non peccavit, & quod vult faciat, non peccat, ſi nubat, ſatis declaravit, nuptias nullum eſſe peccatum. Propter Sacramenti autem ſanctitatem, ſicut fœmina, etiamſi Catechumena fuerit vitiata, non poteſt poſt Baptiſmum inter Dei virgines conſecrari; ita non abſurde viſum eſt eum, qui exceſſit uxorum numerum ſingularem, non peccatum aliquod commiſiſſe, ſed normam quamdam Sacramenti amiſiſſe, non ad vitæ bonæ meritum, ſed ad Ordinationis eccleſiaſticæ ſignaculum neceſſariam „„. In hoc autem poſitam eſſe ait hanc, de qua loquitur, Sacramenti normam, quod „„ Sicut

cut plures uxores antiquorum Patrum significaverunt futuras nostras ex omnibus gentibus Ecclesias uni viro subditas Christo, ita noster antistes unius uxoris vir significat ex omnibus gentibus unitatem uni viro subditam Christo „„.

IV. Cum bigamo dispensare potest summus Pontifex non solum ut ad minores, sed ut ad sacros Ordines promoveatur, ut colligitur ex can. *Lector*, dist. 24. & ex Glossa illius Canonis, quæ *Lucium* Papam cum Panormitano Episcopo, qui erat bigamus, dispensasse testatur. Id confirmat *S. Thomas* in 4. *Sentent.* dist. 27. q. 3. art. 3. „„ Bigamiæ (*inquit*) non est adjuncta irregularitas de jure naturali, sed de jure positivo; nec iterum est de essentialibus Ordinis, quod aliquis non sit bigamus; quod patet ex hoc, quod si aliquis bigamus ad Ordines accedat, caracterem percipit, & ideo Papa potest dispensare in tali irregularitate totaliter „„. Cum Bigamis dispensare solus summus Pontifex potest.

At (inquies) de iis, quæ in Scriptura sacra jubentur, aut prohibentur, nemo homo potest dispensare; in Scriptura autem sacra habetur, Episcopum esse oportere *Unius uxoris virum.*

Respondet *S. Thomas*, non posse dispensari „„ Quantum ad ea, quæ sunt de jure naturali, & quantum ad ea, quæ sunt de necessitate Sacramentorum, & Fidei; sed in aliis, quæ sunt de institutione Apostolorum, cum Ecclesia habeat nunc eamdem potestatem statuendi, & destruendi, quam tunc habuit, potest per eum, qui Primatum in Ecclesia tenet, dispensari „„.

Et Quodlibeto 4. q. 8. ar. 21. ad secundum: „„ Apostolus (*inquit*) dupliciter in doctrina sua aliqua præposuit; quædam quidem sicut promulgans jus divinum, sicut illud, quod habetur ad Galatas 5. *Si circumcidimini, Christus nihil vobis proderit*, & multa alia hujusmodi; & in hoc Papa potest dispensare; quædam vero sicut propria auctoritate aliqua statuens; nam ipse dicit 1. ad Cor. 11. *Cætera, cum venero, disponam*; Et infra *cap.* 16. mandat: *Ut Collectæ, quæ*

fiunt in Sanctos, per unam Sabbati fiunt; quod non pertinet ad jus divinum; & similiter etiam, quod dicitur de bigamo non promovendo, non est juris divini sed institutio auctoritatis humanæ divinitus homini concessæ „ „. In corpore vero Articuli præmiserat, summum Pontificem habere plenitudinem potestatis in Ecclesia, ita ut „ „ Quæcunque sunt instituta per Ecclesiam, vel Ecclesiæ Prælatos, sint dispensabilia a Papa; hæc enim dicuntur esse juris humani, vel juris positivi; circa ea vero, quæ sunt juris divini, vel juris naturalis, dispensare non potest; quia ista habent efficaciam ex institutione divina... *Quamobrem* In solis his, quæ sunt de Lege naturæ, & in articulis Fidei, & Sacramentis novæ Legis, dispensare non potest; hoc enim non esset posse pro veritate, sed contra veritatem. Manifestum est autem, quod bigamum non promoveri, neque est de Lege naturæ, neque pertinet ad articulos Fidei, neque est de necessitate Sacramenti (quod patet ex hoc, quod si bigamus ordinetur, recipit Ordinis Sacramentum.) Sed hoc pertinet ad quamdam determinationem divini cultus. Unde circa hoc potest Papa dispensare, licet dispensare non debeat nisi ex magna, & evidenti causa „ „.

Quod autem *Lucius III.* c. *Super eo.* Extra. *De Bigamis non ordinandis*, ait: „ In bigamis contra „ Apostolum dispensare non licet, ut debeat ad sa„ cros Ordines promoveri, vel in eis, si promoti „ fuerint, remanere „; significat solum dispensationis illius potestatem Episcopo non esse concreditam, sed romano Pontifici reservatam. Unde si quis Episcopus bigamum ordinaverit, a collatione Ordinum suspendi potest: „ „ Ordinatores eorum potestate, & officio ordinandi; & Ordinati, si ad sacros Ordines fuerint promoti, eis sunt privandi, &c. In Ordinatore autem potest dispensatio adhiberi, ut ordinandi potestate, & officio non privetur „ „.

Episcopi dispensare

V. Dispensare poterant olim Episcopi cum Bigamis, ut ad minores Ordines promoverent, ut con-

stat

ſtat ex cap. *Super eo* mox citato, idque uſu receptum erat tempore *S. Thomæ*; verum mos ille abrogatus eſt, neque diſpenſare nunc poſſunt Epiſcopi cum Bigamis, ut vel Tonſura clericali initientur, & beneficia poſſideant, ut colligitur ex Concilii Lugdunenſis 2. Can. 16. cujus hæc ſunt verba: „„ Bigamos omni Privilegio clericali declaramus eſſe nudatos; & correctioni fori ſæcularis addictos, conſuetudine contraria non obſtante. Ipſis quoque ſub anathemate prohibemus deferre Tonſuram, vel habitum clericalem „„. Idem colligitur ex Conc. Trid. ſeſſ. 23. cap. 17. de Reformatione: „„ Quod ſi (*inquit*) miniſteriis quatuor minorum Ordinum exercendis Clerici cœlibes præſto non erunt, ſuffici poſſunt etiam conjugati vitæ probatæ, dummodo non Bigami, ad ea munia obeunda idonei, & qui Tonſuram, & habitum clericalem in Eccleſia geſtent „„. Bigamos itaque ad minores Ordines Epiſcoporum diſpenſatione promoveri non poſſe Conc. exiſtimavit, alioqui functiones eorum, ac miniſteria Bigamis permiſiſſet, ubi Monogami præſto non fuiſſent. Denique „„ Cum quidam Epiſcopus cum ſibi ſubdito vero Bigamo diſpenſaſſet ſuper Bigamia, eique primam Tonſuram, & beneficium ſimplex contuliſſet, contra ſententiam ſacræ Congregationis Concilii Trid. Interpretis, quæ declaravit Epiſcopo hanc facultatem non competere, quamvis Congregatio niteretur eum excuſare; tum quia pœna Suſpenſionis a jure impoſita non videtur latæ ſententiæ, ſed ferendæ; tum quia ſuper hoc articulo inter primarios doctores maxime diſſidetur; tamen Sixtus V. in Conſiſtorio reſpondit, ſignificandum Epiſcopo ipſum eſſe ſuſpenſum a collatione Ordinum; item promotum incidiſſe in pœnas, juxta declarationem Congregationis; licet adjecerit, ſe benigne acturum cum utroque, ubi abſolutionem, & diſpenſationem peterent „„. Refert *Fagnanus* in 1. P. libri 1. Decretalium, in cap. *Quoniam*, tit. *De Conſtit.* n. 32.

cum bigamis non poſſunt.

Refertur cap. Alterationis tit. De Bigamis in Sexto.

VI. In certa tamen quadam bigaminæ ſimilitudi-

nariæ ſpecie diſpenſare poteſt Epiſcopus, Clericos ſcilicet, qui in ſacris Ordinibus conſtituti Nuptias contraxere, poſt longam pœnitentiam officio ſuo reſtituere poteſt, eiſque ſacrorum Ordinum executionem indulgere, ut reſpondet *Alexander III.* cap. *Sane*, Extra. *De Clericis conjugatis.*

ARTICULUS VIII.

De Impedimento Criminis.

Hoc impedimentum ab ipſis Apoſtolis conſtitutum eſt: *Oportet Epiſcopum ſine crimine eſſe, ſicut Dei diſpenſatorem* (inquit S. Paulus in Ep. ad Titum) *Oportet Epiſcopum irreprehenſibilem eſſe* (inquit idem Apoſtolus ſcribens ad Timotheum. Et de Diaconis loquens: *Hi probentur primum* (inquit) *& ſic miniſtrent, nullum crimen habentes.* Non eo tantum tempore, quo ordinandus eſt, ſine ullo crimine ſit, & præteritas maculas nova converſione diluerit (ait S. Hieron. in Commentario) „ Sed ex eo tempore, „ quo in Chriſto renatus eſt, nulla peccati conſcien„ tia mordeatur „. Pœnitentia publica, & reconciliatio criminis irregularitatem non tollebant. Unde Synodus Carthaginenſis quarta Can. 64. decrevit: *Ex pœnitentibus, quantumvis ſit bonus, Clericus non ordinetur.* Et Siricius Papa Ep 1. cap. 14. publicos pœnitentes etiam poſt pœnitentiam, & reconciliationem arcet ab honore clericatus; quia „ Quamvis ſint ab „ omnium peccatorum contagione mundati, nulla „ tamen debent gerendorum Sacramentorum inſtru„ menta ſuſcipere, qui dudum fuerint vaſa vitio„ rum „. Nunc juxta receptam diſciplinam.

I. Delicta publica, ex quibus infamia conſequitur, Ordinum ſuſceptionem, & executionem impediunt, præſertim hæreſis; adeo ut non hæretici ſolummodo, ſed & eorum filii ſint Irregulares, ut colligitur ex cap. *Statutum*, tit. *De hæreticis*, in Sexto. Quæ tamen irregularitas locum non habet, ubi contraria viget conſuetudo. Secundo, ratione delicti ſunt irregulares,

gulares, quicunque sacrum Baptisma iterarunt, aut hujusmodi iterationi ministerium impenderunt, ut constat ex cap. *Ex literarum*, Extra. *De Apostatis, & Reiterantibus Baptisma.* Tertio, Irregulares sunt, quicunque ad suscipiendos Ordines non approbati, nec vocati obrepserunt, ut constat ex cap. *Veniens ad nos*, Extra. *De Excessibus Prælatorum.* Item qui majori excommunicatione, vel alia Censura ligati Ordines suscipiunt, vel illorum obeunt ministeria, ut constat ex cap. *Clerici*, cap. *Latores*, cap. *Illud*, & cap. *Fraternitati.* Extra. *De Clerico excommunicato, deposito, vel interdicto ministrante*, & ex cap. *Cum illorum*, Extra. *De Sentent. excom.* Item qui obeunt ministeria Ordinum, quos minime susceperunt, ut constat ex cap *Si quis*, Extra. *De Clerico non ordinato ministrante.*

II. Præcipuum delictum Ordinum susceptionem, & executionem impediens, est homicidium, vel mutilatio illicita. Quamobrem irregulares sunt, quicunque facto, vel præcepto, vel concilio, vel lingua, & adhortatione, auxilio, vel defensione ad necem hominis, vel membrorum mutilationem concurrunt, ut constat ex can. *Clericum*, & can *Miror*, dist. quinquagesima, quorum primus *Nicolai I.* alter *Joannis VIII.* verbis conceptus est, & ex cap. *Suscepimus*, nec non ex cap. *De cætero*, Ext. *De Homicidio voluntario, vel casuali*, quæ sunt *Alexandri III.* responsa. Item ex c. *Porro*, & c. *Henricus*, Ext. *De Clericis pugnantibus in duello*, quorum primum est *Alexandri III.* aliud *Cœlestini III.* Irregularitas ex homicidio.

Ex fortuito etiam homicidio contrahitur irregularitas, cum aliquis dans operam rei illicitæ hominem fortuito interfecit, vel membro aliquo mutilavit, ut constat ex cap. *Continebatur*, Ext. *De Homicidio voluntario, vel casuali.* Sic Clericus, qui inter venandum telum vibravit in feram, & hominem interfecit, est irregularis, tametsi omnem adhibuerit diligentiam; quippe qui hominem interfecit, operam dando rei illicitæ, id est, venationi Clericis interdi- Dans operam rei illicitæ irregularitatem contrahit ex homicidio fortuito.

Artem chirugicam exercere, sacratis Ministris vetitum.

terdictæ. Propter eamdem rationem Clericus exercens Chirurgiam irregularis est, si ex illius operatione, vel indirecte mors ægroti sequatur, quamvis sit peritus artis, & quam debuit, diligentiam adhibuerit. Ita respondet *Innoc. III.* c. *Tua nos*, Ext. *De Homicidio*, de quodam monacho Sacerdote, qui mulierem a tumore gutturis curare volens, tumorem ipsum ferro aperuerat, monens ipsam, nec se vento exponeret; quod consilium cum illa neglexisset, aperto gutture, sanguinisque copia effluente mortua est. „„ Licet (*inquit*) ipse Monachus multum deliquerit alienum officium usurpando, quod sibi minime congruebat; si tamen causa pietatis, & non cupiditatis id egerit, & peritus erat in exercitio Chirurgiæ, omnemque studuit, quam debuit, diligentiam adhibere, non est ex eo, quod per culpam mulieris contra consilium ejus accidit, adeo reprobandus, quod non post satisfactionem condignam cum eo misericorditer agi possit, ut divina valeat celebrare; alioquin interdicenda est ei sacerdotalis Ordinis executio de rigore „„. Chirurgicam porro artem exercere Subdiaconis, Diaconis, & Sacerdotibus vetat *Innoc. III.* cap. *Sententiarum*, Ext. *Ne Clerici, vel Monachi sæcularibus negotiis se immisceant.* Propter eamdem rationem, qui alterum verberavit animo non occidendi, tamen vere mortuus est, etiamsi ex medicorum, vel infirmi incuria, aut ex morbo occasione vulneris emergente, est irregularis, quia dabat operam rei illicitæ, ex qua mors est secuta. Irregularis est, qui rixam iniquam cum altero habuit, & amici ejus forte advenientes, occiderunt illum ejus intuitu, quamvis præter ejus voluntatem, quia rei illicitæ dabat operam.

Ex fortuito homicidio irregularitas contrahitur defectu debitæ diligentiæ & cautionis.

III. Ex fortuito homicidio, vel mutilatione irregularitatem pariter contrahunt, qui defectu debitæ diligentiæ hominem interficiunt, vel membro aliquo mutilant, quamvis rei licitæ operam darent. Id colligitur ex can. *Hi, qui arbores*, qui *Nicolao* Papæ tribuitur, dist. quinquagesima; „„ Hi, qui arbores incidere

cidere videntur, si contigerit, ut cadens arbor occiderit hominem, inculpabiles sunt, atque innoxii; quia nec voluntate eorum, nec desiderio homicidium perpetratum est. Si vero aliqua culpa eorum vel neglectu, morientis hominis interitus cognoscitur advenisse; abjiciendi sunt a gradu, & in sacro Ordine nullatenus suscipiendi „ „.

Item ex can. *Sæpe*, qui est Concilii Wormatiensis 29 „ „ Sæpe contingit, dum quis operi necessario insistens, arborem inciderit, ut aliquis subtus ipsam veniens deprimatur. Et idcirco, si voluntate, vel negligentia incidentis arborem factum est, ut homicida pœnitentiæ debet omnino submitti. Quod si non voto, non incuria illius, non denique scientia contigit, sed dum ille operi necessario fortassis incumberet, iste insperatus occurrens sub arbore improvisus devenit, & sub ipsa oppressus est; incisor arboris non tenetur pro homicida „ „.

Idem confirmatur ex cap. *Presbyterum*, Extra, *De Homicidio*, quo *Alexander III.* ab Altaris ministerio, & ab omni officio sacerdotali perpetuo removendum esse respondet *Presbyterum*, qui puerum *Intuitu disciplinæ* percusserat *in capite, si ex ipsa percussione interiit, vel aliam infirmitatem incurrerit, de qua noscitur expirasse.* Ob eamdem rationem Presbyter, qui quemdam e familia sua corrigere volens, cingulo verberavit, & gladio e vagina eidem cingulo appensa casu elapso, eum in dorso aliquantulum vulneravit, irregularis censetur, etsi homo convaluerit ex vulnere, & alia graviori infirmitate correptus obierit; dubium enim est, utrum ex vulnere secuta sit gravior illa, & lethalis ægritudo; illum vero Prebyterum debitam diligentiam non adhibuisse, certum est. At in dubio utrum aliquis sit irregularis, abstinere debet a sacris Ministeriis, ut respondet *Clemens III.* cap. *Ad audientiam*, Extr. *De Homicidio*, cujus hæc sunt verba: „ „ Cum in dubiis semitam debeamus eligere tutiorem, vobis convenit injungere Presbytero memorato, ut in sacris Ordinibus non

miniſtret; injuncta tamen pœnitentia congruenti ſibi, poteritis concedere, ut minoribus Ordinibus ſit contentus „ „. Similis eſt caſus capitis; *Significaſti*, Extra, *De Homicidio*. Quidam maleficus ingreſſus Eccleſiam, ſacram Euchariſtiam cum Altarium ornamentis, & libris eccleſiaſticis extra abſtulerat. Presbyter Eccleſiæ ſacrilegum furem foſſorio arrepto percuſſit; parochiani arreptis gladiis, & fuſtibus protinus occiderunt. *Innocent. III.* rogatus reſpondet: „ „ Si diſcerni non poſſit, ex cujus ictu percuſſus *interiit*, in hoc dubio tanquam homicida debet haberi Sacerdos; & ſi forte homicida non ſit, a Sacerdotali officio abſtinere debet; cum in hoc caſu ceſſare ſit tutius, quam temere celebrare; pro eo quod in altero nullum, in reliquo vero magnum periculum timeatur „ „. Idem confirmatur ex cap. *Petitio* ibidem.

Homicidium ob neceſſariam vitæ defenſionem caſu commiſſum non inducit irregularitatē, ſi vero ſervatum non ſit moderamen inculpatæ tutelæ, contrahitur irregularitas.

Tandem, qui aggreſſorem repellendo homicidium committit, irregularis pariter eſt, niſi moderamen inculpatæ tutelæ tenuerit, id eſt, niſi ad eas redactus fuerit anguſtias, ut mortem ſibi ab aggreſſore probabiliter imminentem aliter evadere non poſſet. Ita reſpondet *Innocent. III.* Extra. *De Homicidio*, cap. *Significaſti*, mox citato: „ „ Si vero (*inquit*) Sacerdos iſte prius ab illo percuſſus ſacrilego, mox eum cum ligone in capite repercuſſit; quamvis vim vi repellere omnes leges, & omnia jura permittant; quia tamen id debet fieri cum moderamine inculpatæ tutelæ, non ad ſumendam vindictam, ſed ad injuriam propulſandam; non videtur idem Sacerdos a pœna homicidii penitus excuſari; tum ratione inſtrumenti, cum quo ipſe percuſſit, quod cum grave ſit, non ſolet levem plagam inferre; tum ratione partis, in qua fuit ille percuſſus, in qua de modico ictu quis lethaliter ſolet lædi „ „. Idem confirmatur ex cap. *Suſcepimus*, ibidem, quo *Alex. III.* duos Monachos reos declarat, quorum alter latrones ligaverat, qui noctu domum ingreſſi ipſos turpiter in perſonis affligere, & veſtimentis propriis denudare præſumpſerant; alter vero, cum frater rem ad Abbatem relaturus,

turus, eos in fratris custodia ligatos dimisisset, & fures se solvere niterentur (he ab eis occideretur) occidit. Istum Pontifex irregularem declarat: „ „ Quoniam expediebat potius post tunicam relinquere pallium, & rerum sustinere jacturam, quam pro conservandis vilibus rebus, & transitoriis tam acriter in alios exardescere „ „. Et utrumque peccatum suum expiare jubet ad arbitrium Abbatis; quia constat latrones, *contra mansuetudinem ecclesiasticam, ex utriusque ope interemptos.*

Idem confirmat Clementina: *Si furiosus*, Tit. *de Homicidio*, his verbis: „ „ Si furiosus, aut infans, seu dormiens, hominem mutilet, vel occidat, nullam ex hoc irregularitatem incurrit. Et idem de illo censemus, qui mortem aliter vitare non valens, suum occidit, vel mutilat invasorem „ „. Igitur e contrario, si mortem aliter vitare valens aggressorem suum interficiat, in irregularitatem incurrit.

Id denique confirmat Concilium Trid. Sess. 14. cap. 7. de Reformatione: „ „ Cum etiam (*inquit*) qui per industriam occiderit proximum suum, & per insidias, ab Altari avelli debeat; qui sua voluntate homicidium perpetraverit, etiamsi crimen id nec ordine judiciario probatum, nec alia ratione publicum, sed occultum fuerit; nullo tempore ad sacros Ordines promoveri possit; nec illi aliqua ecclesiastica beneficia, etiamsi curam non habeant animarum, conferri liceat; sed omni Ordine, ac beneficio ecclesiastico perpetuo careat. Si vero homicidium non ex proposito, sed casu, vel vim vi repellendo, ut quis se a morte defenderet, fuisse commissum narretur; quam ob causam etiam ad sacrorum Ordinum, & Altaris ministerium, & beneficia quæcunque, ac dignitates, jure quodammodo dispensatio debeatur; committatur loci Ordinario, aut ex causa Metropolitano, seu viciniori Episcopo; qui nonnisi causa cognita, & probatis precibus, ac narratis, nec aliter dispensare possit „ „. Qui ergo invasorem suum cum moderamine inculpatæ tutelæ repellens, casu occi-

Tridentina Synodus optat, ut cum homicida voluntario nec ad sacros Ordines, nec ad beneficia unquam dispensetur.

derit, ad ſummum Pontificem nihilominus confugere debet, ac interim a ſacris miniſteriis abſtinere, donec Epiſcopus ex mandato ſummi Pontificis, cauſa cognita, diſpenſationem ipſi jure quodammodo debitam indulſerit,

Qui procurat abortionem fœtus animati, etiam fortuito, eſt irregularis.

IV. Qui procurat abortionem fœtus animati, aut illius quovis modo cauſa eſt, etiam fortuito, & præter intentionem, eſt irregularis, ut reſpondet *Innocent. III.* cap. *Sicut*, Extra. *De Homicidio.*

V. Quæ de homicidio diximus, quatenus cauſa eſt irregularitatis, breviter explicat *S. Thomas*, in 4. *Sentent.* diſt. 20. q. 2. art. 2. Quæſtiunc. 2. „ „ Omnes (*inquit*) Ordines referuntur ad Sacramentum Euchariſtiæ, quod eſt Sacramentum pacis nobis per Sanguinem Chriſti effuſum factæ; & quia homicidium maxime contrariatur paci, & homicidæ magis conformantur occidentibus Chriſtum, quam ipſi Chriſto occiſo, cui omnes Miniſtri prædicti Sacramenti debent conformari; ideo de neceſſitate præcepti eſt, quod non ſit homicida, qui ad Ordines promovetur; quamvis non ſit de neceſſitate Sacramenti „ „

Et in Reſponſione ad tertium: „ „ Nullus (*inquit*) facit niſi illud, cujus cauſa eſt; quod eſt voluntarium in homine; & ideo ille, qui ignoranter hominem occidit homicidio caſuali, non dicitur homicida, nec irregularitatem incurrit, niſi dederit operam rei illicitæ, vel niſi omiſerit debitam diligentiam, quia jam quodammodo efficitur voluntarium; nec hoc eſt propter hoc, quod culpa careat, quia etiam ſine culpa incurritur irregularitas; & ideo etiam ille, qui ſe defendendo in aliquo caſu, nec peccat homicidium committendo, nihilominus irregularis eſt „ „. Ob hanc rationem, qui abſque conſilio medici potionem dedit infirmo, ex qua mortuus eſt, quamvis bono animo fecerit, eſt irregularis, quia dabat operam rei illicitæ, cum non eſſet peritus artis, ut rurſus colligitur ex cap. *Tua nos*, Extra. *De Homicidio.* Unde cuſtodientes infirmum, & dantes aquam, vel vinum contra, vel præter medici præceptum, unde mors

eſt

est secuta, sunt irregulares. Item, qui infirmum morti proximum loco movent, quo fit, ut citius moriatur, sunt irregulares, si debitam non adhibuerint diligentiam.

ARTICULUS IX.

De Impedimento ex defectu perfectæ lenitatis.

Clericis judicium sanguinis exercere, aut ad illud concurrere non licet.

I. Homicidii voluntarii, aut mutilationis perpetratio, sive procuratio, si absque culpa sit, qualis fit a judicibus, notariis, lictoribus, carnificibus, dum suo juste funguntur officio, item ab accusatoribus, denuntiatoribus, & testibus in causa criminis, si mors, aut mulitatio sequatur; necnon a militibus in bello justo vulnerantibus, & occidentibus, parit irregularitatem ex defectu perfectæ lenitatis; ut colligitur ex Can. *Si quis viduam* dist. quinquagesima, & ex cap. *Ad audientiam*, Ext. *De Homicidio*, item ex cap. *Petitio*, eodem Tit. & ex cap. *Clericis*, quod est *Alexandri III.* responsum: „„ Clericis (*inquit*) in sacris Ordinibus constitutis, ex Concilio Toletano 6. Can. 31. judicium sanguinis agitare non licet. Unde prohibemus, ne aut per se truncationes membrorum faciant, aut judicent inferendas. Quod si quis tale quid fecerit, honore privetur, & loco „„. Idem confirmatur ex cap. *Sententiarum*. Extra. *Ne Clerici, vel Monachi negotiis sæcularibus se immisceant*, qui Concilii Lateranensis sub *Innocentio III.* can. 18. est. Testes vero a judice compulsi non censentur irregulares secundum jurisprudentiam gallicanam, moresque, & usum hujus regni; quia causa proxima mortis reorum non habentur, sed remota duntaxat. Idem esto de notariis judicium; sed aliarum Ecclesiarum disciplinæ, ac moribus, gallicani mores non præjudicant.

Testes a judice compulsi, & Actuarii, in Gallia non sunt irregulares.

Idem confirmat *S. Thomas*, in 4. *Sentent.* dist. 25. qu. 2. art. 2. Quæstiunc. 2. in responsione ad secundum: „„ Irregularitas (*inquit*) non incurritur propter peccatum tantum, sed principaliter propter in-

ep titu-

eptitudinem perſonæ ad Sacramentum Euchariſtiæ miniſtrandum; & ideo Judex, & omnes, qui in cauſa ſanguinis ei participant, ſunt irregulares propter hoc, quod effuſio ſanguinis non decet miniſtros tanti Sacramenti „ „.

Prælati juriſdictionem temporalem habentes poſſunt per ſuos Officiarios criminalem juriſdictionem exercere.

II. Epiſcopus, ſeu quicunque alius Prælatus, aut Clericus, juriſdictionem obtinens temporalem, ſi homicidio, aut alio maleficio ab aliquibus in juriſdictione ſua commiſſo, Baillivo ſuo, aut alii quicunque injungat, ut ſuper hoc veritatem inquirens juſtitiæ debitum exequatur, irregularis cenſeri non debet; quamvis ipſe Baillivus, vel alius contra malefactores ad pœnam ſanguinis proceſſerit juſtitia mediante. „ „ Nam licet Clericis cauſas ſanguinis agitare non liceat; eas tamen (cum juriſdictionem obtinent temporalem) debent & poſſunt metu irregularitatis ceſſante, aliis delegare „ „. Sic reſpondet *Bonifac. VIII.* cap. *Epiſcopus*, tit. *Ne Clerici, vel Monachi ſæcularibus negotiis ſe immiſceant; in Sexto.*

An irregularitatem contrahant Clerici, qui injuriam propriam in cauſa criminali perſequuntur.

III. Nec etiam in irregularitatem incurrunt Clerici, qui de injuriis, damniſque ſibi illatis contra malefactores ſuos querelas deferunt ad judicem, & *emendam* expoſcunt, ſi judex mortem illis inferat, juſtitia exigente: „ „ Modo proteſtentur expreſſe, quod ad vindictam, ſeu pœnam ſanguinis non intendunt. Alioquin ſi Prælati, aut Clerici, propter metum hujuſmodi, quia judex ad pœnam ſanguinis poſſet procedere, de ſuis malefactoribus taliter conqueri non auderent, daretur pleriſque materia trucidandi eoſdem, & ipſorum bona libere depræ-dandi „ „. Reſponſum eſt ejuſdem Pontificis, cap. *Prælatis*, tit. *De Homicidio*, *in Sexto.* Si tamen ea conquerentium intentio eſt, ut ad mortem damnentur malefactores illi, irregulares erunt, quibuſcumque verbis intentio iſta diſſimuletur; licet Eccleſia illos ab Ordinum ſuſceptione, vel executione non prohibeat, niſi hujuſmodi intentionem ipſorum confeſſione, vel probatione compertam habeat; ut obſervat Cardinalis Oſtienſis in Summa, tit. *De Homicidio*, §. 4. n. 5.

IV.

IV. Princeps legem condens, cujus auctoritate rei morte damnandi sunt, non fit irregularis, quia leges non feruntur ad mortem inferendam, sed ad criminum licentiam reprimendam suppliciorum metu, ut docet *S. Antoninus*, 3. p. tit. 28. cap. 2. Nec etiam irregularis est, qui auctor est Principi, ut legem ferat, qua certorum criminum rei, morte digni, capite plectantur.

V. Qui auctor est, ut capiatur maleficus, non ideo fit irregularis, etiamsi is, qui capit maleficum, eum occidat, quia de licito opere consilium dedit, nec illius occisionem jussit, suasit, vel suggessit, ut docet *Innocent. IV.* in cap. *Ad audientiam*, Extra. *De Homicidio.*

VI. Qui homicidium pro se fieri mandavit, ab irregularitate immunis est, si contrarium mandet, antequam crudele mandatum impleatur, vel si pacem ineat cum eo, cujus cædem imperaverat, vel affinitatem, aliamve amicitiam cum eo contrahat, sciente eo, cui mandatum dederat, ut eum interficeret; cum enim alterius mandato, & in ejus gratiam homicidium perpetraturus esset, contrario mandato, vel contraria voluntate mandantis ostensa, mandatarius ab homicidio nisi abstineat, illi soli, & non mandanti imputatur, ut docet ibidem *Innocent. IV.* Ad varios casus Responsa.

VII. Qui consilium de perpetrando homicidio dedit, ab irregularitate non est immunis, nisi primum consilium revocaverit, & contrarium suaserit; imo, & illi, de cujus morte tractatum est, denuntiaverit, ut sibi caveat, si probabiliter existimet, cui consilium immane dederat, & cædis proposito non fuisse revocatum.

VIII. Irregularis est, qui in aliqua rixa, vel duello impedit aliquem, ne se defendat, ne fugiat; aut prohibet, ne aliquis cohibeat impetum aggressoris, ne aut rixantes, vel pugnantes vi compescat, vel auctoritate. Id colligitur ex cap. *Sicut dignum*, quod *Alexandri III.* responsum est, Extra. *De Homicidio* §. *Illi etiam.* Sic enim loquitur: „ „ Illi etiam, qui non

non ut ferirent, sed ut percussoribus opem ferrent, si forte per aliorum violentiam impedirentur, paulo minori debent pœna mulctari; quia cum scriptum sit; *Qui potuit hominem liberare a morte, & non liberavit, eum occidit*; Constat ab homicidii reatu immunes non esse, qui occisoribus contra alios præstare venerunt; nec caret scrupulo societatis occultæ, qui manifesto facinori definit obviare „ „.

Spectat illud Prov. 22. Erue eos, qui ducuntur ad mortem, & qui trahuntur in interitum, liberare non cessas.

IX. Non est irregularis Confessarius; qui negat Absolutionem Magistratui sceleratum punire nolenti secundum leges, quamvis lex ipsum capitis damnari jubeat; modo generatim loquatur, neque mortis pœnam directe significet inferendam. Eadem ratione Confessarius, absque metu irregularitatis urgere potest reum juridice interrogatum, ut capitale crimen suum legitimo judici confiteatur. Nec etiam periculum irregularitatis incurrunt Sacerdotes, qui Castra sequuntur, cum milites adhortantur, ut strenue pugnent pro patria, pro Rege in bello justo; quia nec facto, nec auxilio, nec præcepto, neque consilio sunt auctores homicidii; sed solum hortantur milites, ut officio suo fungantur.

X. „ „ Qui mandat aliquem verberari; licet expresse inhibeat, ne occidatur ullatenus, vel membro aliquo mutiletur, irregularis efficitur, si mandatarius fines mandati excedens, mutilet, & occidat; cum mandando in culpa fuerit, & hoc evenire posse debuerit cogitare „ „. Responsum est *Bonifacii VIII.* tit. *De Homicidio, in sexto.* Cap. *Is, qui.*

XI. Reorum suppliciis, aut vindictæ sanguinis interesse Clericos prohibent Canones; non sunt tamen irregulares, qui funestis illis spectaculis intersunt, nisi auctoritatem præstent, vel auxilium. Id colligitur ex cap. *Sententiam*, Ext. *Ne Clerici, vel Monachi sæcularibus negotiis se immisceant*; quod ex Concilio Lateranensi sub *Innocentio III.* sumptum est, & Glossa, & ex Innocentii IV. Commentario. Verba Canonis subjicio: „ Sententiam sanguinis nullus Cle„ ricus dictet, aut proferat, sed nec sanguinis vindi-

„ ctam

„ ctam exerceat, aut ubi exerceatur, interfit „. Ubi ſic habet Gloſſa: „„ Sed ſi intereſt tantum, numquid propter hoc efficitur irregularis, ut propter hoc deponatur? Non videtur, quod debeat deponi; ſed alias debet puniri, quia interfuit contra præceptum hujus Canonis „„. Innocent. IV. in Commentario ejuſdem capitis, explicans hoc verbum, *Interfit*, eidem ſententiæ ſuffragatur: *Hoc* (inquit) *non facit irregularitatem, niſi auctoritatem preſtet, vel auxilium,* Clericis, qui ad locum examinationis reorum, ut ſententiam capitis in eos ferendam audirent, aut ad locum patibuli, ubi extremo ſupplicio erant plectendi, ut ferali ſpectaculo paſcerent oculos, accedebant, honoris periculum comminatum eſt Conc. Matiſconenſe 2. Can. 19.

Qui carnificem hortatur, ut furciferum citius interficiat, ne diu vexetur, quamvis bono animo id faciat, irregularitatis periculo ſe exponit. Item, ſi forte reus præfocatus, & ſtrangulatus non fuerit, ſed poſt ſuſpenſionem adhuc vivat, & aliquis moneat carnificem eo animo, ut illi mortem inferat, vel ipſi auctor ſit, ut ſententiam omnino exequatur, vel ne diutius languere, & pati ſinat miſerum, irregularitatis periculum ſubit. An autem vere ſint irregulares, inter Doctores omnes non convenit. Qui enim cenſent ad irregularitatem requiri, ut aliquis cauſa mortis proxima ſi, quæ opinio in Galliis fere obtinuit, hos irregulares non cenſent; quamvis magnæ imprudentiæ rei ſint, & contra manſuetudinem miniſterio ſuo convenientem peccent. In dubio tamen abſtinere debent a ſacris functionibus, & diſpenſationem a ſummo Pontifice humiliter poſtulare, quia *In dubiis ſemitam debemus eligere tutiorem.* Extra. de Hom. c. 18.

ARTICULUS X.

De impedimento infamiæ.

Infamia, una eſt *juris*, altera *facti*. Infamia juris ab ipſo quidem jure inducitur, ſed conſequenter ad ſen-

ſententiam judicis, qua reus criminis quis declaratur. Infamia facti ea eſt, quam gravia crimina ſuis auctoribus inurunt, ex quo ſatis nota ſunt, & pervulgata. Utramque comitatur irregularitas, ut conſtat ex can. *Infames.* Cauſa 6. qu. 1. & ex Regula juris 87. in ſexto: *Infamibus portæ non pateant dignitatum.* Contrahitur aliquando infamia delicto vero, quandoque præſumpto. Quamobrem innocens, qui falſis teſtimoniis, præſumptionibus, aut inſtrumentis oppreſſus, capitali pœna, exilio, carcere, aut ad triremes damnatus eſt in foro ſæculari; aut reus pronuntiatus alicujus criminis, cui eſt annexa infamia, in judicio eccleſiaſtico, incapax eſt Ordinis, beneficiorum, & juriſdictionis eccleſiaſticæ ſuſcipiendorum, vel exercendorum, ut compertum eſt ex Canonibus cauſa 2. qu. 5. & toto titulo *de Purgatione canonica* relatis. Infamia facti tollitur notoria morum emendatione. Infamia juris non tollitur niſi purgatione canonica, aut romani Pontificis diſpenſatione. Quamvis ergo aliquis ſit innocens, ſi tamen damnatus ſit, ut reus criminis, quod infamiam auctori ſuo inurit, tenetur in foro exteriori pro irregulari ſe gerere, quouſque innocentiam ſuam probaverit, & ſententia judicis ejuſdem, vel Superioris fuerit abſolutus; vel diſpenſationem a Sede apoſtolica obtinuerit. Sic reſpondi Titio, qui exilio damnatus fuerat ob ſtuprum, cujus tamen ſe inſontem conteſtabatur, & per calumniam oppreſſum. Sic reſpondi Sempronio, qui in monaſterio ſuo carcere damnatus, & recluſus, effracto carcere aufugerat, & religioſo habitu depoſito, velut ſæcularis Presbyter converſabatur, integra manente ſententia, quam aperte iniquam eſſe cauſabatur, cum tamen innocentiam ſuam Superioribus majoribus non approbaſſet.

CA-

CAPUT V.

De Vita, & Honestate Clericorum.

„ Quanto quis honoris gradu, atque dignitate præstat, tanto cæteris omni virtutum genere „ debet excellere. Ejus enim vita omnium oculis sic „ exposita est, ut inde bene, vel male vivendi com„ muniter exempla duci soleant. Ut quo, ut vitiosi „ Principes, sic flagitiosi Sacerdotes, perniciose de „ republica merentur, quod non solum vitia conci„ piunt ipsi, sed ea infundunt in civitatem; præter„ quam quod efficiunt, ut ipsorum dignitas, per se „ præclara, atque laudabilis, odio, atque contemptui „ apud impium, vel malitiosum hominum genus ha„ beatur. Ideoque Clerici, qui in sortem Domini „ vocati sunt, non solum ab omni vitiorum turpi„ tudine abesse, sed etiam omni virtutum genere or„ nari debent: *Spectaculum facti*, (ut ait Apost.) *mundo*, *Angelis*, *& hominibus. Nemini dantes ullam offensionem, ne vituperetur ipsorum ministerium, sed in omnibus exhibentes semetipsos sicut Dei ministros.* Verba sunt Concilii Burdigalensis, anno 1582. celebrati. Quæ autem pertinent ad vitam, & honestatem Clericorum, certis Regulis exponemus. De vita, & honestate Clericorũ. 1. Cor. 4. 9. 2. Cor. 6.

REGULA I.

Clerici pœnis canonicis ab Episcopis compelli possunt, & debent, ut tonsuram clericalem, vestesque Ordini suo congruentes gestent.

Canonum enim observationem urgere debent Episcopi, ea, quæ ipsis divinitus tradita est a Christo, potestate. Canones porro Clericis præcipiunt, ut tonsuram clericalem, vestesque decentes, & Ordini suo congruentes gestent. Honestas & modestia in habitu.

Concilium Carthag. 4 Canone 45. „ Clericus pro„ fessionem suam & habitu, & incessu probet; & ideo „ nec vestibus, nec calceamentis decorem quærat „. Trullana Synodus, Canone 27. „ „ Nullus eorum,

qui connumerantur in Clero, veſtimentum indecens habeat, ſive in civitate degens, ſive in itinere ambulans; ſed ſtolis utatur, quæ conceſſæ ſunt Clericis. Si vero quis tale quid fecerit, per unam hebdomadam ſuſpendatur „ „. Refertur Can. *Nullus* cauſa 21. qu. 4.

Zacharias Papa in Synodo romana, Can. 3. „ „ Epiſcopi, Presbyteri, Diaconi, ſæcularibus indumentis non utantur, niſi, ut concedet, tunica Sacerdotali; ſed neque dum ambulaverint in civitate, aut in via, aut in plateis, ſine operimento præſumant ambulare, præter ſi in itinere longo ambulaverint; quia ſicut mulier orans in Eccleſia non velato capite deturpat caput ſuum, juxta Apoſtoli vocem; ita Sacerdos ſine operimento deturpat Sacerdotium ſuum. Quod ſi temere præſumpſerit contra ſtatuta agere, communione privetur „ „. (ibidem Can. *Epiſcopi.*)

Leo IV. in Synodo romana, Can. 12. „ „ Sine Ornatu Sacerdotali extra domos Sacerdotes apparere non convenit... Contrarius inventus, aut deſinat, aut canonicæ ſubjaceat diſciplinæ „. (Can. *Sine*, ibidem)

Concilium Lateranenſe ſub *Innocentio II.* Can. 4. „ „ Præcipimus, ut tam Epiſcopi, quam Clerici in ſtatu mentis, in habitu corporis, Deo & hominibus placere ſtudeant; & nec in ſuperfluitate, ſciſſura, aut colore veſtium, nec in tonſura intuentium, quorum forma, & exemplum eſſe debent, offendant aſpectum; ſed potius, quod eorum deceat ſanctitatem præſeferant; quod ſi moniti ab Epiſcopis emendare noluerint, eccleſiaſticis careant beneficiis „ „.

Concilium Matiſconenſe 1. anno quingenteſimo octogeſimo primo celebratum, Can. 5. ſtatuit: „ „ Ut nullus Clericus ſagum, aut veſtimenta, vel calceamenta ſæcularia, niſi quæ Religionem deceant, induere præſumat. Quod ſi poſt hanc definitionem Clericus, cum indecenti veſte, aut cum armis inventus fuerit, a Seniore ita coerceatur, ut triginta dierum incluſive detentus, aqua tantum, & modico pane diebus ſingulis ſuſtentetur „ „.

Greg.

Greg. IX. cap. *Si quis*, Extra. De vita, & honestate Clericorum: „ Si quis ex Clericis comam relaxaverit; anathema sit „.

Concilium Carth. 4. Can. 44. „ Clericus neque comam nutriat, neque barbam „. (Cap. *Clericus*, ibidem.)

Alexander III. cap. *Clericus*, 2. ibidem: „ Clerici, qui comam nutriunt, & barbam, etiam inviti a suis Archidiaconis tondeantur „.

Concilium Lateran. sub *Innocentio III.* Can. 16. „ Clerici coronam, & tonsuram habeant congruentem .. Clausa deferant desuper indumenta, nimia brevitate, vel longitudine non notanda „.

Concilium Trid., Sess. 14 cap. 6. De Reformatione: „ Quia vero etsi habitus non facit monachum, oportet tamen Clericos vestes proprio congruentes Ordini semper deferre, ut per decentiam habitus extrinseci morum honestatem intrinsecam ostendant; tanta autem hodie aliquorum inolevit temeritas, religionisque contemptus, ut propriam dignitatem, & honorem clericalem parvipendentes, vestes etiam deferant publice laicales, pedes in diversis ponentes, unum in divinis, alterum in carnalibus; propterea omnes ecclesiasticæ personæ quantumcunque exemptæ, quæ aut in Sacris fuerint, aut dignitates, personatus, officia, aut beneficia qualiacunque ecclesiastica obtinuerint; si, postquam ab Episcopo suo, etiam per edictum publicum, moniti fuerint, honestum habitum clericalem, illorum Ordini, & dignitati congruentem, & juxta ipsius Episcopi ordinationem, & mandatum non detulerint, per Suspensionem ab ordinibus, ac officio, & beneficio, ac fructibus, redditibus, & proventibus ipsorum beneficiorum, nec non, si semel correpti, denuo in hoc deliquerint, etiam per privationem officiorum, & beneficiorum hujusmodi coerceri possint, & debeant; constitutionem *CLEMENTIS V.* in Concilio Viennensi editam, quæ incipit: *QUONIAM*, innovando, & ampliando „ „.

Concilium Mediolanense 1. cap. 23. „„ Presbyteri, Diaconi, Subdiaconi, cæterique Clerici, clericali tonsura sint insigniti ad eam formam, quam ratio uniuscujusque Ordinis, Episcopi arbitrio postulabit. Ita sint abraso capillo, ut tonsura conspicua sit omnibus. Comam vero, & barbam, ne studiose nutriant, capillis simplicem cultum adhibeant. Ne in habitu clericali, aut studiosius exquisita cultus elegantia, aut nimis abjecta negligentia, & affectatæ sordes appareant. In omni vestitu color tantum niger adhibeatur; nisi fortasse alium colorem requirat dignitatis gradus. Omnem habitus, & ornamenti novitatem Clerici fugiant. Ne serico vestimento, aut ornamento domi, vel foris utantur. Jubemus vero illos laneum, & ei Ordini decorum vestimentum adhibere. Reticulum, aut subbirretum (ut vocant) ne ferant, nisi valetudinis causa, & sine redimiculis. Camisias ad collum, & ad manus crispas, & rugosas, vel artificio elaboratas rejiciant. Collare simplex, ac modice latum honeste reclinetur. Extrema vestis simplex, ac talaris erit „„.

Eadem pene præcipiunt Concilium Burdigalense anno 1583. cap 11. Bituricense anno 1584. Tit. 25. *de Clericis.* Aquense anno 1585. Tit. *de Vita, & honestate Clericorum;* breviores quidem vestes in itinere permittit, sed ne omnino supra genua sint, vetat. Tolosanum anno 1590. P. 1. cap. 4. ubi & *Sixti V.* Constitutionem de habitu, & tonsura Clericorum, quæ incipit, *Cum sacrosanctum*, observari jubet. Avenionense, cap. 31.

REGULA II.

Modestiam in vestibus, & in domestica suppellectili, nec non frugalitatem in mensa, Clerici quavis dignitate fulgentes, & quantumlibet divites servare tenentur.

Clericorum modestia, & frugalitas.

Hanc Regulam tradit Concilium Carthaginense quartum, cui *S. August.* intererat, Can. 15. „ Episcopus vilem suppellectilem, & mensam, ac victum „ pau-

„ pauperem habeat, & dignitatis ſuæ auctoritatem „ fide, & vitæ meritis quærat „.

Eamdem Regulam confirmat ſacra Synodus Tridentina Seſſ. 25. cap. 1. de Reformatione. „ „ Optandum eſt (*inquit*) ut ii, qui Epiſcopale miniſterium ſuſcipiunt, quæ ſuæ ſint partes agnoſcant, ac ſe non ad propria commoda, non ad divitias, aut luxum, ſed ad labores, & ſolicitudines pro Dei gloria vocatos eſſe intelligant. Nec enim dubitandum eſt, & Fideles reliquos ad religionem, innocentiamque facilius inflammandos, ſi præpoſitos ſuos viderint, non ea, quæ mundi ſunt, ſed animarum ſalutem, ac cœleſtem patriam cogitantes. Hæc cum ad reſtituendam eccleſiaſticam diſciplinam præcipua eſſe S. Synodus animadvertat, admonet Epiſcopos omnes, ut ſecum ea ſæpe meditantes, factis etiam ipſis, ac vitæ actionibus (quod eſt veluti perpetuum quoddam prædicandi genus) ſe muneri ſuo conformes oſtendant. Imprimis vero ita mores ſuos omnes componant, ut reliqui ab eis frugalitatis, modeſtiæ, continentiæ, ac, quæ nos tantopere commendat Deo, ſanctæ humilitatis exempla petere poſſint. Quapropter exemplo Patrum noſtrorum in Conc. Carthaginenſi, non ſolum jubet, ut Epiſcopi modeſta ſuppellectili, & menſa, ac frugali victu contenti ſint; verum etiam in reliquo vitæ genere, ac tota eorum domo caveant, ne quid appareat, quod a ſancto hoc inſtituto ſit alienum, quodque non ſimplicitatem, Dei zelum, ac vanitatum contemptum præſeferat „ „. Quæ lex Epiſcopis a ſacro Concilio poſita eſt, multo magis ſecundi Ordinis Sacerdotes, ſplendidis licet, ac opimis beneficiis auctos, & patrimonio locupletes, & natalium claritate illuſtres adſtringit.

Nec eſt, quod tueudum ſuæ dignitatis ſplendorem oſtendant. Hanc enim excuſationem egregie depellit *S. Bernardus* lib. 4. *de Conſideratione*, cap. 2. „ „ Vides (*inquit*) eccleſiaſticum zelum fervere pro ſola dignitate tuenda? Honori totum datur; ſanctitati nihil, aut parum. Si cauſa requirente paullo

ſubmiſſius agere, ac ſocialius te habere tentaveris; Abſit (inquiunt) non decet, tempori non congruit, majeſtati non convenit; quam geras perſonam attendito. De placito Dei ultima mentio eſt; pro jactura ſalutis nulla cunctatio; niſi quod ſublime eſt, hoc ſalutare dicamus, & quod gloriam redolet, id juſtum; ita omne humile probro ducitur, ut facilius, qui eſſe quam qui apparere humilis velit, invenias „„.

Et *Petrus Bleſenſis*, Epiſtola 15. ad filium cujuſdam Comitis electum Epiſcopum Carnotenſem; „„ Si te (*inquit*) illius diſcipulum profiteris, qui venit miniſtrare, non miniſtrari; ſic miniſtrabis pauperibus, ut non vituperetur miniſterium tuum; ut patrimonium Chriſti, & pauperum ejus, quod tibi commiſſum eſt, in egentium neceſſitates, non in uſus extraordinarios expendatur. Patrimonii hujus zelator eſt Dominus, rationem tecum diſtrictiſſimam poſiturus, & uſque ad noviſſimum quadrantem exiget univerſa Sane propter hoc irritavit impius Deum: Dixit enim in corde ſuo: Non requiret. Sed certe requiret. Nec te poterunt excuſabilem reddere tuæ generoſitatis eminentia, & numeroſitas clientelæ. Si, quia filius Comitis, aut conſobrinus Regis es, manu effuſiore teneris expendere; neceſſitas hæc Chriſti patrimonium non contingit, expenſas, quas de rebus mundanis feciſſes, alias fortaſſis enormes pro tua generoſitate, debet in rebus eccleſiaſticis Epiſcopalis modeſtia exhibere „„.

Pſalm. 9.

REGULA III.

Abſtinere debent Clerici a cohabitatione, & frequentatione ſuſpectarum mulierum, nec non conſanguinearum, quas Canones ab eorum ædibus excludunt.

Cohabitatio, & familiarior converſatio cum mulieribus Clericis vetita.

Ita ſanxit Nicæna Synodus Canone 3. „„ Interdixit per omnia magna Synodus, non Epiſcopo, non Presbytero, non Diacono, nec alicui omnino, qui in Clero eſt, licere ſubintroductam habere mulierem; niſi forte, aut matrem, aut ſororem, aut amitam, vel

vel eas tantum personas, quæ suspicionem effugiunt „ „. Concil. Carthaginense 4. Can. 102. declarat „ „ Ad reatum Episcopi pertinere, si vel sustentandæ vitæ præsentis causa viduæ, vel Sanctimoniales Clericorum familiaritatibus subjiciantur „ „. Ancillas habere sacris hominibus vetant Conc. Aurelianense 2. can. 4. Toletanum 2. Can. 3. Matisconense Can. 1. Avernense, Can. 15. & 16. Turonense 2. Can. 11. Tam sanctæ disciplinæ violatoribus minas excommunicationis intentat Aurelianense 5. Can. 3. „ „ Nullus Episcoporum, Presbyterorum, & Diaconorum, extranearum mulierum intra domum præsumat habere solatium, quibus etiam pro utilitate sua aliqua familiarius regenda committat. Quod etiam de propinquis fœminis indicentes similiter prohibemus; ne sub concessa sibi licentia parentali, ex earum sequipedis memoratorum vita, vel opinio polluatur „ „. Concilium Bracarense 3. Canon. 4. solam matrem excipit, non sorores, aut propinquas: „ Ne licentia sororum, aut propinquarum mu„ lierum, quisquam solus familiarior habeatur ad per„ petrandum scelus „; hujus præcepti transgressores sex mensibus pœnitentiæ subdit. Concilium Forojulense Canon 4. omnes omnino mulieres, etiam consanguineas propinquioris gradus, a domo, & cohabitatione sacrorum hominum excludit. „ „ Et quamquam (*inquit*) de quibusdam inhonesta carentibus suspicione, clementius aliquo modo inibi legatur indultum; nos tamen omnes omnino necessarium vetare prospeximus; eoquod experimento didicerimus, illarum velamento alias licentius ad eos aditum veniendi, perditionis causam habuisse „„. *Concilium Metense can.* 3. „ „ Nequaquam in sua domo secum aliquam fœminam habeant, nec matrem, nec sororem; sed auferentes omnem occasionem satanæ, Angelicam vitam ducant, & Domino Deo casto corpore, & mundo corde finetenus serviant „ „„. *Concilium Nannetense can.* 3. „ „ Prohibendum, & modis omnibus interminandum est, ut nullus Sacerdos eas personas fœmina-

minarum, ſicut & in Canone inſertum continetur, de quibus ſuſpicio eſſe poteſt, in domo ſua habeat, ſed neque illas, quas Canones concedunt; (quia inſtigante diabolo etiam in illis ſcelus frequenter perpetratum reperitur, aut etiam in pediſſequis illarum,) ſcilicet matrem, amitam, ſororem; ſed ſi quis de his habuerit talem neceſſitatem patientem, cui ſit neceſſaria ſuſtentatio Presbyteri, habeat in vico, aut in villa domum longe a Presbyteri converſatione, & ibi ei ſubminiſtret, quæ neceſſaria ſunt „ „. Inſertus eſt hic Canon lib. 7. Capitularium, cap. 376. Concilium Aquenſe vetat, ne Clerici „ „ cum mulieribus cujuſvis generis, & conditionis cohabitent, præterquam cum matribus; & ſororibus, ſine Ordinarii licentia ſcriptis conceſſa; *nec ancillas habere permittit*, niſi quæ annum quinquageſimum ætatis exegerint, & vitam non ſuſpectam duxerint „ „.

S. Carolus Borromæus in Admonitionibus ad Sacerdotes, & Clericos in Concilio Mediolanenſi 4. probatis, hanc Regulam confirmat. „ „ Ad caſtitatem (*inquit*) conſervandam, munite omnem viam... Suſpectarum autem mulierum conſortium omnino vitate... Cum aliis vero quibuſvis mulieribus, quamvis, vel arctiſſimo conſanguinitatis, vel affinitatis vinculo vobis illæ conjunctæ ſint, ne in eiſdem domiciliis, ædibuſve ſimul habitate, niſi cum ex cauſa alicui veſtrum aliquando Epiſcopalibus literis permiſſum ſit. In famulatu laicorum ne ſitis, multo minus fæminarum, quam Nobilium. Ne vero illas muſicam, literaſve docete, niſi ſcripta nominatim facultate ab Epiſcopo permiſſum cuiquam ſit „ „. Concilium Avenionenſe anno 1594. „ „ Caveant Clerici, ne partem domus, quam inhabitant, laico habenti uxorem, vel alias mulieres, de quibus poſſit haberi ſuſpicio, etiamſi ſit frater, locent „ „. Idem Concilium ancillas Clericis non concedit, niſi „ „ ſint provectæ ætatis, quæ ſcilicet quinquageſimum annum expleverint, nec alias impudice vixerint, nec niſi licentia prius in ſcriptis obtenta ab Ordinario „ „. Horum Decretorum ratio

eſt,

est, ne antiqui hostis fraude Clerici decipiantur, ne templum Dei violare ipsos contingat, quod qui violaverit, disperdet illum Deus; ne profanorum hominum oblocutionibus pateant, & vituperetur ministerium nostrum. Ut enim ait Auctor libri *De Singularitate Clericorum*, inter Opera *S. Cypriani editi*: „ „ Noxia est innocentia, quæ Sponsæ Christi officit famæ. Et cum Christus Agnus innocens, imo ipse cœlestis innocentia, totum se contempserit pro Ecclesia, ut eam sine macula ulla, vel ruga redderet illibatam; qualis est Clericus, cui ad hoc Sponsa Christi committitur, ut pro unius fœminæ amore culpari totam Ecclesiam patiatur? Audemus dicere, a Deo Patre missus est Filius de sinu Patris, & regno absens esse duravit, ut Ecclesiam faceret innocentem, & Clericus mulieris latus delerere non potest, ne Christi Ecclesiam reddat infamem? *Et infra, Clericos sic alloquitur.* Contemplamini, quid sit populo sancto præesse, & considerate, quale sit divinis Sacramentis insistere. Alteris placere debent, qui alteris vivunt; & talis convenit cura sinceritatis Sacratis, qualia sunt sacra ipsa, quibus exhibent officia servitutis; ne circa Dominum offendant ipsi, quod tractant, aut circa populum incipiant impedire, quod prædicant. Propter quod Apostolus sic testificatur: Et omnia sustinemus, ne quod impedimentum demus Evangelio Christi. Et iterum: Nemini dantes ullam offensionem, ut non vituperetur ministerium nostrum... Unusquisque, qui securus est, quia necdum tentatur, timeat; quia nihil de illo dicitur, prospiciat, ne dicatur; homines sumus, fragilitatem nostram carne portamus. Accipimus quidem fortitudinem spiritualem, per quam substantiæ nostræ fragilitas roboretur; sed ita nobis spiritualis fortitudo collata est, ut providos, non ne præcipites tueatur; ut illos muniat, qui renuntiant importunitatibus delictorum, non eos, qui se magis importunis delictis immergunt. Custos nobis datus est Spiritus, sed ut contraria declinantibus assistendo subveniat, non ut contraria eligentibus faveat, nec ut voluntarios,

rios, & pronos in adversa confortet, sed ut ab adversis nitentes separari confirmet. Nam quicunque pernicioſis conatibus audet exercere virtutem, juvamen non habet Spiritus ſancti, qui neminem vult ultroneum virum fortem ad fraudulentas victorias coarctari; nec protegit eum, quin imo deſerit, quem periculis irruentem per illicitos eventus exquirere triumphos agnoverit, ſicut ipſe jam tunc per Salomonem
Eccl. 3. 27. locutus eſt dicens: AMANS *periculum in ipſo peribit*... Rogo vos, hæc ſint ſtudia omnium Clericorum, ut ſingularitatis inacculabilis feceſſione fungantur; ne aut ipſi per fæminas, aut fæminæ per illos ad ignominioſa ludibria provocentur. Si quis habet matrem, vel filiam, vel ſororem, vel conjugem, vel cognatam, ſic habeat, ut nulla ancilla interſit, neque aliqua ingrediatur extranea; ne ad hoc videatur tenere proximas ſuas, ut ipſarum cauſa libere ſibi adhibeat alienas; quod ſi non poſſunt ipſæ, quæ ſunt proximæ, ſine famularum miniſterio, vel ſine amicarum eſſe ſolatio, expedit, ut migrent ad aliud domicilium, quam propter illas perſonæ contrariæ teneantur. Humanum eſt enim, ut nec Clericus illas neceſſariis fæminis fraudet, nec ipſæ Clericum per importunas fæminas forbident. Aſſignari poſſunt ſanctis mulieribus, cum quibus vivant, dummodo cum Clerico fæmina nulla commaneat. Non deſpecta, non vetula ſine affinitate, peculiariter ſuſcipienda ad domeſticum obſequium; quia magis illicite delinquitur, ubi ſine ſuſpicione ſecurum poteſt eſſe delictum, maxime quia cupidini nulla deformitas, nulla deſpectio faſtidii, vel vilis exiſtit, ſed diabolus pingens ſpecioſum efficit, quidquid fœdum, vel horridum fuerit „„.

Legatur *S. Hieronymus* Epiſt. 2. ad *Nepotianum*, qua vitæ clericalis regulas exponit. „„ Hoſpitiolum tuum (*inquit*) aut raro, aut nunquam mulierum pedes terant. Omnes puellas, & virgines Chriſti, aut æqualiter ignora, aut æqualiter dilige. Ne ſub eodem tecto manſiſſes, neque in præterita caſtitate confidas. Nec ſanctior David, nec Samſone fortior, nec

Sa-

Salomone potes esse sapientior. Memento semper, quod Paradisi colonum de possessione sua mulier ejecerit. Ægrotanti tibi quilibet sanctus frater assistat, & germana vel mater, aut probatæ quælibet apud omnes fidei. Quod si hujuscemodi non fuerint consanguinitatis, castimoniæque personæ, multas anus nutrit Ecclesia, quæ & officium præbeant, & beneficium accipiant ministrando, ut infirmitas quoque tua fructum habeat eleemosynæ. Scio, quosdam convaluisse corpore, & animo ægrotare cœpisse. Periculose tibi ministrat, cujus vultum frequenter attendis „ „.

Item *S. Ambrosius*, libro 1. *de Officiis ministrorum*, cap. 20. „ „ Viduarum (*inquit*) ac virginum domos nisi visitandi gratia, juniores adire non est opus; & hoc cum senioribus, hoc est, cum Episcopo, vel si gravior est causa, cum Presbyteris. Quid necesse est, ut demus sæcularibus obtrectandi locum? Quid opus est, ut illæ quoque visitationes crebræ accipiant auctoritatem? Quid si aliqua illarum forte labatur? Cur alieni lapsus subeas invidiam? Quam multos etiam fortes illecebra decipit? Quanti non dederunt errori locum, & dederunt suspicioni? Cur non illa tempora, quibus ab Ecclesia vacas, lectioni impendas? Cur non Christum revisas, Christum alloquaris, Christum audias? Illum alloquimur, cum oramus; illum audimus, cum divina legimus oracula. Quid nobis cum alienis domibus? Una est domus, quæ omnes capit. Illi potius ad nos veniant, qui nos requirunt. Quid nobis cum fabulis? Ministerium Altaribus Christi, non obsequium hominibus deferendum recepimus „ „.

Et *S. Gregorius*, lib. 7. Epist. 39. ad *Romanum* Defensorem data: „ „ Si qui (*inquit*) Episcoporum cum mulieribus degunt, hoc omnino compescas, & de cætero eas illic habitare nullo modo patiaris, exceptis eis, quas sacrorum Canonum Censura permittit, id est, matre, amita, germana, & aliis hujusmodi, de quibus prava non possit esse suspicio. Melius

lius tamen faciunt, si etiam a talium se cohabitatione contineant. Nam legitur, quod beatus Augustinus nec cum sorore sua habitare consenserit, dicens: Quæ cum sorore mea sunt, sorores meæ non sunt. Docti ergo viri cautela, magna nobis esse debet instructio. Nam incautæ præsumptionis est, quod fortis pavet, minus validum non timere. Sapienter enim illicita superat, qui didicerit etiam non uti concessis.. Præterea curæ tuæ sit eosdem fratres nostros Episcopos adhortari, ut subjectos sibi, in sacris videlicet Ordinibus constitutos, quod ipsi servant, ad similitudinem sui modis omnibus servare commoneant „ „.

Theodorus Cappadociæ Presbyter a *S. Basilio* de dimittenda subintroducta muliere admonitus, respondit, se hominem septuagenarium, liberum ab omni corporali perturbatione; repositi vero S. Basilius: „ „ Neque enim credo eum, qui septuaginta annos natus est, cum muliere animi perturbatione commotum habitare; nec tanquam propter aliquam turpem actionem, quæ facta fuerit, statuimus ea, quæ statuimus; sed quia ab Apostolo edocti sumus, fratri non esse ponendum scandalum, vel offendiculum. Scimus autem, quod recte, & sane fit ab aliquibus, erit aliis occasio ad peccatum. Ea de causa decrevimus, sanctorum Patrum Constitutionem sequentes, ut a muliere separeris „ „.

REGULA IV.

Taxillis, tesseris sive Chartis, aliisque ludis aleatoriis ludere Clerici absque gravi crimine non possunt; nec licet illis ludentes studiose spectare, gravibusque pœnis subduntur sacrorum Canonum hac in re violatores.

Hi enim ludi non Clericis solum, sed & Laicis vetiti sunt, ut multiplicis peccati fontes, & per se mali. Ita Canones apostolici 42. & 43. „ Episcopus, aut Presbyter, aut Diaconus aleæ, atque ebrietati

„ rietati deſerviens aut deſinat, at certe damnetur „. „ Subdiaconus, aut Lector, aut Cantor ſimilia fa„ ciens aut deſinat, aut communione privetur. Si„ militer etiam Laicus „. Quatuor verba his in Canonibus obſervat *S. Raymundus*, ſcilicet, *deſerviens*, *deſinat*, *damnetur*, *Communione privetur*. Ex primo colligit, non incurſurum excommunicationem, niſi ludum aleæ in conſuetudinem duxerit. Ex ſecundo, etiamſi ludendi conſuetudinem contraxerit, ab ea Cenſura fore immunem, ſi admonitus deſtiterit. Ex tertio, & quarto colligit: „ Quod tale peccatum ſit „ mortale, & grave, cum tales pœnæ non ſint im„ ponendæ pro levi crimine „. Cauſa 11. qu. 3. can. *Nemo*, & *Nullus*.

Concilium Illiberitanum, Can. 79. „ Si quis Fidelis „ alea, id eſt, tabula luſerit, placuit eum abſtinere; „ & ſi emendatus ceſſaverit, poſt annum poterit „ communioni reconciliari „.

Concilium Trullanum, Can. 50. „ Nullum omnino, „ ſive Clericum, ſive Laicum, ab hoc deinceps tem„ pore alea ludere; qui ſecus fecerit, excommuni„ cetur „.

Concilium Oecumenicum Lateranenſe quartum ſub *Innocentio III.* Can. 16. „ Clerici (*inquit*) ad aleas, „ & taxillos non ludant, nec hujuſmodi ludis inter„ ſint „: Ubi Gloſſa: „ Hic (*inquit*) prohibetur Cle„ ricis non tantum ludere, ſed ne interſint ludo. In „ tantum, quod qui publice aleator eſt, repellitur a „ promotione „; iſt eſt, arcetur ab Ordinibus, & beneficiis; quod ex *Innocentio III.* confirmatur, cap. *Inter dilectos*, Ext. *De exceſſibus Prælatorum*, ubi Clericum alearum ludo deditum, & ex *conſuetudine Clericorum gallicanorum* ſe excuſantem, ab aditu beneficii ipſi collati repellit *propter indignitatem, & vilitatem ipſius*, cum perſonis vilibus, & indignis portæ dignitatum patere non debeant juxta legitimas ſanctiones: „ „ Nos (*inquit*) qui ex officii noſtri debito peſtes hujuſmodi extirpare proponimus; atque ludos voluptuoſos (occaſione quorum ſub quadam curioſita-

Cap. Clerici, Ext. De vita, & honeſtate Clericorum.

tis

tis imagine, ad dissolutionis materiam devenitur) penitus improbamus, excusationem prædictam, quæ per pravam consuetudinem (quæ corruptela dicenda est) palliatur, frivolam reputantes; cum in illis magis plectibilis sit offensa, per quos ad excusandas excusationes in culpis delinquendi auctoritas usurpatur, &c „„. Citat Glossam, & *Justiniani* Imperatoris legem, in Authentica *De sanctissimis Episcopis, & Clericis* seu Novella 123. cap. 10. cujus hæc sunt verba: „„ Interdicimus autem sanctissimis Episcopis, Presbyteris, & Diaconis, & Subdiaconis, Lectoribus, & omnibus aliis cujuslibet venerandi Collegii, aut schematis constitutis, ad tabulas ludere, aut aliis ludentibus participes, aut inspectores fieri, aut ad quodlibet spectaculorum spectandi gratia venire. Si quis autem ex his hoc deliquerit, jubemus, hunc tribus annis a venerabili ministerio prohiberi, & in monasterium redigi. Si autem in medio tempore ostenderit dignam sui vitii pœnitentiam, liceat, & Sacerdoti, sub quo constitutus est, minuere tempus, & hunc rursus proprio reddere ministerio; scientibus quoque sanctissimis Episcopis debentibus hoc vindicare; aqui si tale aliquid agnoscentes non vindicaverint, ipsi rationem Deo pro tali causa persolvent „„. Quid Concilia Provincialia? Quid Diœcesanas Synodos innumeras commemorem? Quid Regum christianissimorum edicta, quæ ludos aleatorios Christianis omnibus, sed Clericis præsertim prohibuerunt? Anteriorum ea de re Conciliorum Decreta, Canonesque renovavit, & confirmavit Concilium Trid. sess. 22. cap 1. De Reformatione. „„ Nihil est (*inquit*) quod alios magis ad pietatem, & Dei cultum assidue instruat, quam eorum vita, & exemplum, qui se divino ministerio dedicarunt; cum a rebus sæculi in altiorem sublati locum conspiciantur; in quos tanquam in speculum reliqui oculos conjiciunt, ex iisque sumunt, quod imitentur. Quapropter sic decet omnino Clericos in sortem Domini vocatos, vitam, moresque suos omnes componere, ut habitu, gestu, incessu, sermone, aliis-

Clerici aleatores, aut ludentium participes, vel inspectores graviter plexi.

aliisque omnibus rebus, nil nisi grave, moderatum, ac Religione plenum præseferant; levia etiam delicta, quæ in ipsis maxima essent, effugiant, ut eorum actiones cunctis afferant venerationem. Cum igitur quo majore in Ecclesia Dei, & utilitate, & ornamento hæc sunt, ita etiam diligentius sint observanda; statuit sancta Synodus, ut quæ alias a summis Pontificibus, & a sacris Conciliis, de Clericorum vita, honestate, cultu, doctrinaque retinenda; ac simul de luxu, comessationibus, choreis, ALEIS, LUSIBUS, ac quibuscumque criminibus, nec non sæcularibus negotiis fugiendis copiose, ac salubriter sancita fuerunt, eadem imposterum iisdem pœnis, vel majoribus, arbitrio Ordinarii imponendis observentur; nec appellatio executionem hanc, quæ ad morum correctionem pertinet, suspendat.

Non solum alea ludere, sed ludentium spectatores esse Clericos, Concilia vetant.

Idem confirmarunt Concilia Provincialia Tridentinum secuta. Mediolanense 1. P. 2. „ „ Clericalis Ordinis hominibus omni genere saltationis, & ludi, præsertim vero aleæ, & tesserarum, ac talorum interdicimus. Prohibemus etiam globos, qui malleis ligneis impelluntur; item follis ludum, id est, pilæ majoris. Nec solum ludere vetamus, sed eos ludorum spectatores esse nolumus, aut quemquam ludentem in ædibus suis permittere. Si autem valetudinis interdum causa parva pila, aut alio non indecoro ejusmodi exercitationis genere uti contigerit, nec publice id faciant, nec pecunia intercedat in ludo, nec quidquam, quod facile pecunia æstimari possit „ „.

Clerici, qui in ludis alearum quæstum faciunt, ad restitutionem tenentur.

Concilium Remense anno 1583. tit. De Clericis in genere. „ „ Ab alea, venatione, & omni ludorum genere ecclesiasticis personis interdicto, & indecoro prorsus abstineant; nec unquam aliis quam honestis recreationibus sese exerceant, nulla ducti sordidi lucri cupiditate. Quod si cum injuria Ordinis ecclesiastici deinceps quisquam Ecclesiæ bona, quibus pauperes ali oportuit, in ejusmodi lusus profudisse convictus sit; & qui quæstum fecit, rem pauperum male partam restituere, & qui jacturam passus est, tanquam

sacri

sacri patrimonii dilapidator, graves pœnas exsolvere cogatur „ „.

Sacri patrimonii dilapidatores, qui jacturâ faciunt.

Concilium Burdigalense, eodem anno, Tit. 21. „ Clerici ab alea, tesseris, chartis, & quovis alio „ vetito, & indecoro ludo, cum privatim, tum pu„ blice penitus abstineant „. Idem statuunt Concilium Bituricense 1584. Tit. 20. can. 7. Aquense 1585. Tit. *de vita, & honestate Clericorum.*

Restitutionis lege tenentur, qui pecuniam in hujusmodi ludis lucrantur.

Synodus mexicana lib. 3. tit. 5. cap. De ludis Clericis prohibitis. „ „ Cujusvis generis ludus hominibus maxime nocumento est, Clericis præsertim, quibus ratione clericalis Officii in sancte, & laudabiliter agendo tempus terrendum esset, ab eisque redditus ecclesiastici piis operibus essent impendendi. Eam ob causam hæc Synodus decernit, & jubet, ne ullus sacro Ordine initiatus, aut beneficiatus hujus Archiepiscopatus, & provinciæ clam, aut publice, per se, vel interpositam personam ludum prohibitum exerceat, veluti aleæ, tesserarum, ac talorum, quæ ludorum genera Regiis sanctionibus prohibentur; nec in ludo pecuniæ, gemmæ, aut alia, quæ pecunia æstimari possunt, intercedant, sub pœna restituendi totum id, quod ludendo lucrati fuerint „ „. Ludentibus præterea mulctam imponit. Vetat etiam ne spectatores ludorum sint, ne in suis domibus ludum permittant, nec aleas porrigant, nec pro aleis pretium extorqueant, nec mutuo pecunias dent ad ludendum, & pro quoquam in ludo spondeant. Sin minus, contra Clericos hujusmodi aleatorum susceptores procedatur, & ita coerceantur, ut populus ædificetur, & tam turpis corruptela, ac ministris Dei prorsus indigna, funditus extirpetur. „ „ Præterea, ut omnem gravitatem, & modestiam (prout decet clericalem statum) Clerici profiteantur, eis publice pila ludere prohibetur, & privatim quoque cum sæcularibus, vel coram sæcularibus personis, globos ligneos publice ludendo ne impellant. Scachis, aut aliis ludis permissis ne ludant in locis publicis, aut in domibus, quo ad id mul-

Ludus Scachorum, aliique ludi honesti, quibus conditionibus Clericis liceant.

multitudo hominum convenit. Si autem in occulto ludos licitos hujusmodi exercuerint, numerosa pecunia in eis non intercedat; aliter enim pro qualitate excessus corrigentur.. Nequaquam autem publice, aut privatim Clerici cum mulieribus etiam consanguineis ludant. *Statuit denique* ut recreandi animi causa, extra tempus Adventus, & Quadragesimæ, ludi liciti Clericis permittantur, summa duorum pondo tantum intercedente, dummodo id raro, sine scandalo, & cum personis honestis fiat. Qui vero summam pecuniæ hujusmodi excesserint, in foro conscientiæ restituere tenebuntur, quidquid amplius fuerint lucrati „„.

Concilium Aquilejense Rubrica 11. „„ Alearum, & taxillorum usum, quo tempus misera jucunditate teritur Clericis omnibus inhibemus; multo vero gravius, si non modo luserint ipsi, sed aliis ludendi potestatem fecerint, parato loco, & domestico diversiculo. Episcoporum vero vigilantia, & prudentia edictis, ac pœnis propositis opportunum erit remedium adhibendum, ut pestis avertatur, qua miserorum facultates suavi morbo exhauriuntur, blasphemiæ, & rerum desperationes excitantur, cupiditatum intemperantiorum, & fraudum oblectamenta aluntur, denique ipsa Dei clementia assidue offenditur; qui tanto periculosior morbus est, quanto ardentius interdum animos Clericorum occupat, & ecclesiasticas opes pervadit „„.

Narbonense anno 1609. cap. 41. „„ Non ludant aleis, tesseris, chartis, aut alio ludo prohibito, vel indecoro; præsertim publice, ut illorum in omnibus nota modestia promptiores eos reddat ad libere in hoc peccantes arguendum „„.

Ludi aleatorii a Patribus damnati.

Ludos aleatorios a Patribus damnatos, nemo negaverit, qui in eorum lectione fuerit vel mediocriter versatus. *Apollonius* vetus Auctor ecclesiasticus, Montanum, ejusque sectatrices fœminas, de prophetiæ dono falso gloriari ostendit, quod indignam non Prophetis modo, sed Christianis vitam agerent.

„„ Neceſſe eſt (*inquit*) ut omnes Prophetæ fructus, atque actus probentur. Dic mihi, tingitne capillos Propheta? An ſtibio oculos linit? An ſtudet ornari? Prophetane tabula ludit, & teſſeris? An pecuniam locat fœnori? Ingenue fateantur, ac reſpondeant, utrum hæc agere liceat, an ſecus. Ego vero hæc apud ipſos acta eſſe convincam „„. Refert *Euſebius* lib. 5. *Hiſtoriæ eccleſiaſticæ*, cap. 18.

Clemens Alexandrinus lib. 3. *Pædagogi*, cap. 11. „„ Jam vero (*inquit*) prohibendus quoque eſt teſſerarum ludus, & præterea ex talorum ludo lucri ſtudium, quod nonnulli acriter ſequuntur. Talia enim inconſideratus luxuriæ amor otioſis oblectamenta ſuppeditat; in cauſa enim eſt deſidia „„.

S. Baſilius Homilia 8. in Hexaemeron: „„ Si vos (*inquit*) dimiſero, ſunt qui protinus ad teſſeras, aleaſque ſeſe conferent. Juramenta ſunt illic, contentioneſque pergraves, ac avaritiæ partus. Spiritus malignus aſſiſtit, furorem punctis offibus illis ludentium inſaniamque accendens. Eaſdem ille pecunias nunc ad hunc, nunc ad alterum transfert. Atque modo hunc victoria effert, illum victum mœſtitia premit; modo contra illum elatum, hunc demiſſum oſtendit. Quid prodeſt quæſo, corpore jejunare, animam vero mille vitiis, mille malis eſſe refertam „„? Legatur & *S. Ambroſius* libro *de Tobia*, cap. 11.

S. Ephrem libro de Abrenuntiatione in Baptiſmo facta: „„ Abrenuntiatio (*inquit*) quam in Baptiſmo facimus, nominata quidem apparet parva; cæterum intellecta, admodum magna, quam qui ſervare voluerit, beatiſſimus erit. Paucis namque verbis cuncta, quæ nominantur, mala quæque odit Deus, valere jubemus, & abrenuntiamus. Abrenuntio ſatanæ, & cunctis operibus ejus. Quibus (inquam) operibus? Fornicationi, adulterio, immunditiæ, furto, invidiæ, veneficio, divinationi, *&c.* Abrenuntio alearum otio, & tabularum luſui, ſicut etiam ſancti Apoſtoli hiſce operam dantes, atque vacantes

ex-

excommunicatos esse ordinarunt in suis Canonibus, si Laici fuerint; at si Clerici; ut deponantur. Præfata igitur hæc opera mala, qui post gratiam in sacro Baptismate acceptam fecerit, gratia excidit, Christusque tali in peccatis permanenti nihil proderit „ „.

S. Joannes Chrysostomus Homilia 15. ad populum Antiochenum: „ „ Aleas (*inquit*) tractare, non videtur multis peccatum esse manifestum, sed infinita vitæ mala solet inferre. Circa aleas studium blasphemias, iras, convitia, jacturas, infinitaque alia his graviora sæpe producit „ „.

S. Cæsarius Arelatensis, seu alius Auctor sermonis inter Augustinianos olim 56. *de Tempore*, nunc in Appendice 141. „ „ Tempus (*inquit*) quod nobis furiosus tabulæ ludus solebat auferre, lectio divina incipiat occupare. Otiosis fabulis, & mordacibus jocis, & detractionibus venenatis, colloquia de Scripturis sanctis succedant. Horarum spatiis, in quibus solebamus cum damno animæ detineri, visitentur infirmi, requirantur in carcere constituti, peregrini suscipiantur, & discordes, ad concordiam revocentur. Hoc si facimus, Fratres, inde nobis parare possumus medicamenta, unde nobis vulnera fecerамus „ „.

Auctor libri *de Aleatoribus*, inter *S. Cypriani* Opera editi: „ „ Quid illud est, quæso Fideles, ut manus, quæ jam ab injuriis humanis expiata est, & ad Sacrificium admissa, & quod ad salutem totius hominis pertinet, dignatione suscipit; quæ ad laudem Domini in oraculo exsurgit; quæ signum crucis, per quod tuemur, frontibus imprimit; ipsa, quæ divina Sacramenta consummat; quid est (inquam) ut iterum laqueis diaboli, unde exuta est, implicetur, & per ipsa damnetur? Aleatrices manus libidinoso studio consueverunt, id est, aleæ tabulæ, quod est diaboli venabulum, & delicti vulnus insanabile... Christianus qui es, & aleæ tabula ludis; licet non sacrifices, lege hujus facinoris particeps es. Christianus qui-

cunque es, & alea ludis, hoc primum in hoc loco credere debes, quia non christianum, sed ethnicum tibi nomen est; & illud, quod ad Sacrificium Dominicum pertinet, in vacuum sumis; sic enim dicit: Omnis immundus non tanget Sacrificium Sancti. Aleator quicunque es, Christianum te dicis; quod non es, eo quod sæculi particeps es; nec amicus Christi potes esse, qui cum inimico Christi tenes amicitiam... Alea ne luseris, ubi lusus nocivus est, & crimen mortale „ „.

Joannes Sarisberiensis lib. 1. De Nugis Curialium, cap. 5. „ „ Quis non erubescat, si sortis suæ gratiam non virtuti debeat, sed taxillis? Nonne satis improbata est cujusque artis exercitatio, qua quanto quisque doctior, tanto nequior? Aleator quidem omnis hic est. Mendaciorum siquidem, & perjuriorum mater est alea, & aliena concupiscentia sua prodigit, & nullam habens patrimonii reverentiam, cum illud effuderit, sensim in furta delabitur, & rapinas... Chilon Lacedemonius jungendæ societatis causa missus Corinthum, duces, & seniores populi ludendes invenit alea. Infecto itaque negotio reversus est, dicens: Se nolle gloriam Spartanorum, quorum virtus constructo Byzantio clarescebat, hac maculare infamia, ut dicerentur, cum aleatoribus contraxisse societatem „ „.

S. Raymundus lib. 2. *Summæ*, tit. 3. §. 11. „ „ Ii, qui ludunt ad aleas, vel taxillos, vel qui ludo interfunt, vel sunt participes, vel inspectores ludi, peccant, & maxime si sunt Clerici... Quam magnum peccatum sit, patet inter alia ex novem, quæ in talibus ludis attenduntur. Primum, desiderium lucrandi; ecce cupiditas, quæ radix est omnium malorum. Secundum, est voluntas spoliandi proximum; ecce rapina. Tertium, est usura maxima (*Extra, De excessibus Prælatorum cap. Inter Dilectos.*) Quartum, est multiplicata mendacia, & verba otiosa, & vana. Quintum, est blasphemia; ecce hæresis. Sextum, corruptio multiplex proximorum, qui ad ludum inspiciendum de consuetudine prava conveniunt. Septimum, est scandalum

dalum bonorum. Octavum, est contemptus prohibitionis sanctæ matris Ecclesiæ. Nonum, est amissio temporis, & bonorum, quæ in illo tempore tenentur facere „„.

S. Antoninus, 2. p. *Summæ*, Tit. 1. cap 23. Ludum aleæ peccatum esse docet, utpote legibus canonicis, & civilibus prohibitum, non solum Clericis, sed etiam Laicis. Ludum autem aleæ esse ludum omnem, qui innititur fortunæ, ut ludus taxillorum; & idem videtur de chartis, quamvis sit ibi aliquid industriæ; principaliter enim est fortunæ. Ludus autem scachorum, non est fortunæ, sed industriæ; unde nec ipsis Clericis est prohibitus. Docet secundo, ludum aleæ esse peccatum mortale: „„ Quando ex cupiditate quis ludit, ea scilicet principaliter motus (*ut loquitur*) non ob recreationem, sed ad acquirendum quid notabile per ludum. Nam ludere quid modicum, ut pueri faciunt, vel ob recreationem, & moderate, non videtur mortale. Unde in Digestis Tit. de aleat. L. finali dicitur, quod in convivio vescendi causa ponitur, in eam rem familiæ ludere permittitur. Et hoc etiam videtur innuere textus Canonis, *Episcopus*; dicitur enim, *deserviens*, id est, frequenter deditus ludo, quod fit communiter ex cupiditate „„. Quod tamen non ita intelligendum admonet, quasi mortale peccatum non sit alea ludere, nisi ex consuetudine fiat, sed quia frequentia, & assiduitas vehementis cupiditatis indicium est. Cæterum, vel semel taxillis, aut chartis ludere ex cupiditate lucri notabilis, lethale peccatum est: „ Sicut etiam vitium ebrietatis, cui ludus æquiparatur in pœna, etiam semel commissum advertenter, „ est mortale „.

Ludus aleæ quando peccatum mortale sit?

Quando veniale.

Et §. 6. Vix ullum esse actum ait, ex quo tot mala oriantur, quot ex ludo. *Quot enim in taxillis sunt puncta, tot scelera ex eo procedunt. Primum, est amissio temporis. 2. Blasphemia. 3. Contumelia. 4. Dissipatio substantiæ temporalis. 5. Ecclesiæ contemptus, seu inobedientia. 6. Est furtum. 7. Est gula. 8. Homicidium.*

Mala ex ludo orta.

cidium. 9. *Invidia.* 10. *Rerum neceſſariarum in familia penuria*, ex qua uxoris, filiorum, domeſticorum querimoniæ, murmurationes, maledicta. 11. *Jactantia.* 12. *Mendacium.* 13. *Neglectus divinorum*, & Feſtorum dierum violatio, in quibus ludendo *plura peccata, & graviora committunt, quam ſi terram co-*
Lev. 23. 7. *lerent, quod eſt Feſta violare.* Opus ſervile non facietis in eo. *Peccatum eſt opus maxime ſervile.* 14. *Eſt odium*: Oderunt enim eos, qui vincunt, ſe ipſos, Deum, qui victoriam illis non tribuit. 15. *Participatio ſceleris; nam qui dant eis pecunias ad ludendum pro parte lucri, mortaliter peccant. Qui ludentes aſpiciunt, non ſunt immunes a peccatis multis curioſitatis & vanitatis. Sed & parentes, qui non caſtigant filios ludentes, graviter peccant.* Item, qui taxillos, chartaſve præbent, aut domum ad ludendum. 16. *Contentiones*, ex quibus *contumeliæ, & verba inordinata*, 17. eſt *Rapina. Aliquando enim quaſi violenter trahit unus alium ad ludum; vel volentem recedere, invitum tenet; vel falſos taxillos ſubmittit; & tunc eſt tanquam rapina, & reſtituere tenetur.* 18. eſt *Scandalum.* 19. *Triſtitia* in deſperationem aliquando inducens eos, qui perdunt. 20. *Uſura.* Si enim quis pro centum, quæ exponit mutuo, recipiens decem, vel quinque, dicitur uſurarius; quid dicendum eſt de eo, qui exponit ſe ludo cum decem florenis, & eadem die lucrabitur per ludum centum florenos? „ Certe videtur „ maxima uſura (*inquit S. Antoninus*) Unde, & pro „ ſe retinere non poteſt; ſed vel reſtituere tenetur in „ certis caſibus, vel pauperibus erogare in aliis „ 21. eſt *Chriſtianitatis vituperatio*, contra illud, quod ait Apoſtolus 2. ad Corinthios 6. Non vituperetur Miniſterium noſtrum, id eſt, *ſervitium, quo ſervimus Chriſto, ſed per ludum ſervitur diabolo. Sicut enim Deus invenit* 21. *literas primo*, (*nam aliæ poſtea ſunt ſuperadditæ*) *ad componenda Biblia, ubi eſt omnis Sapientia revelata; ita invenit diabolus taxillos* (& chartas) *Biblia ſua, ubi poſuit* 21. *puncta, literas ſuas nigras, ubi reperitur omnis malitia peccati... Non ergo debet dici Chriſtianus,*

stianus, qui deditus est ludo, cum vituperet nomen Christi.

REGULA V.

Ab omnibus spectaculis, & choreis abstinere debent Clerici; Canonum hac in re violatores graviter peccant, gravibusque pœnis ab Episcopis plecti debent.

Spectacula & choreæ Clericis prohibentur.

Quam periculosa sint innocentiæ, castisque moribus hæc oblectamenta, & quam studiose a Christianis omnibus vitari debeant, alias demonstrabimus; nunc satis erit, si probemus ecclesiastici Ordinis viris hæc speciatim, ac nominatim sacros Canones prohibere; adeoque graviter illos peccare, quoties hujusmodi spectaculis, choreis, profanis concentibus, ludisque publicis intersunt. Canonum verba subjicio.

Concilium Turonense 3. anno 813. celebratum Canone 7. „ „ Ab omnibus quæcunque ad aurium, & ad oculorum pertinent illecebras, unde vigor animi emolliri posse credatur, (quod de aliquibus generibus musicorum, aliisque nonnullis rebus sentiri potest,) Dei Sacerdotes abstinere debent; quia per aurium, oculorumque illecebras, vitiorum turba ad animam ingredi solet. Histrionum quoque turpium, & obscœnorum insolentias jocorum, & ipsi animo effugere, cæterisque Sacerdotibus effugienda prædicare debent „ „.

Concilium Cabilonense eodem anno, Canone 9. „ „ Ab omnibus oculorum, auriumque illecebris Sacerdotes abstinere debent; & canum, accipitrum, falconum, vel cæterarum hujusmodi rerum curam parvipendere, & histrionum, sive scurronum, & turpium, seu obscœnorum jocorum insolentiam, non solum ipsi respuant, verum etiam Fidelibus respuenda percenseant „ „.

Concilium Mediolanense 1. Constitutionum p. 2. tit. 25. „ „ Clerici Choreas privatas, aut publicas non agent, nec spectabunt. Fabulis, Comœdiis, & hastiludiis, aliisve profanis, & inanibus spectaculis non intererunt; ne aures, & oculi sacris officiis addicti, lu-

ludicris, impuris actionibus, sermonibusque distracti polluantur „„.

Concilium Burdigalense anno 1583. tit. 21. „„ Clerici nunquam personati incedant, neque comœdias, fabulas, choreas, vel quid aliud ludricum ex iis, quæ ab histrionibus exhibentur, agant, vel spectent; ne visus, & obtutus sacris mysteriis dicati, turpium spectaculorum contagione polluantur „„.

Concilium Turonense, eodem anno, cap. 14. „„ Ipsi autem Rectores, prout cæteri ecclesiastici, præsertim beneficiati, cum non tantum a gravi, sed etiam a leviore vitio abstinere debeant, & a mundi voluptatibus secedere, pompas, & spectacula publica, cætusque, ubi amatoria cantantur, aut obscæni motus corporum, choreis, & saltationibus exercentur, devitare, ne auditus, & obtutus sacris tantum mysteriis deputati, turpium spectaculorum, atque verborum lenocinia polluantur, &c „„.

Concilium Bituricense anno 1584. tit. 25. Can. 4. „„ Clerici nunquam personati sint; a comœdiis, mimis, choreis, ac saltationibus agendis, atque spectandis abstineant „„.

Idem prohibent Concilium Aquense anno 1585. titulo *De vita, & honestate Clericorum*, Avenionense 1594. tit. 32. Narbonense anno 1609. cap. 41. „„ Quod in populo veniale est, (*inquit*) in Sacerdote judicatur sacrilegium. Ideo, ut monemus populum, ita Clericos districte choreas quacunque ex causa ducere, aut illis interesse prohibemus; vitent tripudia, ludos publicos, larvas non gestent, aut larvatos sequantur; comœdias, fabulas, aut ludrica, & quæ ab histrionibus exhibentur, non agant; ad histriones non accedant; ne puritas Sacerdotis rerum inanium, aut etiam obscœnarum aspectu polluatur... Contra agentes pœna carceris, & alia ad arbitrium Ordinarii comprimantur „„. Idem Sacerdotibus sub pœna Suspensionis prohibent statuta Synodalia *S. Francisci Salesii* p. 3. tit. 4.

RE-

REGULA VI.

Clerici a crapula, & ebrietate abstinere debent; ipsisque prohibere possunt Episcopi sub pœna Suspensionis, aut aliis arbitrariis, ne tabernas ingrediantur.

Crapula, ebrietas, tabernarum frequentatio Clericis vetitæ.

Apostolus 1. ad *Timotheum* 3. Sacerdotis dotes describens, *Non vinolentum* requirit. Ideo Concilia tabernarum aditum Clericis inhibuerunt; nisi sint in itinere constituti.

Concilium Laodicenum can. 24. „ „ Non oportet altari servientes, a Presbyteris usque ad Diaconos, & deinceps Ordinis ecclesiastici omnes, tabernas introire „ „.

Concilium Agatense Can. 4. Clericum ebrium *Aut triginta dierum spatio communione submorendum* statuit, *aut corporali subdendum supplicio*.

Concilium Aquisgranense, anno 816. can. 90. veteris Concilii africanæ Ecclesiæ Canonem renovat, quo statutum est: „ Ut Clerici edendi, vel bibendi causa tabernas non ingrediantur, nisi peregrinationis necessitate compulsi „.

Concilium Lateranense 4. sub *Innocentio III.* Can. 15. qui refertur cap. *A crapula*, Extra, *de vita, & honestate Clericorum*, idem confirmat: „ „ A crapula (*inquit*) & ebrietate omnes Clerici diligenter abstineant; unde vinum sibi temperent, & se vino; nec ad bibendum quispiam incitetur; cum ebrietas & mentis inducat exilium, & libidinis provocet incentivum; unde illum abusum penitus decernimus abolendum, quo in quibusdam partibus ad potus æquales suo modo se obligant potatores; & ille judicio talium plus laudatur, qui plures inebriat, & calices fœcundiores exhaurit. Si quis autem super his se culpabilem exhibuerit, nisi a superiore commonitus satisfecerit, ab officio, vel beneficio suspendatur „ „.

Et Can. 16. „ Tabernas prorsus evitent, nisi forte „ causa necessitatis in itinere constituti „.

Concilium Herbipolense, Canone 2. „ „ Usum tabernarum, præterquam in itinere constitutis, omni-

bus Clericis, præsertim in Prælaturis, & sacris Ordinibus constitutis, omnino prohibemus. Et qui contra fecerint in publico, vel alibi, Laicis præsentibus, arbitrio Ordinarii puniantur „ „.

Concilium Sueſſionense: „ Ordinarii diligenter pu„niant Clericos aleæ servientes, ac tabernas frequen„tantes „.

Concilium Londinense anno 1175. can. 2. „„ Clerici in sacris Ordinibus constituti, edendi, vel bibendi causa tabernas non ingrediantur, nisi peregrinationis necessitate compulsi. Si quis vero tale quid fecerit, aut cesset, aut deponatur „ „.

Concilium Mediolanense 1. cap. 26. „ „ Non in comessationibus, & ebrietatibus, sed ut sobrie vivamus, prædicat Apostolus; ideo Clerici minus honestis conviviis neinterfint, neve ad bibendum quemquam incitent. Quod si interdum solemnibus Festis diebus, vel cum Sacrorum, aut exequiarum causa in unum congregantur, aliqui sint invitandi, ne plures sex, & eos Clericos, ad suam mensam adhibeant „ „.

„„ Ut flagitii occasionem, quæ in cauponis, & tabernis deesse non solet, Clericis adimamus, cauponarum aditu, & usu omnino eis interdicimus, nisi in itinere necessitatis causa; quo loco cum mulieribus ne discumbant. Monemus autem Episcopos, & vehementer hortamur, ut in singulis eorum civitatibus curent parandum unum, aut alterum pudicum, & honestum diversorium, quo suarum Diœceseon Clericis rusticanis necessitatis causa convenire liceat, nec in hospitio improbis, aut nequam hominibus locus sit, neve fœminæ ullo modo, sed tantum Clerici, ac religiosi viri, si fieri possit, in eo recipiantur „ „.

Concilium Remense anno 1583. „„ Ebrietati libidinis parenti, crapulæque, quæ menti est exitio, ne indulgeant; tabernas, nisi peregre profecti, non intrent; ad æquales hauſtus nec se ipsos, nec alios adstringant, vel provocent. Si secus fecerint, & Superio-

periori monenti non paruerint, ab officio, vel beneficio ſuſpendantur, & aliis pœnis canonicis afficiantur „„„. Idem vetat Concilium Burdigalenſe eodem anno, Tit. 21. Turonenſe, eodem anno, Tit. 14. „„ Omnibus (*inquit*) Clericis, ne tabernas, aut cauponas, blaſphemiarum, & luxuriæ officinas, quovis nec etiam ſponſaliorum, vel obſequiorum funeralium prætextu, niſi inter peregrinandum, ingrediantur, prohibet Concilium, pœna carceris per duos menſes pro prima vice, per ſex menſes pro ſecunda, & per annum pro tertia (ſi prohibitionem contempſerint illis imponendam) mitioris pœnæ omni ſpe ſublata „„.

Julianus Apoſtata Epiſtola 49. ad *Arſacium* Galatiæ Pontificem ethnicum, falſorum numinum Sacerdotes modeſtiæ, quam profitebantur Sacerdotes Chriſti, æmulos eſſe jubet: „„ Sacerdotem quemque hortare (*inquit*) ne accedat ad ſpectacula, neve in taberna bibat... Et qui tibi in his rebus morem gerunt, eis honorem tribuito; qui autem reſiſtunt, expellito „„.

A conviviis etiam ſæcularium hominum, quantum fieri poteſt, abſtinere debent Clerici, ſecundum ſapiens illud *S. Hieronymi* ad *Nepotianum* ſcribentis monitum, a Concilio Aquiſgranenſi repetitum, cap. 94. „„ Convivia tibi deteſtanda ſunt ſæcularium, maxime horum, qui honoribus tument. Turpe eſt ante fores Sacerdotes Chriſti crucifixi, & pauperis, & qui cibo quoque veſcebatur alieno, lictores conſulum, & milites excubare, judicemque provinciæ melius apud te prandere, quam in palatio. Quod ſi oſtenderis facere te hæc, ut roges pro miſeris, judex ſæculi plus defert Clerico continenti, quam diviti, & magis ſanctitatem tuam venerabitur, quam opes. Aut ſi talis eſt, qui non audiat Clericos niſi inter phialas, libenter carebo hujuſmodi beneficio. *Ibidem*: Nunquam petentes, raro accipiamus rogati. Facile contemnitur Clericus, qui ſæpe vocatus ad prandium, non recuſat „„. Et Concilium Aquenſe

tit,

tit. *De vita, & honestate Clericorum* ita statuit: „ A comessationibus, & minus honestis conviviis abstineant omnino; atque ab iis etiam, quæ potius luxus, aut voluptatis sint, quam propinquitatis, aut necessitudinis causa instituta „.

REGULA VII.

Clericis omnino prohibita est venatio clamosa, quæ cum armis, avibus & canibus exercetur; unde graviter peccant Clerici, qui venationi incumbunt.

Venatio Clericis vetita.

Hæc Regula nititur Canone *Episcopum*, Extra: *De Clerico venatore*, cujus hæc sunt verba: „ Episcopum, Presbyterum, aut Diaconum, canes, aut accipitres, aut hujusmodi ad venandum habere non licet. Quod si quis talium personarum in hac voluptate sæpius detentus fuit, si Episcopus est, tribus mensibus a communione; si Presbyter, duobus; si Diaconus, ab omni officio suspendatur „. Ubi Glossa: „ Saltuosa (*inquit*) & clamosa licita est „ Laicis; sed Clericis omnino non licet talis venatio; sed quieta, causa necessitatis, vel recreationis „. Idque confirmat Canon sequens sub eodem Decretalium titulo: „ Omnibus servis Dei venationes, „ & silvaticas vagationes cum canibus, & accipitribus, & falconibus interdicimus „.

Hinc *Joannes Sarisberiensis*, libro 1. *De Nugis curialium*, cap. 4. „ Sunt vero (*inquit*) personæ, quæ non modo ab hoc, sed ab aliis quibusdam, utpote levioribus, & voluptuosis studiis in perpetuum summoventur, ut in sacris Ordinibus constituti, & qui gerunt amplissimos Magistratus. Porro de virtute, & veritate Canonum, venatica clientulis suis non modo claudit ascensum, sed summi Sacerdotii gradum adimit jam adeptum, &c. „

Idem prohibet Concilium Lateranense 4. can. 15. „ Venationem (*inquit*) & aucupationem universis „ Clericis interdicimus; unde nec canes, nec aves „ ad aucupandum habere præsumant „.

Et Concilium Nannatense anno 1264. can. 3. „ Quia

„„ Quia nullum venatorem invenimus ſanctum, præcipimus, ut Prælati ſoliciti ſint, & intenti in puniendo Clericos venatores; & præcipue Presbyteros, & religioſos, de quibus majus ſcandalum generatur „„. Sanctitati ſcilicet ſtatus clericalis clamoſa venatio non convenit, cum voluptas, quæ hujuſmodi venatione percipitur, hominis cogitationem a Deo diſtrahat, in quo maxime ſacrorum hominum animus defixus eſſe debet. Id confirmat Canon, *Eſau*, diſt. 86. deſumptus ex Commentario in Pſalmos ſub nomine *S. Hieronymi* edito, in Pſalm. 90. „„ Eſau venator erat, quoniam peccator erat. Et penitus non invenimus in Scripturis ſanctis ſanctum aliquem venatorem; piſcatores invenimus ſanctos „„. Hinc *Nicolaus I.* Epiſt. ad *Albinum* Archiepiſcopum januenſem: „„ Ab omni (*inquit*) beſtiarum, vel volucrum venatione penitus alieni exiſtere debent; nullum enim ſanctum, ut ait B. Hieronymus, venatorem legimus „„. Eſau, & Nembrod feroci indoli venationis ſtudium congruebat; miti Clericorum indoli convenit venationis fuga.

Legatur Epiſt. 56. *Petri Bleſenſis* ad *Gualterium* Epiſcopum Roffenſem, venationi deditum, qua eum a venandi ſtudio verbis graviſſimis avertere conatur. Venationem gravitate Pontificis indignam eſſe ſcribit, quem nec juventus ab hujuſmodi voluptate excuſaret. *Nicolaum* Papam ſuſpenſionis, & excommunicationis ſententiam in *Lanfredum* Epiſcopum ferendam cenſuiſſe, quia venaticam exercebat. Nullum Sanctorum ab exordio mundi legi venatorem. Aliud venationis genus Sacerdotibus incumbere, de quo Dominus Jeremiæ 16. ait: *Ecce ego mittam venatores, & venabuntur in omni monte.* Prælati ſiquidem Eccleſiæ „„ venantur in omni monte, dum animas aberrantes, quaſi in prædam ad obſequium Chriſti rapiunt, in eminentia ſcientiæ, & doctrinæ. Utinam (*inquit*) huic venationi velitis operam dare, longique temporis jacturam, quod in vanitates evanuit, fructu vitæ melioris, & eruditione populi compenſare „„.

Ora-

Orationi præterea, ac ſacris ſtudiis penitus addicti eſſe debent eccleſiaſtici viri; at venatio & ab oratione, & a ſtudio animum avertit. Hinc Concilium romanum ſub *Eugenio II.* Can. 12. „„ Sacerdotes (*inquit*) qui ad debita, & opportuna officia Eccleſiis indifferenter adeſſe debent, fœnore aliquo, aut venatione, vel aliqua aucupatione, ruſticoque miniſterio omnino non occupentur „„.

Accedit, quod ſine habitu clericali prodire in publicum non debent Clerici, eiſque arma deferre ſacri Canones vetant. Clericalis porro habitus venatoribus non convenit, nec ſine armis venatio exercetur. Denique non eſt bonum ſumere panem filiorum, & dare illum canibus; loco pauperum canes, & venatores alere. Has rationes urget Concilium Aquilejenſe anno 1596. celebratum, Tit. 9. Dicit Canon „„ Eſau venator erat, quoniam peccator erat; quam vero ſit modeſtia clericali indignum, qui paullo ante Breviarium manibus tractabat, & ſacræ lectionis ſtudio intendebat, eum publice accipitrem deferre, & ſua in eo ſtudia profiteri; quique cum Angelis in Eccleſia gratiarum actiones, & laudes Deo perſolvebat, eum inter canum latratus, & multitudinem verſari, & incomptis obſtrepere vocibus, ſacri Canones declarant, omnes vero facile intelligunt. Conſequitur autem, ut panis, qui miſerorum pauperum victui ſufficeret; panis (inquam) de redditibus eccleſiaſticis collectus, quod eſt patrimonium Chriſti, ad beſtiarum cibum indigne tranſferatur; cujus criminis ratio diſtricte in die Domini reddetur. Quod ut longe a Clericorum vita, & honeſtate removeamus, omnibus Clericis, cujuſque conditionis, & gradus ſint, venatorium ſtudium interdicimus, ac in eos gravius per illorum Ordinarios procedendum ſtatuimus; ac ſi contumacia fuerit obſtinatior, & inhibitionis mollioris ratio contemptui eſſe cœperit, graviori etiam animadverſione proſpiciendum mandamus „„.

Idem

Idem ſtatuit Concilium Senonenſe anno 1528. „ Cum ſolatia, & arma Clericorum ſint orationes, & lacrymæ, omnino prohibemus, ne venationi, aut aucupationi clamoſæ cum falconibus, accipitribus, ſeu aliis avibus prædatoriis, vel canibus venaticis intendant; nec accipitres, ſeu alias prædatorias aves deferant, aut canes venaticos teneant, aut nutriant, neque enſes, venabula, baculos, aut arma quæcunque invaſiva portent extra neceſſitatem, aut alios caſus jure permiſſos „.

Et Concilium Aquenſe anno 1585. „ Ne ullum venationis genus exerceant, aut canes, accipitreſve alant, aut aliud venaticum animal, armave ferant, &c „.

Quod & Regum noſtrorum Capitularibus vetitum eſt, lib. 5. cap. 112. „ Et hoc cavendum, ut Presbyteri, vel Diaconi, ſive Subdiaconi, arma portare non præſumant, neque venationes aliquas exercere „.

Quamvis autem inquieta, ſeu clamoſa venatio ſit Clericis interdicta, non tamen quieta, quæ fit retibus, aut laqueis, ſine canibus, aut avibus, ut confirmat Clementina prima *de Statu Monachorum.* Hanc autem diſtinctionem confirmat etiam Tridentinum Concilium, Seſſ. 24. cap. 12. *de Reform.* dum jubet Canonicos *ab illicitis venationibus*, & aucupiis abſtinere, tacite innuens, quaſdam licitas eſſe venationes, quæ ſcilicet ſine canibus, & avibus fieri ſolent, & inde quietæ dicuntur.

REGULA VIII.

Negotiis ſæcularibus Clericos implicari, ac vacare ſacri Canones prohibent, quos abſque gravi peccato violare non poſſunt.

Ne Clerici negotiis ſæcularibus ſe immiſceant.

Hanc Regulam *Timotheo* ſuo, & in eo omnibus clericali militiæ adſcriptis tradit Apoſtolus 2. ad Tim. 2. *Nemo* (inquit) *militans Deo, implicat ſe negotiis ſæcularibus, ut ei placeat, cui ſe probavit.*

Hanc

Hanc vero executioni mandari jubet Concilium Chalcedonense Canone 3. „ „ Pervenit (*inquit*) ad sanctam Synodum, quod quidam, qui in Clerum videntur adlecti propter lucra turpia conductores alienarum possessionum fiant, & sæcularia negotia sub cura sua suscipiant, Dei quidem ministerium parvipendentes, sæcularium vero discurrentes domos, & propter avaritiam patrimoniorum solicitudinem sumentes. Decrevit itaque sanctum hoc, magnumque Concilium, nullum deinceps, non Episcopum, non Clericum, vel Monachum, aut possessiones conducere, aut negotiis sæcularibus se immiscere, præter pupillorum (si forte leges imponant) inexcusabilem curam; aut civitatis Episcopus ecclesiasticarum rerum solicitudinem habere præcipiat, aut orphanorum, & viduarum earum, quæ sine ulla provisione sunt, ac personarum, quæ maxime ecclesiastico indigent adjutorio, & propter timorem Domini causa deposcat. Si quis autem de cætero transgredi hæc statuta tentaverit, qui est hujusmodi, ecclesiasticis increpationibus subjacebit „ „.

Excipitur inexcusabilis pupillorum cura.

Inexcusabilem pupillorum curam Synodus Chalcedonensis excepit; nam *S. Cyprianus* ab africana Synodo decretum esse testatur: „ „ Ne quis ad tutelam, vel curam Clericum nominaret, ac si quis hoc feciſſet, non offerretur pro eo, nec Sacrificium pro dormitione ejus celebraretur. Neque enim (*inquit*) apud Altare Dei meretur nominari in Sacerdotum prece, qui ab altari Sacerdotes, & ministros voluit avocare „ „. Ideoque pro *Victore*, qui *Faustinum* Presbyterum tutorem nominaverat, preces ad altare fieri vetat, aut pro dormitione ejus oblationem fieri: „ „ Ut Sacerdotum Decretum religiose, & necessarie factum servetur, simul & cæteris fratribus detur exemplum, ne quis Sacerdotes, & ministros Dei, altari ejus, & Ecclesiæ vacantes ad sæculares molestias devocet „ „. Hæc ille Epist. 66.

Vetus circa hoc Ecclesiæ Africanæ disciplina.

Rationem hujus disciplinæ ibidem reddit: „ „ Quia singuli divino Sacerdotio honorati, & in clericali mi-

ministerio constituti, nonnisi altari, & Sacrificio deservire, & precibus, atque orationibus vacare debent. Scriptum est enim: Nemo militans Deo obligat se molestiis sæcularibus, ut possit placere ei, cui se probavit. Quod cum de omnibus dictum sit, quanto magis Clerici molestiis, & laqueis sæcularibus obligari non debent, qui spiritualibus occupati, ab Ecclesia recedere, & ad terrenos, & sæculares actus vacare non possunt? Cujus ordinationis, & religionis formam Levitæ prius in lege tenuerunt, ut cum terram dividerent, & possessiones partirentur undecim tribus; Levitica tribus, quæ Templo, & Altari, & ministeriis divinis vacabat, nihil de illa divisionis portione perciperet, sed aliis terram colentibus, illa tantum Deum coleret, & ad victum, atque alimentum ab undecim tribubus de fructibus, qui nascebantur, decimas reciperet. Quod totum fiebat de auctoritate, & dispositione divina; ut qui operationibus divinis insistebant, in nulla re avocarentur, nec cogitare, aut agere sæcularia cogerentur. Quæ nunc ratio, & forma in Clero tenetur, ut qui in Ecclesia Domini Ordinatione clericali promoventur, in nullo ab administratione divina avocentur, nec molestiis, & negotiis sæcularibus alligentur, sed in honore sportulantium Fratrum, tanquam decimas ex fructibus accipientes, ab Altari, & Sacrificiis non recedant, sed die, ac nocte cœlestibus rebus, & spiritualibus serviant „„. Quamvis ergo cogi non possint Clerici ad tutelam suscipiendam, legitimam tamen tutelam pietatis, & misericordiæ causa, suscipere possunt.

Hanc Regulam confirmat Concilium Parisiense sextum lib. 1. cap. 28. laudato S. Pauli testimonio, & Concilii Chalcedonensis Canone; subditque: „„Oportet, ut Episcopi suæ Parochiæ Sacerdotes, & Monachos a memoratis illicitis actionibus sua auctoritate compescant, transgressores vero Censura canonica corripiant, quia dicitur: Transgredientem vero hanc definitionem nostram, excommunicatum esse decrevimus, ne nomen Dei blasphemetur „„.

Canones alios congerere minime neceſſe eſt. Legatur cap. *Sed nec procurationes*, Quod eſt Concilii Lateranenſis ſub *Alexandro III.* & cap. *Secundum* Extra : *Ne Clerici, vel Monachi ſæcularibus negotiis ſe immiſceant.*

Quæ negotia Clericis illicita.

Quæ ſint vero negotia ſæcularia Clericis prohibita, ſic explicat Concilium Mediolanenſe 1. cap. 26. „„ Qui Deo militat, implicare ſe negotiis ſæcularibus prohibetur ; idcirco edicimus : Ne Clericus Sacris initiatus ; aut eccleſiaſtico beneficio præditus, coram judice ſæculari advocati, aut procuratoris nomine cauſas agat, niſi ab aliis in judicium vocatus ſuam, vel Eccleſiæ ſuæ, propinquorum etiam, ſi neceſſe erit, & miſerabilium perſonarum cauſas, ab Epiſcopo facultate prius ſcripto conceſſa, tueatur.

Ne in profanis negotiis officium tabellionatus exerceat.

Ne artem medendi faciat.

Ne in negotiationibus, & mercaturis ſe interpretem, & medium interponat.

Negotiationem etiam omnis generis omnino prohibemus.

Artes vero honeſtas concedimus, ut aliquid manibus ſuis lucretur, quo ſibi, quæ ad victum neceſſaria ſunt, comparare poſſit.

Ne aliena prædia lucri cauſa conducat.

Ne aliorum tutelam, aut curam ſuſcipiat.

Ne pro aliis fide jubeat „„„. Quod Apoſtolorum can. 20. can. *Te quidem*, cauſa 11. qu. 1. & cap. *Clericus*, Extra. *De Fidejuſſoribus*, prohibetur. Excipiuntur tamen fide-juſſiones, quæ fiunt pietate, vel miſericordia ſuadente, cum Epiſcopi licentia.

„„ Ne alicujus Principis, aut alterius, negotiorum procurator ſit ſine facultate ab Epiſcopo prius per literas impetrata, ſingulis annis renovanda. Neve parum memor Ordinis, ac dignitatis ſuæ, ſit in famulatu Laicorum, etiam Principum; eorumve quibuſvis aliis obſequiis, niſi cui ex cauſa, & ad officium Sacerdotali munere non indignum, Epiſcopus hujus rei poteſtatem ſcripto ante fecerit. Ne-

Neve præcurſor, aut aſſecla fæminarum, aut eis diſcumbentibus aſſiſtat, aut ancilletur „„.

REGULA IX.

Clerici reddituum eccleſiaſticorum diſpenſatores ſunt, non domini; unde cum ex iis victum, & honeſtum veſtitum delibarunt, ſi quid reſiduum eſt, pauperibus debent.

De recto bonorum eccleſiaſticorum uſu.

Hæc Regula ex antiqua Eccleſiæ diſciplina colligitur, quæ redditus eccleſiaſticos in quatuor partes dividi juſſit, quarum una Epiſcopo, alia Clero, tertia pauperibus, quarta Eccleſiis reſtaurandis applicaretur, ut conſtat *ex Simplicii*, & *Gelaſii I.* Pontificum Decretis, & ex Ep. 31. libri 12. *S. Gregorii*, cujus hæc ſunt verba: „„ Mos Apoſtolicæ ſedis eſt, ordinatis Epiſcopis præceptum tradere, ut de omni ſtipendio, quod accedit, quatuor debeant fieri portiones; una videlicet Epiſcopo, & familiæ ejus propter hoſpitalitatem; alia Clero; tertia vero pauperibus; quarta Eccleſiis reparandis „„.

Eadem Regula confirmatur ex can. *Epiſcopus*, cauſa 12. q. 1. qui eſt Antiocheni Concilii 25. „„ Epiſcopus eccleſiaſticarum rerum habeat poteſtatem ad diſpenſandum erga omnes, qui indigent, cum ſumma reverentia, & timore Dei. Participet autem & ipſe quibus indiget, (ſi tamen indiget) tam in ſuis, quam in fratrum, qui ab eo ſuſcipiuntur, neceſſariis uſibus profuturis; ita ut in nulla qualibet occaſione fraudentur, juxta S. Apoſtolum ſic dicentem: *Habentes victum, & tegumentum, his contenti ſumus.* 1. Tim. 6. 8. Quod ſi contentus iſtius minime fuerit, convertat autem res Eccleſiæ in ſuos uſus domeſticos, &c. Synodo Provinciæ pœnas perſolvat „„.

Et Canone, *Res Eccleſiæ*, qui *Urbani* Papæ nomine a *Gratiano* ibidem refertur: „ Res Eccleſiæ non quaſi „ propriæ, ſed ut communes, & Domino oblatæ, cum „ ſummo timore non in alios, quam in præfatos uſus „ ſunt fideliter diſpenſandæ „. Epiſcopum, parique

ratione cæteros ecclesiastici Ordinis viros, *Rebus Ecclesiæ tanquam commendatis, non tanquam propriis* uti debere, declarat Concilium Carthaginense 4. quod & *S. Augustin.* docet, qui huic intererat Concilio, Ep. 185. alias 50. „„ Si (*inquit*) privatim, quæ nobis sufficiunt, possidemus, non sunt illa nostra, sed pauperum, quorum procurationem quodammodo gerimus, non proprietatem nobis usurpatione damnabili vindicamus „„. Et can. *Quamvis*, causa 12. q. 2. qui est Concilii Nicæni 2. can. 2. „„ Omnium ecclesiasticarum rerum Episcopus habeat solicitudinem, & dispenset eas tanquam Deo contemplante. Non liceat autem ei fraudare quidquam ex illis, vel cognatis propriis donare, quæ Dei sunt „„ Hinc *Julianus*, lib. 2. *De vita, Contemplativa*, cap. 9. & post eum Synodus Parisiensis sexta, lib. 1. cap. 15. ait: „ Nihil aliud esse „ res Ecclesiæ, nisi vota fidelium, pretia peccatorum, „ & patrimonia pauperum „; ideoque sanctos Pontifices non eas vindicasse in usus suos, ut proprias, sed ut commendatas pauperibus vindicasse. Hinc *S. Hieronym.* in expositione *Sophoniæ* Prophetæ: „„ Judices quoque ejus quasi lupi Arabiæ, occidentes vespere, & nil relinquentes in mane; non aspicientes ad ortum solis, sed morantes semper in tenebris, & possessiunculas Ecclesiæ, & ea, quæ in Dei donaria conferuntur, vertentes in lucrum suum, ut non habeant pauperes, quod mane comedant; qui quasi in nocte, & nullo vidente populantur, & cum luporum more cuncta diripiant, ne parvos quidem cibos indigentibus derelinquunt „„. Ex quibus ita colligit Concilium Parisiense 6. „„ Sicut igitur præmissa documenta declarant, non sunt res Ecclesiæ ut propriæ, sed ut dominicæ, & a Domino commendatæ tractandæ. Quicunque ergo eas ad suos proprios usus, terrenosque honores, & delectationes retorquet, quanti sit discriminis, quantæque transgressionis, aperte animadverti potest „„. Idem confirmat Concilium Turonense 3. can 10. & Cabilonense 2. can. 4. Aquisgranense anno 836. p. 2. can. 12. Nannetense, can. 10. Idem confirmat *Alexander III.*

Clerici bonorum ecclesiasticorum dispensatores sunt, non Domini.

cap.

cap. *Fraternitatem*, Extra. *De Donationibus*, cujus hæc sunt verba: *Cum Episcopus, & quilibet Prælatus rerum ecclesiasticarum sit procurator, non Dominus.*

Hanc etiam ob causam Concilium Trid. sess. 25. cap. 1. *De Reform.* Episcopis, & quibuscunque beneficia ecclesiastica, tam sæcularia, quam regularia obtinentibus: „„ Omnino interdicit, ne ex redditibus Ecclesiæ consanguineos, familiaresve suos augere studeant; cum & Apostolorum Canones prohibeant, ne res ecclesiasticas, quæ Dei sunt, consanguineis donent; sed si pauperes sint, iis ut pauperibus distribuant, eas autem non distrahant, nec dissipent illorum causa; imo, quam maxime potest, sancta Synodus monet, ut omnem humanum hunc erga fratres, nepotes, propinquosque carnis affectum, unde multorum malorum in Ecclesia seminarium extat, pœnitus deponant „„. Quod & Concilia Trident. secuta, scilicet Rothomagense, Burdigalense, Aquense repetunt.

Consanguinei ex Ecclesiæ proventibus non ditandi.

Hanc Regulam confirmat *S. Bernardus*, Epist. 2. Clericos omnes in unius *Fulconis* persona sic interpellans: „„ Conceditur tibi, ut si bene deservis, de Altario vivas, non autem ut de Altario luxurieris, ut de Altario superbias, ut inde compares tibi fræna aurea, sellas depictas, calcaria deargentata, varia, griseaque pollicea a collo, & manibus ornatu purpureo diversificata. Denique quidquid præter necessarium victum, ac simplicem vestitum de Altari retines, tuum non est, rapina est, sacrilegium est „„. Et Ser. 18. in Cantica: „„ Timeant Clerici, timeant Ministri Ecclesiæ, qui in terris Sanctorum, quas possident, tam iniqua egerunt, ut stipendiis, quæ sufficere debeant, minime contenti, superflua, quibus egentes sustentandi forent, impie, sacrilegeque sibi retineant, & in usus suæ superbiæ, atque luxuriæ victum pauperum consumere non vereantur, duplici profecto iniquitate peccantes, quod & aliena diripiant, & Sacris in suis vanitatibus, & turpitudinibus abutuntur „„.

Et Declamatione in illud Evangelii: *Ecce nos reliquimus omnia*, hæc habet: „„ De Altario vivat, non

Matth. 19.

ſuperbiat, non luxurietur, denique non ditetur, nec contra Sancti cujuſdam dignam omni acceptione ſententiam ex clericatu ditior fiat. Non ſibi de bonis Eccleſiæ ampla palatia ædificet, mutans quadrata rotundis; nec loculos inde congreget, nec in vanitate, aut ſuperfluitate diſpergat. Non extollat de facultatibus Eccleſiæ conſanguineos, aut neptes (ne filias dixerim) nuptui tradat. Res pauperum non pauperibus dare, par ſacrilegii crimen eſſe dignoſcitur... Sane patrimonia pauperum, facultates Eccleſiarum; & ſacrilega eis crudelitate ſurripitur, quidquid ſibi miniſtri, & diſpenſatores, non utique Domini, vel poſſeſſores, ultra victum accipiunt, & veſtitum. Nec enim ordinavit Deus his, qui Evangelio ſerviunt, de Evangelio quærere, aut habere delicias, vel ornatum; ſed vivere (ait Paulus) ex eo, ut videlicet ſint contenti, alimenta corporis, non irritamenta gulæ, aut incentiva libidinis; & quibus tegantur, non quibus ornentur, accipere „„.

Et Epiſt. 42. „„ Diſcite, Pontifices, non quidem in ſancto, ſed in freno, quid facit aurum. Hoc me etiam tacente, etſi non curia Regum, tamen penuria pauperum clamat. Nobis frigore, & fame laborantibus, quid conferunt tot mutatoria, vel extenſa in perticis, vel plicata in manticis? Noſtrum eſt, quod effunditis, nobis crudeliter ſubtrahitur quod inaniter expenditis. Et nos enim Dei plaſmatio, & nos Chriſti ſanguine redempti ſumus. Nos ergo fratres veſtri. Videte, quale ſit de fraterna portione paſcere oculos veſtros. Vita noſtra cedit vobis in ſuperfluas copias. Noſtris neceſſitatibus detrahitur, quidquid accedit vanitatibus veſtris. Duo denique mala de una prodeunt radice cupiditatis, dum & vos vanitando peritis, & nos ſpoliando perimitis „„.

Hanc denique Regulam confirmat *S. Th.* 2. 2. qu. 185. art. 7. ubi quærit, utrum Epiſcopi mortaliter peccent, ſi bona eccleſiaſtica, quæ procurant, pauperibus non largiuntur. Reſpondetur, aliter eſſe dicendum de propriis bonis, quæ Epiſcopi poſſident, & de bonis eccleſiaſticis. „„ Nam propriorum bo-

no-

norum verum dominium habent; unde ex ipsa rerum conditione non obligantur, ut ea aliis conferant, sed possunt ea, vel sibi retinere, vel etiam aliis pro libito elargiri; possunt tamen in eorum dispensatione peccare propter inordinationem affectus, per quam contingit, quod vel sibi plura conferant, quam oporteat, vel aliis etiam non subveniant, secundum quod requirit debitum charitatis. Non tamen tenentur ad restitutionem, quia hujusmodi res sunt eorum dominio deputatæ. Sed ecclesiasticorum bonorum sunt procuratores, vel dispensatores. Ad dispensatorem autem requiritur bona fides, secundum illud 1. ad Cor. 4. *Hic jam quæritur inter dispensatores, ut fidelis quis inveniatur.* Sunt autem bona ecclesiastica non solum in usus pauperum, sed etiam ad cultum divinum, & necessitates ministrorum expendenda... Si ergo distincta sint bona quæ debent in usum Episcopi cedere, ab his, quæ sunt pauperibus, & ministris, & cultui Ecclesiæ eroganda, & si aliquid sibi retinuerit Episcopus de his, quæ sunt pauperibus eroganda, vel etiam in usum ministrorum, aut in cultum divinum expendenda; non est dubium, quin contra fidem dispensationis agit, & mortaliter peccat, & ad restitutionem tenetur. De his autem, quæ sunt specialiter suo usui deputata, videtur esse eadem ratio, quæ est propriis bonis; ut scilicet propter immoderatum affectum, & usum peccet quidem, si immoderata sibi retineat, & aliis non subveniat, sicut requirit debitum charitatis. Si vero non sint prædicta bona distincta, eorum distributio fidei ejus committitur. Et si quidem in modico deficiat, vel superabundet, potest hoc fieri absque bonæ fidei detrimento. Si vero sit multus excessus, non potest latere; unde videtur bonæ fidei repugnare; & ideo non est absque peccato mortali „ „.

Idem docet Quodlibeto 6. q. 7. art. 1. „ „ Bonorum (*inquit*) patrimonialium, vel licite acquisitorum, homo est vere dominus... Bonorum vero ec-

cleſiaſticorum Clerici non ſunt vere domini, ſed diſpenſatores. *Et infra*: Si non conſervet bonam fidem in diſpenſando, mortaliter peccat „„.

S. Caroli admonitio ad Clericos.

Argumentum iſtud *S. Caroli* Admonitio Conc. Mediolanenſis 4. auctoritate firmata concludet. Is Clericos, quorum tenue ſunt redditus, ſic compellat: „„ Exemplo Sanctorum, vos paupertate, ſobrietate, ac parſimonia ita agite; ut non modo a ſupervacanearum rerum uſibus abſtinentes, ſed veſtro etiam defraudantes victu, Eccleſias veſtras, & Altaria exornetis, ſartatecta habeatis, ſacra ſupellectili inſtruatis; alienis item neceſſitatibus ſubveniatis, & pauperibus opitulemini „„.

Eos vero, qui pinguiora poſſident beneficia, his verbis admonet: „„ Qui vero uberiores eccleſiaſticos redditus habetis, Eccleſias, e quarum prædiis fructus percipitis, eo magnificentius, & auguſtius, quo amplioribus donis, boniſque, auguſtiorique liberalitate illæ dotatæ ſunt, illuſtri ſtructura, præclaro opere reficite, egregiiſque muneribus exornate; tum omni eccleſiaſticæ ſupellectilis apparatu inſtruite; Chriſti viſceribus ſubſtantiam eccleſiaſticam erogate, pauperibus ſcilicet, peregrinis, viduis, pupillis, ægrotis, in vincula conjectis, captivis, quibus egentibus, & eſurientibus, cum ſubvenire poſſitis, ſi alimenta neceſſaria denegatis, violatæ charitatis rei eſtis in conſpectu Domini. Memores eſtote ejus, quod a S. Patre Ambroſio ſcriptum eſt: Sua Fideles eo animo obtuliſſe Eccleſiæ miniſtris, ut per eorum manus, quorum fidei, atque integritati ſumma omnia tribuebant, ad pauperes pervenirent „„.

„„ Vos item, quicunque eſtis, quorum fidei Chriſti patrimonium proprie ad divini cultus, pauperumque uſum commiſſum eſt, cavete, ne ambitione, aut cupiditate prolapſi, in alium, quam cui additum eſt, convertatis; ideoque propterea ſacrilegii rei, damnationem æternam ſubeatis „„.

RE-

REGULA X.

Restitutionis lege tenetur, qui Bona Ecclesiæ, seu Redditus ecclesiasticos in usus illicitos expendunt.

De recto bonorum ecclesiasticorum usu.

Prima quidem fronte contrarium sentire videri potest *S. Thomas* Quodlibeti 6. quæst. & artic. citatis, ad 3. „„ Bona (*inquit*) ecclesiastica non solum sunt dispensanda pauperibus, sed etiam Ecclesiæ ministris. Aliter ergo dicendum est de illis ecclesiasticis bonis, quæ principaliter sunt attribuenda necessitatibus pauperum, & ex consequenti necessitatibus ministrorum, sicut sunt bona hospitalium, & aliorum hujusmodi; & aliter de illis bonis, quæ sunt principaliter attributa usibus ministrorum, sicut sunt præbendæ Clericorum, & alias hujusmodi; nam in primis bonis peccatum committitur non solum ex abusu, sed etiam ex ipsa rerum conditione, dum aliquis in suos usus assumit, quod est alterius, & ideo tenetur ad restitutionem tanquam defraudator rei alienæ; in secundis vero bonis non committitur peccatum, nisi per abusum, sicut & de bonis patrimonialibus dictum est; unde non tenetur quis ad restitutionem, sed solum ad pœnitentiam peragendam „„. Verum *S. Thomæ* sensus est, ad restitutionem minime teneri, qui in bonorum ecclesiasticorum dispensatione sibi commissa paullulum modum excesserint, sive in suos usus paullo plus, quam par sit, expendendo, sive consanguineis, domesticis, aut aliis, quibus propter obsequia, aut beneficia aliquid tribuere possunt, (juxta dispositionem c. *Relatum est*, Extra, *de Testamentis*,) aliquanto plus erogando quam oporteat. Sed non negat, quin ad restitutionem teneantur, si in usus pravos, & illicitos deliberata voluntate expenderint, quod pauperum est; imo id satis aperte significat in eodem articulo. „„ Verum (*inquit*) quia horum dispensatio fidei dispensatoris committitur, si quis bona fide dispenset ecclesiastica bona, inde accipens, quod sibi convenit secundum conditionem status, & personæ, &

aliis largitur, secundum quod sibi videtur bona fide expedire, non peccat mortaliter, etiamsi forte aliquid plus in suos usus convertat, quam oporteat; talia enim, quia in singularibus est eorum judicium, non possunt per omnimodam certitudinem definiri; unde si non sit multus excessus, potest compati bonam fidem dispensatoris; si vero multus excessus sit, non potest latere; & ita non potest cum bona fide dispensatoris hoc agi; si autem non conservat bonam fidem in dispensando, peccat mortaliter „„. Quicunque ergo mala fide consumit, quod pauperibus debetur, raptor est, & ad restitutionem tenetur.

Et in Responsione ad quartum: „„ Neque (*inquit*) moderatus usus divitiarum, neque bona fides dispensatorum salvari videtur in eo, qui scienter superfluas expensas facit in voluptuosis conviviis, & aliis hujusmodi superfluitatibus, & sic non est dubium, quod in talibus peccat mortaliter; unde dicitur Matthæi 24. *Si dixerit malus servus ille in corde suo: Moram facit dominus meus venire, & cœperit percutere conservos suos* (quod pertinet ad superbum, & crudele dominium) *Manducet autem, & bibat cum ebriosis* (quod pertinet ad superflua, & voluptuosa convivia) *Veniet dominus servi illius in die, qua non sperat, & hora, qua ignorat, & dividet eum,* (scilicet a societate Sanctorum) *Partemque ejus ponet cum hypocritis;* scilicet in inferno; unde ibi subditur: *Ibi erit fletus, & stridor dentium.* Si autem aliquis non multum in talibus excedat, potest bona fide fieri ab aliquo, qui vult secundum decentiam sui status morem gerere his, quibus convivit „„.

Cæterum Clericos, qui redditus Ecclesiæ in usus illicitos expendunt, scilicet in meretrices, histriones, canes, equos superfluos ludos, immoderata & sumptuosa convivia, in consanguineos ditandos, &c. ad restitutionem teneri docet *S. Raymundus* in *Summa* lib. 2. Titulo *de Raptoribus*, §. 8. „„ De meretricibus autem, & histrionibus, de quibus quæsitum

ſitum eſt, dico: Prælatos, & Clericos, qui res Eccleſiæ talibus, vel ſimilibus perſonis conferunt, vel etiam conſanguineis, non propter naturam ſuſtentandam, ſed ut faciant eos divites de patrimonio Crucifixi; item divitibus, & potentibus, non propter aliquam cauſam licitam, vel honeſtam, ſed propter favorem ſæculi, & pompam; tales (inquam) Prælatos, & Clericos, qui talibus conferunt bona eccleſiaſtica pauperibus debita, dico eſſe raptores, & per conſequens teneri ad reſtitutionem omnium. *Hieronymus*: Eccleſiam fraudare, ſacrilegium eſt; accepiſſe pauperibus erogandum, & eſurientibus plurimis illud reſervare vel cautum, vel timidum eſt; aut, quod apertiſſimi ſceleris eſt, aliquid inde ſubtrahere, omnium prædonum crudelitatem ſuperat „ „. 12. Quæſt. 2. Gloſſa Epiſcopi. *Item Concilium Toletanum*: „ „ Si illi, qui nulla ex rebus ſuis pauperibus diſtribuunt, æterni Judicis voce condemnabuntur in futuro; quanto magis ii, qui auferunt pauperibus, quod non dederunt „ „ ? 12. Quæſt. 2. *Si illi*.

Idem docet *S. Antoninus*, 3. p. Summæ, tit. 15. c. 1. §. 19. „ „ De bonis (*inquit*) ſeu fructibus beneficiorum, quæ dant Clerici conſanguineis, vel perſonis turpibus, utrum in dando peccent, & teneantur ad reſtitutionem. Super hoc dicit Raymundus; quod Clerici, qui conſanguineis potentibus, vel meretricibus, & hiſtrionibus, & ſimilibus bona eccleſiaſtica pauperibus debita tribuunt, raptores ſunt, quia quidquid Clerici habent, pauperum eſt, dicit Hieronymus 16. Quæſt. 1. cap. finali. Nam pauperibus debentur; unde ad reſtitutionem tenentur omnium pauperibus, vel in utilitatem Eccleſiæ. Idem videtur ſentire Thomas Secunda ſecundæ, Quæſt. 185. . Petrus vero de Palude in quartum, *diſt.* 24. Quæſt. 3. dicit: Quod quidam dicunt, quod illud, quod Clerici in malos uſus conſumunt de patrimonio Jeſu Chriſti, non tenentur reſtituere de proprio, quia ſunt domini ejus, quod percipiunt; aliter

ter testari non possent. In re autem propria quilibet est moderator, & arbiter, ut patet. Argumentum etiam ad hoc est: *Extra, de Clerico non residente, cap.* 1. ubi dicitur, quod qui non interest horis sine causa rationabili, si recepit distributiones quotidianas, quæ pro hujusmodi dantur, non facit eas suas, sed tenetur ad restitutionem; ergo a contrariis, si interest horis, facit eas suas, & si male expendit, non tenetur ad restitutionem. Alii dicunt; quod non habet fructum favore sui, sicut pater in bonis filii adventitiis, quorum fructus si male consumit, non tenetur restituere; sed pro bono Ecclesiæ, & pauperum facti sunt administratores, & tutores, qui sunt quasi domini, sed non quando pupillum spoliant. Et ideo, sicut illi possunt sibi victum, & vestitum retinere, & benemeritis dare; sed si male expendunt, tenentur restituere; sic & isti „ „. Et istud magis consonat dictis Sanctorum, & juri canonico, *Hæc Petrus.* Unde Hieronymus: *Tibi, o Sacerdos, de Altario vivere, non luxuriari permittitur*, Dist. 44. cap. 1. *Et Augustinus dicit*: „ Non illa nostra sunt, „ quorum procurationem quodammodo gerimus, „ non proprietatem nobis usurpatione damnabili vin- „ dicamus „ „ 12. quæst. 1. can. *Si privatum*: Ubi dicit Glossa. „ Quo loco Domini habentur Prælati „ cum bene administrant, loco prædonis cum male „; ff. pro empt. L. *Qui fundum.* §. *Si tutor.* „„ Cui concordat ipse Petrus dicens, quod Prælati sunt domini sub certa lege; scilicet si bene utantur, alias restituere tenentur, sicut in his, quæ dantur ob certam causam in legatis relictis sub certo modo, quibus deficientibus, licet dominium translatum fuerit, repetuntur „ „.

Panormitanus, in cap. *Cum secundum*, Extra, *de Præbendis*, censet, quod beneficiati convertentes redditus Ecclesiæ in usus inhonestos: „ Si haberent „ patrimonium, tenerentur de suo reddere Ecclesiæ, „ quod male expenderunt „ „.

Idem

Idem docet *Alvarus Pelagius* Joannis 22. Pœnitentiarius lib. 2. *de Planctu Ecclesiæ*, cap. 28. „„ Ex dicto (*inquit*) Hieronymi potest elici solutio hujus quæstionis, quod teneantur ad restitutionem, cum dicat: Permissum victum de bonis Altaris, non abusum. Fateor, quod durus est hic sermo, & multos scandalizat, sicut verbum Christi: *Nisi quis manducaverit carnem meam*: Nihilominus verus est, quia licet actio contra tales præsumptores directa non procedat, indirecta tamen procedit non solum coram Deo, sed etiam coram Ecclesia; quia rationem tenentur reddere de malis expensis Clerici Episcopo, *Can.* Placuit, *Causa* 10. *qu.* 3. *ibi.* Et in singulis annis Episcopo ratio fiat. Et Clerici Ecclesias suas tenentur conservare indemnes de dilapidatione, & malis expensis, & de damnis, quæ eis intulerunt, ut est expressum 12. *qu.* 2. *statuimus*, *ibi*: Et de facultatibus, si quas habent proprias, indemnem Ecclesiam reddant „„. Joann. 6.

Sed luculentius nihil ad istius Regulæ confirmationem afferri potest Concilii Mediolanensis 1. Decreto sub *S. Carolo Borromæo*, Tit. 63. „„ Et sacrorum Canonum decretis statutum est, & sanctissimorum Patrum testimoniis celebratum, quæ bona Fidelium pietas Deo consecravit, ea vel illorum necessitatibus honeste sublevandis, qui divinis dicati obsequiis, Christi ministri, & dispensatores Mysteriorum Dei effecti essent, vel Ecclesiis reficiendis, earumque ornamentis ad divinum cultum necessariis comparandis, vel pauperibus sustentandis addicta esse; siquidem ubi primum Ecclesiæ bona esse cœperunt, eam naturam, & conditionem consecuta sunt, ut in alium, quam sacrum, & pium usum eorum fructus converti nefas esset. Quare cavendum est, ne cupiditate prolapsi, quæ radix est omnium malorum, dum vel propriis, vel propinquorum, & familiarum divitiis, & honoribus studemus, quæ Deo dicata sunt bona, & Ecclesiæ detrimento, & pauperum gemitu, & bonorum offensione ad aliorum

usum

usum convertamus. Itaque nos sacrorum Canonum, & sanctorum Patrum auctoritate innixi, atque iis inducti, quæ sacra Tridentina Synodus de officio administrandi bona ecclesiastica significavit, eos omnes, qui ea obtinent, vehementer monemus, ut muneris sui memores hæc, quæ sequuntur diligentissime præstent. Episcopi, Abbates, Præpositi, Parochi, ac cæteri omnes cujuscunque dignitatis, & gradus, Ecclesias, etiam eorum administrationi commissas, ac quæcunque beneficia ecclesiastica, etiam simplicia, quomodocunque etiam commendata, in provincia nostra obtinentes, omni diligentia cognoscere studeant, quibus oneribus eorum Ecclesiæ, & beneficia ex bonorum ecclesiasticorum natura, vel ex illorum, quæ obtinent, propria institutione, vel ex conditione apostolicis Literis in provisione dictorum beneficiorum eis præscripta, vel alia quacunque ejus generis ratione subjaceant, illisque integre satisfaciant. Quod si facere omiserint; sed eos fructus sibi vindicare, vel ad alios transferre ausi fuerint, vel in quem debent usum, non impenderint, se ex sacris Canonibus, & sanctorum Patrum sententia sacrilegii reos esse intelligant, & eorum omnium necessaria restitutione teneri; neque ulla omnino, etiam immemorabili, consuetudine excusari „ „.

„ „ Noverint etiam ii, ad quos scientes hujusmodi fructus, vel aliquod ex illis commodum quovis nomine pervenerit, se eadem restitutionis lege teneri „ „.

„ „ Ii vero, qui Ecclesias, & beneficia ecclesiastica quæcunque obtinent, quorum fructus ad eos, tanquam divinorum obsequiorum ministros, honeste sustentandos proprie sunt attributi, si uberiores sint, quam ad tuendam vitam, conditionisque suæ rationem requiratur; dubitare non debent, ad eum finem hanc copiam illis esse attributam, ut præter ea, quæ ad victum, & cultum eorum satis essent, suppeterent etiam, quibus divini cultus ornatus, ac splendor conservaretur, & pauperum inopia, & indigentia sublevaretur, quemadmodum etiam Deus plerosque

que divitiis cumulat, ut amicos ſibi faciant, a quibus, cum defecerint, in æterna recipiantur tabernacula. Quamobrem per viſcera miſericordiæ Jeſu Chriſti obteſtamur, atque monemus, ut meminerint, ea bona non eſſe ſibi credita ad luxum, neque ad augendos conſanguineos, ſed ad vitam honeſte, ut fidelem Dei miniſtrum, & pietatis chriſtianæ magiſtrum decet, traducendam. Ex eo vero quod ſupererit, ſi neceſſaria pauperibus alimenta denegarint, intelligant ſe, quos non paverint, occidiſſe, atque, ob violatam ſanctiſſimæ charitatis legem mortale peccatum commiſiſſe, quo ſibi iram in die iræ theſaurizaverunt „ „.

„„ Modum autem, & rationem, qua metiri ſe pro conditione, & gradu unumquemque oporteat ad vitam ſuam fructibus eccleſiaſticis honeſte ducendam, eam eſſe, omnes debent intelligere, quæ ab iis non diſcrepet, quæ in ſacris Canonibus, & præſertim in his noſtris Conſtitutionibus, de Clerici frugalitate, & modeſtia ſtatuta ſunt „„.

REGULA XI.

Perſonæ turpes, luſores, conſanguinei divites Clericorum, & alii, quibus ſine juſta cauſa eccleſiaſticorum bonorum fructus contulerunt, ad reſtitutionem tenentur.

Ita docet *S. Raymundus* loco ſupra citato §. 9. „„ Sed quid (*inquit*) de focariis, & hujuſmodi turpibus perſonis, & aliis ſupradictis, quæ ſic paſcuntur, vel ditantur de rebus Eccleſiæ, nunquid & ipſi tenentur ad reſtitutionem? Utique 14. *qu.* 8. Si res aliena, propter quam peccatum eſt, reddi poteſt, & non redditur, pœnitentia non agitur, ſed fingitur; ſi autem veraciter agitur, non remittitur peccatum, niſi reſtituatur ablatum; ſed differenter (*inquit S. Raymundus*) nam turpes perſonæ indiſtincte tenentur reſtituere, ſi poſſunt, niſi forte fuerit eis datum cauſa eleemoſynæ, cum eſſent in neceſſita-

sitate, quod fieri debuit. Divites vero, & potentes, credo, quod teneantur similiter ad restitutionem; si illud recipiebant per fraudes, vel minas, vel importunitatem indebitam, vel alias sine justa causa. Sed cui fiet hæc restitutio? Credo, quod auctoritate judicis pœnitentialis debeat fieri Ecclesiæ, cui sic injurioſe ablatum est; item illi eidem, qui dedit, nisi cum turpiter dedit; tunc enim non sibi, sed successori suo poterit fieri; vel in utilitatem Ecclesiæ convertetur; vel etiam ejusdem loci pauperibus, si hoc expedire videbitur, erogetur „„.

Idem confirmat *S. Antoninus* loco supra laudato: „„ Male autem recipientes à personis ecclesiasticis de bonis Ecclesiarum, videlicet de fructibus, & eleemosynis beneficiorum, ut fornicariæ, & histriones, & consanguinei, non ratione indigentiæ, sed parentelæ, & lusores & alii hujusmodi; & domini potentes per fraudes, minas, & importunitates, secundum Raymundum, tenentur restituere; non quidem illi, qui turpiter dedit, sed auctoritate Superioris convertere in utilitatem illius Ecclesiæ, vel pauperibus erogare „„. 17. q. 4. Si quis in atrio.

REGULA XII.

Si Clerici de bonorum ecclesiasticorum portione usui suo destinata (sive illa in fixis redditibus, sive in distributionibus, aut oblationibus adventitiis consistat) aliquid sibi subtraxerint, id consanguineis suis, aut aliis erogare licite possunt, ea moderatione adhibita, ut ditiores inde non fiant.

Hanc Regulam tradit *S. Th.* 2. 2. q. 185. art. 7. ad 2. „„ Bona (*inquit*) Ecclesiarum non sunt solum expendenda in usus pauperum, sed etiam in alios usus. Et ideo si de eo, quod usui Episcopi, vel alicujus Clerici est deputatum, velit aliquis sibi subtrahere, & consanguineis suis, vel aliis dare, non peccat, dummodo illud faciat moderate, id est, ut non indigeant, non autem ut divites inde fiant „„.

Idem

Idem confirmat ex *S. Ambrosio* lib. 1. *de Officiis*, cap. 30. dicentes: „„ Est etiam illa probanda liberalitas, ut proximos seminis tui non despicias, si egere cognoscas. Melius est enim, ut ipse subvenias tuis, quibus pudor est ab aliis sumptum deposcere, aut alicui subsidium necessitati; non tamen, ut illi ditiores eo fieri velint, quod tu potes conferre inopibus; causa enim præstat, non gratia. Neque enim propterea te Domino dicasti, ut tuos divites facias; sed ut vitam tibi perpetuam fructu boni operis acquiras, & pretio miserationis peccata redimas tua. Putant se parum poscere? Pretium tuum quærunt, vitæ tuæ fructum adimere contendunt, & se juste facere putant. Et accusat, quod eum divitem non feceris, cum te ille velit æternæ vitæ fraudare mercede „„.

REGULA XIII.

Graviter peccat Clericus, qui imminente necessitate pauperibus subveniendi, reservat, ac reponit in futurum id, quod ex ecclesiasticis redditibus ipsi residuum est.

Doctrina est *S. Thom.* 22. qu. & art. mox laudatis, in Responsione ad quartum: „„ Bona (*inquit*) Ecclesiarum usibus pauperum deservire debent. Et ideo si quis necessitate non imminente providendi pauperibus, de his, quæ superfluunt ex proventibus Ecclesiæ, possessiones emat, vel in thesauro reponat in futurum utilitati Ecclesiæ, & necessitatibus pauperum, laudabiliter facit. Si vero necessitas immineat pauperibus erogandi, superflua cura est, & inordinata, ut aliquis in futurum conservet. Quod Dominus prohibet, Matth. 6. *Nolite soliciti esse in crastinum* „„. Quando vero necessitas illa non imminet, cum semper pauperes nobiscum habeamus? Præclare *Petrus Cantor* in *Verbo Abbreviato*, cap. 59. „„ Quomodo (*inquit*) Prælati, successores Apostolorum, hujus temporis dicunt: *Ecce nos reliquimus omnia, & secuti sumus te*? Cum temporalibus abundent, etiam

supra laicos; cum omnia ea inquirant, quæ gentes? cum thesaurizent sic contra præceptum Domini multiplicantes aurum, & argentum, equos, & phaleras, & pompam sæculi, quod etiam Regibus Israel erat prohibitum, ne reducerentur in Ægyptum? Quomodo prædicabunt subditis dispergere, & erogare bona sua pauperibus, qui dispersa non cessant congregare, & reponere? Tutius esset, nec habere, unde aliis erogarent „ „.

REGULA XIV.

Clerici, qui sufficiens ad sustentationem suam patrimonium habent, ecclesiasticorum tamen beneficiorum redditibus, oblationibus, aliisve stipendiis ad necessarium victum, honestumque vestitum tuta conscientia uti possunt.

Hæc Regula colligitur ex Apostolo 1. ad Corinth. 9. cap. ubi probat, se ipsum, ac Barnabam exigere potuisse a Corinthiis necessitatem sustentationis, quamvis ex manuum suarum labore viverent, qui patrimonii loco ipsis erat. *Quis* (inquit) *militat suis stipendiis unquam? Quis plantat vineam, & de fructu ejus non edit? Quis pascit gregem, & de lacte gregis non manducat? Nunquid secundum hominem hæc dico? An & lex hoc non dicit? Scriptum est* Deut. 25. *enim in Lege Moysi: Non alligabis os bovis trituranti. Nunquid de bobus cura est Deo? An propter nos utique hoc dicit? Nam propter nos scripta sunt? Quoniam debet in spe, qui arat, arare, & qui triturat, in spe fructu percipiendi. Si nos vobis spiritualia seminavimus, magnum est, si nos carnalia vestra metamus? Si alii potestatis vestræ participes sunt, quare non potius nos? Sed non usi sumus hac potestate; sed omnia sustinemus, ne quod offendiculum demus Evangelio Christi. Nescitis, quoniam qui in Sacrario operantur, quæ de Sacrario sunt edunt, & qui Altari deserviunt, cum Altari participant? Ita Dominus ordinavit iis, qui Evangelium annuntiant, de Evangelio vivere.*

Id

Id confirmat perpetua Ecclesiæ disciplina, praxisque; nunquam enim Clericos patrimonium sufficiens habentes a reddituum ecclesiasticorum, decimarum, distributionum, aut oblationum participatione exclusit, aut beneficia possidentes ad relinquendum patrimonium obligavit; aut ad erogandum pauperibus portionem bonorum ecclesiasticorum ipsorum sustentationi, atque usui alias destinatam. Imo Canones bona propria defuncti Episcopi, aut cujusvis alterius Clerici, a redditibus ecclesiasticis diligenter separari jubent, & ista Ecclesiæ, illa vero ejus hæredibus servari. Episcopis etiam, aliisve Clericis permittunt, ut patrimonialia, propriaque bona donent, vel testamento legent, quibus voluerint; ecclesiasticorum vero bonorum fructus, sive oblationes, alteri, quam Ecclesiæ, relinquere non possint. Ita can. 40. inter eos qui Apostolici vocantur: „„ Sint manifestæ res propriæ Episcopi, si tamen habet proprias; & manifestæ Dominicæ, ut potestatem habeat de propriis moriens Episcopus, sicut voluerit, & quibus voluerit, derelinquere; ne sub occasione ecclesiasticarum rerum intercidant res Episcopi. Justum enim est apud Deum pariter, & homines, simul ne Ecclesia per ignorationem rerum Episcopi damni aliquid sustineat, simul ne Episcopus, aut cognati ejus, prætextis Ecclesiæ oblædantur„„. Refertur can. *Sint manifesta*, causa 12. quæst. 1.

Concilium Antiochenum, can. 24. „„ Manifesta sint (*inquit*) quæ pertinere videntur ad Ecclesiam cum notitia Presbyterorum & Diaconorum, qui circa ipsum sunt, ita ut agnoscant, nec ignorent, quæ sunt Ecclesiæ propria, nec eos aliquid lateat, ut si contigerit Episcopum migrare de sæculo, certis existentibus rebus, quæ sunt Ecclesiæ, nec ipsæ collapsæ depereant, nec quæ propria probantur Episcopi sub occasione rerum pervadantur Ecclesiæ. Justum namque, & acceptum est coram Deo, & hominibus, ut sua Episcopus, quibus voluerit derelinquat, & quæ Ecclesiæ sunt, eidem conserventur Ecclesiæ; ut nec Ecclesia

aliquod patiatur incommodum, nec Episcopus sub occasione proscribatur Ecclesiæ, & in causas incidant, qui ad eum pertinent, & ipse post obitum maledictionibus ingravetur „„.

Concilium Agathense, can. 48. „„ Episcopi de rebus propriis, vel acquisitis, vel quidquid de propriis habent, hæredibus suis, si voluerint, derelinquant; quidquid vero de provisione suæ Ecclesiæ fuerit, sive de agris, sive de fructibus, sive de oblationibus, omnia in jure Ecclesiæ servare censuimus „„. Hi, aliique Canones manifeste probant, Clericos patrimonium habentes, ecclesiasticos redditus nihilominus percepisse, iisque uti potuisse ad congruam, & honestam sustentationem; ita tamen, ut quod ex illis residuum esset, Ecclesiæ post eorum obitum servaretur.

Præterea, Ecclesiæ redditus esse stipendia, Clericorum ministerio, & laboribus debita, Canones asserunt; jure igitur utendi stipendiis illis non privantur, quibus sufficiens patrimonium est, si Ecclesiæ serviant. Ita Concilium Agathense can. 36. „„ Clerici omnes, qui Ecclesiæ fideliter, vigilanterque deserviunt, stipendia sanctis laboribus debita, secundum servitii sui meritum, vel ordinationem Canonum a Sacerdotibus consequantur.

Et *Innocentius III.* cap. *Cum secundum*, Ext. *de Præbendis*, ait: „„ Cum secundum Apostolum, qui Altari servit, vivere debeat de Altari; & qui ad onus eligitur, repelli non debeat a mercede; patet a simili, ut Clerici vivere debeant de patrimonio Jesu Christi &c „„.

Frustra vero quidam objiciunt can. *Ex his*, causa 12. qu. 1. cujus hæc sunt verba: „„ Ex his, quibus Episcopus indiget, si tamen indiget, ad suas necessitates, & peregrinorum fratrum usus & ipse percipiat, ut nihil ei possit omnino deesse „„. Hæc enim verba, *si tamen indiget*, non significant, Episcopum, vel Clericum, cui sufficiens patrimonium est, ecclesiasticis redditibus ad sustentationem suam uti non posse; sed ex hujusmodi redditibus tantum

ac-

accipere, & expendere ei licere, quantum opus erit & ad peregrinos suscipiendos & hospitalitatem exercendam. Unde subdit idem Canon; „ Lex enim „ Dei præcipit, ut qui altario deserviunt, pascan- „ tur de ipso „.

Frustra etiam objiciunt Canonem, *Clericos*, sub *S. Hieronymi* nomine citatum causa 12. quæst. „ „ Clericos autem illos convenit Ecclesiæ stipendiis sustentari, quibus parentum, & propinquorum nulla suffragantur bona. Qui autem bonis parentum sustentari possunt, si, quod pauperum est, accipiunt, sacrilegium profecto committunt, & per abusionem talium, judicium sibi manducant, & bibunt „ „. Hic enim Canon de iis intelligendus est, qui cum patrimonium sufficiens habeant, ecclesiasticis redditibus abutuntur, eosque in malos usus convertunt; vel occasione augendi patrimonii se a divinis subtrahunt obsequiis, quibus sic absentibus, & Ecclesiæ minime servientibus, fructus bonorum ecclesiasticorum jure non competunt, nec illos suos faciunt. Vel de quarta pauperibus debita, quæ dari prohibetur divitibus, Canon exponendus est. Denique si absolute, & absque illis exceptionibus, verba Canonis accipiantur, exhortationem, & consilium, non præceptum continet. Si tamen locupletes Clerici de bonis Ecclesiæ percipiunt, licet non debeat eis denegari portio, quia nemo cogitur suis stipendiis militare, mortaliter peccant, si ex cupiditate sua reservant. Ita Canonem illum explicat Glossa.

Frustra tandem objiciunt illa *S. Augusti.* verba, Epist. 185. alias 50. „ „ Si pauperum compauperes sumus, & nostra sunt, & illorum; si autem privatim, quæ nobis sufficiant, possidemus, non sunt illa nostra; sed pauperum, quorum procurationem quodammodo gerimus, non proprietatem nobis usurpatione damnabili vindicamus „ „.

Item verba *Juliani Pomerii*, lib. 2. *de Vita contemplativa*, c. 10. „ „ Nec illi, qui sua possidentes, dari sibi aliquid inde volunt, sine grandi peccato

suo, unde pauper victurus erat, accipiunt. De Cle-
Oseæ 4. ricis, quidem, dicit Spiritus sanctus: *Peccata populi mei comedunt.* Sed sicut nihil habentes proprium, non peccata, sed rudimenta; quibus indigere videntur, accipiunt; ita possessores non alimenta, quibus abundant, sed aliena peccata suscipiunt „„. Refertur Canone *Pastor*, causa 1. quæst. 2.

Verum hæc verba non perstringunt Clericos, qui patrimonium habentes, ex redditibus Ecclesiæ nihilominus vivebant, sed eos, quibus cupiditas ingressum in Collegia, seu Congregationes, ac Societates ecclesiasticas suadebat, non ut Ecclesiæ servirent, sed ut a suscipiendis apud se pauperibus, & peregrinis immunes, patrimonium augerent, & ex substantia pauperum interim viverent. Ita horum Patrum sententias interpretatur *Innocentius IV.* in cap. *Episcopus*, Extra, *de Præbendis*, scribens: „„ Intendit Auctor Canonicis prohibere, ne quis de patrimonio avare thesaurizet; & bona Ecclesiæ expendat; alias autem licet bona sua conservare hæredibus, & bona Ecclesiæ expendere „„. Atque hunc esse *Juliani Pomerii* sensum, verba sequenti Canone relata ostendunt. „„ Illi quoque (*inquit*) qui velut idonei, nihil quidem sibi dari, velut debitum, poscunt, sed tamen Ecclesiæ sumptibus vivunt, non est meum dicere, quali peccato cibos pauperum præsumendo suscipiant; qui Ecclesiam, quam juvare de propriis facultatibus debuerunt, suis expensis insuper gravant; propter hoc fortassis in Congregatione viventes, ne aliquot pauperes pascant; ne advenientes suscipiant, aut ne suum censum expensis quotidianis imminuant „„.

Hinc Aquisgranense Conc. anno 816. cum ex *Juliani Pomerii* verbis cap 107. Regulæ, quam præscripsit Canonicis, contexuerit, ait tamen cap. 115. ipsos „„ Proprias res, & Ecclesiæ cum humilitate, & justitia habere posse. *Et cap.* 120. Proinde (*inquit*) qui suas, & Ecclesiæ habent facultates, & in utilitatem Ecclesiæ interius, & exterius con-

conferunt, accipiant in Congregatione cibum, & potum, & partes eleemosynarum, & his contenti sint, ne plus accipientes, pauperes gravare videantur. *Et cap.* 122. Qui vero suis, & Ecclesiæ abundat rebus, instante sterilitatis tempore, eis, quos pauperes pascit Ecclesia, suis facultatibus cum charitate, & humilitate suffragari procuret „„.

Prosper Fagnanus vir canonici juris consultissimus, oppositos hac in materia Canones trium temporum distinctione conciliat, in cap. *Si quis*, Extra. *De Peculio Clericorum.* „ Primum tempus est (inquit) „ quando in primitiva Ecclesia Clerici communiter „ habitabant, & nihil proprii habebant, sed omnia „ habebant communia, & de illis bonis communibus „ Clerici vivebant, primo juxta dispensationem Apo„ stolorum, deinde juxta dispensationem Episcopo„ rum, qui Apostolis successerunt. Et secundum hoc „ tempus non est quærendum, an Sacerdotes, & Cle„ rici habentes propria possent vivere de bonis Eccle„ siæ, cum nihil proprium possiderent. Secundum „ tempus successit, in quo Episcopi videntes utile fo„ re, ut prædia oblata conservarentur Ecclesiis ca„ thedralibus, ut ex eorum fructibus posset omnibus „ indigentibus uberius subveniri, statuerunt, ut bona „ hujusmodi non venderentur, sed conservarentur, „ & Episcopus haberet potestatem ea dispensandi, pro„ ut cuique opus esset; & de redditibus Ecclesiæ fie„ rent quatuor partes, quarum una deberetur Episco„ pis, alia Clericis, tertia fabricæ, quarta pauperibus. „ Et hoc tempore emanarunt jura, quæ disponunt, „ ut Clerici habentes proprium, nullatenus participent „ de redditibus Ecclesiæ. Ratio ejus dispositionis fuit, „ quia cum adhuc illicitum videretur, ut Clerici pro„ prium possiderent contra vestigia Apostolorum, & „ nonnulli id facerent clam, ut ostenderent se san„ ctiores, quam essent, ut in cap. *Certe*, 12. q. 1. „ multo detestabilius videbatur, ut proprium habe„ rent & nihilominus viverent de redditibus eccle„ siasticis, qui reservati erant principaliter pro subsi-

„ dio indigentium; unde satis erat, ut permitteretur „ eis, bona patrimonialia possidere. Ideoque con- „ stitutum fuit, ut Clerici etiam servientes, stipendia „ ecclesiastica non acciperent, nisi essent pauperes, „ prout disponitur cap. *Sacerdos* 1. qu. 2. Tertium, & „ ultimum tempus fuit, quando Clerici, cum non es- „ sent ita ferventes in fide, cœperunt, licet omni „ scandalo cessante, possidere propria, & Ecclesiæ „ construi, & dotari principaliter pro earum mini- „ stris, & erecti etiam fuerunt tituli beneficiales. Et „ hoc tempore statutum fuit, ut Clerici possent licite „ vivere de redditibus Ecclesiæ, & bona patrimonia- „ lia suis hæredibus relinquere. Sit igitur firma Con- „ clusio, quod Clerici etiam habentes proprium patri- „ monium, possint sustentari de redditibus beneficii; cui suffragatur etiam universalis consuetudo.

REGULA XV.

Clerici, quibus sufficiens patrimonium est, urgente pauperum necessitate, redditus omnes ecclesiasticos, sive fructus beneficiorum, decimas, distributiones, oblationes, aliasque obventiones sacras, pauperibus erogare tenentur, & ex patrimonio suo vivere; alioqui graviter peccant.

Hanc Regulam tradit *S. Thom.* 22. qu. 185. art. 7. ad tertium: „„ Non omnia bona Ecclesiarum (*inquit*) sunt pauperibus largienda, nisi forte in articulo necessitatis, in quo etiam pro redemptione captivorum, & aliis necessitatibus pauperum, vasa cultui divino dicata distrahuntur, ut Ambrosius dicit; & in tali necessitate peccaret Clericus, si vellet de rebus Ecclesiæ vivere, dummodo haberet patrimonialia bona, de quibus vivere posset „„.

Lib. 2. Officiorum cap. 28.

Denique illis, qui plene sufficientem habent sustentationem ex patrimonio, vel ex beneficio, alterum „ est superfluum, ac proinde pauperibus debitum; „ qui vero, neque ex patrimonio, neque ex bene- „ ficio sufficientem omnino sustentationem habent, „ ea lege utrumque retinere possunt, ut ex utro-

„ que

„ que nihil accipiant ultra sustentationem decentem, „ juxta conditionem proprii status. Quod enim vere „ superfluum est, dandum esse pauperibus, Theo- „ logi communiter docent (ait pius, & eruditus „ Cardinalis Bellarminus lib. 1. *de Clericis*, cap. 28.) Certe si divino præcepto divites Laici obligantur ad ea pauperibus eroganda, quæ sibi superflua sunt, secundum illud Lucæ 3. *Qui habet duas tunicas, det non habenti; & qui habet escas, similiter faciat.* Sic christianæ Moralis egregii Doctores SS. Hieronymus, & Augustinus vere dixerunt, ille in Epistola ad Hebdiam. qu. 1. „ Si plus habes, quam tibi ad „ victum, vestitumque necessarium est; illud eroga, „ & in illo debitricem esse te noveris „; iste vero Ennaratione in Psalm. 47. n. 12. „ Superflua divi- „ tum, necessaria sunt pauperum. Res alienæ possi- „ dentur; cum superflua possidentur „; Quanto magis Clerici tenentur superflua, sive beneficii, sive patrimonii, sive utriusque, pauperibus erogare, non solum extremam, non solum gravem, sed communem etiam necessitatem patientibus; cum thesaurizare in terris non debeant, qui Dominum partem esse suam, ac hæreditatem singulari quadam ratione profitentur; bonaque ecclesiastica, quæ possident, depositi sint pietatis, & patrimonia pauperum, illorum fidei, ac dispensationi commissa?

CAPUT VI.

De Beneficiis ecclesiasticis, illicitaque eorum captatione, possessione, resignatione, permutatione, & beneficiorum Officiis.

Beneficium *ecclesiasticum est jus perpetuum percipiendi fructus ex bonis ecclesiasticis provenientes, Ecclesiæ auctoritate constitutum, competens Clerico propter sacrum ministerium, seu officium spirituale, quod exhibere debet Ecclesiæ, cujus ex bonis sustentatur.*

Ecclesiastici beneficii definitio explicatur.

Dicitur *Jus perpetuum*. Pensiones enim, quæ ad certum duntaxat tempus sunt concessæ, & pensionarii morte extinguntur, non sunt beneficia. Nec etiam dignitates, & administrationes temporariæ, quales sunt Vicariorum generalium, & Officialium Episcopi. Dicitur *Auctoritate Ecclesiæ constitutum*: Quia summi Pontificis, aut Episcopi approbatio, & confirmatio necessaria est, ut proventus aliqui Ecclesiis, sive Clericis ob officium spirituale concessi, rationem beneficiorum habeant. Unde Capellaniæ, seu redditus ob Missarum celebrationem in perpetuum fundati, quos vulgo *Obitus* nuncupamus, beneficia ecclesiastica non censentur, sed stipendia duntaxat, vel eleemosynæ; nisi ab Episcopo, aut a romano Pontifice in beneficii titulum accepti sint, & instituti. Dicitur *Clerico competens*: Quia nemini conferri potest, qui non sit prima saltem Tonsura initiatus. Dicitur denique *Propter sacrum Ministerium*: Quia *beneficia ad divinum cultum, atque ecclesiastica munia obeunda sunt constituta*, ut loquitur Conc. Trid. Sess. 21. cap. 3. *de Reform.* Unde beneficium, *Ecclesiasticum ministerium* appellatur, cap. *Quia nonnulli*, Ext. *De Clericis non residentibus*: Ut merito *Beneficium propter officium* dari dicatur, cap. *Quia per ambitiosam*, Tit. *de Rescriptis*, in 6. Officium autem illud non sola canonicarum horarum, seu Breviarii recitatio intelligenda est, ad quam omnes Beneficiarii tenentur; sed Sacramentorum administratio, Missarum celebratio, Evangelii prædicatio, aliæque functiones sacræ, quibus ex institutione, & ordine Ecclesiæ Beneficiarii sunt obstricti, ut colligitur ex cap. *Significatum*, Ext. *de Præbendis, & dignitatibus*. Cum enim æquum sit, eos, qui altari serviunt, de altari vivere; a contrario sensu sequitur, eos, qui de altari vivunt, altari servire oportere. Unde Concilium Colonienſe anno 1549. celebratum Tit. 9. cap. 3. „ Divini (*inquit*) juris est, ut qui servit altari, de „ altari vivat. Nec bono jure is, qui non servit al„ tari, de altari vivit; sicut stipendium non debe-

„ tur

„ tur, nisi militanti „. Quamobrem, si nullum speciale munus beneficiis sit adnexum, iis ecclesiasticum aliquod ministerium, ut annectat Episcopus, conveniens est Ecclesiæ disciplinæ, ut statuit Concilium Mediolanense 1. Constitutionum p. 2. tit. 26. „„ Si (*inquit*) aliqua dignitas, personatus, aut officium in Ecclesia fuerit, cui neque ab institutione, neque a jure communi, neque a propriis Constitutionibus, quæ probatæ sint, neque his decretis proprium munus in divinis Officiis sit attributum, aut quod sit, non satis constet; Episcopi, duobus adhibitis de capitulo, quorum alter ab Episcopo, alter a capitulo deligatur, assignent singulis dignitatibus, & officiis proprium munus, quemadmodum cum sententia sacrorum Canonum, & cum propriæ Ecclesiæ probatis Constitutionibus, & cum his Sanctionibus pro ratione loci magis congruere judicabunt. Cæteris etiam beneficiis, quæcunque jam ab ecclesiasticis Officiis immunia reperiuntur, sive Canonicatus, sive Clericatus, sive etiam simplicium nomine appellantur, iis Episcopus pristina munera restituat: at, si non constat satis, qualia essent, pro fructuum ratione munera imponat, aut Missas, divinaque Officia celebrandi; aut si Clericatus, simpliciave beneficia sint, minorum etiam Ordinum functiones obeundi ad divini cultus propagationem „„. Idem statuit Concilium Burdigalense anno 1624. celebratum, cap. 18. n. 1.

Beneficia porro nuncupata sunt, quod actione benefica, & spontanea conferantur Clericis Ecclesiæ militantibus, sicut & prædia, quæ militibus profanis, & sæcularibus, concedebantur, feuda, & beneficia dicta sunt.

Quotuplex beneficiorum genus.

Omissa beneficiorum divisione in ea, quæ dignitatem habent, & præeminentiam singularem, quæ & personatus interdum appellantur; & ea, quibus annexa est cura animarum; & ea, quæ sunt absque dignitate, & cura; beneficiorum primaria, & maxime vulgata divisio est in sæcularia, & regularia.

Sæ-

Sæcularia sunt, quæ Clericis sæcularibus tantum; Regularia, quæ regularibus tantum debentur, & conferri possunt, id est, qui professionem in aliquo Ordine religioso, beneficiorum capace, secundum Ecclesiæ disciplinam emiserint; vel ei nomen dederint, profitendique intra annum conditionem subeant. Hinc tritum illud, & praxi receptum: *Sæcularia sæcularibus, Regularia regularibus.* Prout concordatis a Concilio Lateranensi 5. confirmatis, & Concilii Trid. sess. 14. cap. 10. & 11 *de Reformatione* statutum est.

Quædam rursus beneficia sunt cum animarum cura conjuncta, ut Episcopatus, Decanatus, Cura parochialis, Abbatia, Prioratus regularis, &c. Quædam sine animarum cura, ut Canonicatus, præbendæ, capellaniæ, ac Prioratus simplices. Ad ordinem beneficiorum curam animarum habentium revocantur ecclesiasticæ dignitates, & beneficia, quibus jurisdictio contentiosa, & jus quoddam correctionis morum est adnexum, quales sunt Archidiaconatus, & quædam Ecclesiarum collegiatarum præfecturæ.

Beneficia rursus alia in Titulum, alia in Commendam collata sunt, jure novo Ecclesiæ probato; alias enim reciproca erant in Ecclesia, Tituli, beneficiique nomina. Cæterum commendata beneficia dicuntur, quæ cum regularia sint, a summo Pontifice Clericis sæcularibus eorum immutata natura, velut administratoribus conferuntur, atque commendantur. Commendatorios porro, si ætatem præscriptam a jure ad suscipiendos sacros Ordines attigerint, Concilium Rothomagense Tit. *de Monasteriis*, intra annum promoveri debere decrevit; alias Episcopum pro suo jure agere posse, usque ad declarationem vacantium omnium beneficiorum. Promotos vero ad celebrandam Missam, iisdem legibus, quibus omnes Presbyteri, obligandos, & compellendos esse ab Ordinariis, si fuerint contumaces, aut contemptores. Tum de eorum vita, & honestate subdit: „„ Commendatarii, quamvis ad regularem observantiam non obligentur, ne tamen sint sine jugo,

Abbatum, & priorum Commendatariorum obligatio.

at-

atque omni regula, decet eos medium ſtatum, atque ordinem ſequi, & oſtendere inter regulares, & ſæculares Clericos in veſtitu, in victu, & in omni ornatu. Tonſura utantur ampliori, quam ſacerdotali, habitu propius ad regularem accedente. Nec exiſtiment ſibi commendatum monaſteriorum regimen ad luxum, aut prodigalitatem, aut ad augendam rem ſuam, & conſanguineorum familiam; ſed ad piam, & juſtam alienarum rerum diſpenſationem, & quarum non habent proprietatem, Deoque de omnibus reddendam eſſe rationem „ „.

Ut autem præcipua vitia noſcantur, quæ in beneficiorum collatione, captatione, poſſeſſione, reſignatione, & permutatione contingunt, Regulas quaſdam pro more ſtatuemus.

REGULA PRIMA.

Ad beneficia eccleſiaſtica promoveri non debent, niſi legitimi, & qui ſint moribus, ſcientia, ætate, ordineque idonei. Si vero ſint parochiales Eccleſiæ, requiritur inſuper, ut idioma loci intelligant, & expedite loqui ſciant.

Qui ad beneficia eccleſiaſtica poſſidenda idonei.

Beneficium enim *eccleſiaſticum non poteſt ſine inſtitutione canonica obtineri;* ſecundum Regulam 1. juris in 6. Pertinet autem ad inſtitutionem canonicam, ut beneficium conferatur ei, qui ſit ad illud poſſidendum, ejuſque functiones obeundas idoneus, puta, qui non ſit irregularis, nec infra legitimam ætatem (inquit *S. Antoninus* 3. p. tit. 15. §. *de Beneficiis.*) Hinc cap. *Poſtulaſti*, Ext. *de Clerico excommunicato, depoſito, vel interdicto miniſtrante*, Innocentius III. reſpondet: „„ Cum excommunicatis communicari non debeat, Clericis excommunicationis vinculo innodatis eccleſiaſtica beneficia conferri non poſſunt, nec illi valent ea licite retinere, niſi forſitan cum eis fuerit miſericorditer diſpenſatum; cum ea non fuerint canonice conſecuti „„.

Excommunicatis conferri non poſſunt.

Idem confirmatur ex cap. *Licet*, tit. *De Electione*, in

Ætas 25. annorum inchoatorum ad regimen parochialis Ecclesiæ necessaria.

in 6. „„ Licet Canon a felicis recordationis Alexandro Papa III. prædecessore nostro editus, inter cætera statuerit, ut nullus regimen Ecclesiæ parochialis suscipiat, nisi vigesimum quintum annum ætatis attigerit, ac scientia, & moribus commendandus existat. Quodque talis ad regimen assumptus hujusmodi si monitus non fuerit præfixo a Canonibus tempore in Presbyterum ordinatus, a regiminis ejusdem amoveatur officio, & alii conferatur; quia tamen in observatione Canonis memorati se multi exhibent negligentes; nos periculosam illorum negligentiam volentes juris executione suppleri, præsenti Decreto statuimus, ut nullus ad regimen parochialis Ecclesiæ assumatur, nisi sit idoneus moribus, scientia, & ætate; decernentes collationes de parochialibus Ecclesiis, his, qui non attigerint vigesimum quintum annum, de cætero faciendas, viribus omnino carere „„.

Et ex cap. *In Lateranesi*, Ext. *De Præbendis, & dignitatibus*, quo *Innocent. III.* ex sententia Concilii Lateranensi 4. statuit, ut Regulares ad regimen parochialium Ecclesiarum, quæ ad ipsos pleno jure non pertinent, Episcopis Presbyteros instituendos præsentent: „ Quos vel conversatio notos reddit, vel commendat probabile testimonium Prælatorum „.

Scientia, & morum integritas.

Et Clemens V. Clementia *Cum ei* tit. 3. *De Concessione Præbendæ*, eum, cui beneficium confertur, esse vult *Scientia idoneum, vitæ laudabilis, & conversationis honestæ.*

Hanc Regulam confirmat Conc. Tridentinum, Sess. 24. cap. 12. *de Reformatione.* „„ Nemo (*inquit*) deinceps ad dignitates quascunque, quibus animarum cura subest, promoveatur, nisi qui saltem vigesimum quintum suæ ætatis annum attigerit; & in clericali Ordine versatus, doctrina ad suum munus exequendum necessaria ac morum integritate commendetur, juxta Constitutionem Alexandri III. in Conc. Lateranensi promulgatam, quæ incipit; *Cum in cunctis.* Archidiaconi etiam, qui oculi dicuntur Episcopi, sint in omnibus Ecclesiis, ubi fieri poterit,

Archidiaconi oculi Episcopi.

rit, magistri in Theologia, seu Doctores, aut Licentiati in jure canonico. Ad cæteras autem dignitates, vel personatus, quibus animarum cura nulla subest, Clerici alioquin idonei, & viginti duobus annis non minores adsciscantur „ „. Quod de anno inchoato est intelligendum. Ad simplices autem Cathedralium canonicatus sufficit decimus quartus annus completus: Ad canonicatus Collegiatarum, decennium completum in Galliis: Ad beneficia simplicia, quæ dicuntur ad simplicem Tonsuram, septennium completum. At extra Galliam nullus ante 14. ætatis annum beneficium quodvis obtinere potest, juxta Trid. Conc. Decretum sess. 33. cap. 6. *de Reformat.*

Ætas ad cæteras Dignitates, canonicatus, & simplicia beneficia necessaria.

Et infra: „ „ Neminem etiam deinceps ad dignitatem, canonicatum, aut portionem recipiant, nisi qui eo ordine aut sit initiatus, quem illa dignitas, præbenda, aut portio requirit; aut in tali ætate, ut infra tempus a jure, & ab hac sancta Synodo statutum initiari valeant „ „.

In Galliæ regno oppidorum muratorum Parochi graduati esse debent, vel artium magistri, aut saltem triennium studii theologici, vel juris canonici in aliqua Academia compleviſſe, ut patet ex Concordatis, Tit. *de Collationibus.* Idemque statuitur de omnibus Ecclesiarum cathedralium dignitatibus, & Primariis Collegiatarum edicto *Henrici IV.* anni 1606. art. 31. Ad præbendam Theologalem, non tamen ad præceptorialem exigitur gradus Doctoris in Theologia, ex edicto Aurelianensi *Caroli IX.* art. 8. & Blesensi *Henrici III.* art. 33.

Gradus academici quibus necessarii.

Major autem scientia in Episcopis requiritur, quam in parochialium Ecclesiarum Rectoribus; major in Parochis, quam in Presbyteris animarum curam non habentibus; major in Parochis urbium, quam pagorum. Ad Episcopatum promovendi *Scrutabiliter, & non transitorie* debent legisse *sacros Canones, & omnem divinam Scripturam. Substantia enim summi Sacerdotii, sunt eloquia divinitus tradita.* Quod si hujusmodi lectione, & doctrina sint destituti, nullatenus

Episcoporum scientia.

or-

ordinandi sunt. Verba sunt septimæ Synodi oecumenicæ, relata can. *Omnes Pjallentes*, dist. 38. Sed & Curati in studio Scripturæ sacræ, & Canonum mediocriter saltem versati esse debent, ut colligitur ex Canone *Ignorantia*, dist. 10. qui Concilio Toletano desumptus est: „„ Sciant ergo Sacerdotes Scripturas sanctas, & Canones, & omne opus eorum in prædicatione, & doctrina consistat; atque ædificent cunctos tam fidei scientia, quam morum disciplina „„. Et can. *Nulli*, dist. 38. *Cœlestinus I.* ait: „ Nulli Sacerdotum liceat Canones ignorare; nec „ quidquam facere, quod Patrum possit regulis obviare „. Eminentem literaturam in iis, qui ad Episcopatum, & parochialium Ecclesiarum regimen promoventur, optat Ecclesia, competentem requiritur, ut constat ex *Innocent. III.* cap. *Cum nobis*, Ext. *De electione, & electi potestate.* Eminentis scientiæ est: „ Qui subtiles quæstiones discutere, & definire novit, „ & in promptu responsiones habet „. Mediocris vero scientiæ est, „ Qui scit aliquo modo examinare negotia, quamvis ad omnia nesciat respondere; & qui „ in libris veritatem eorum, quæ scire tenetur, scit „ quærere; etsi in promptu omnia non habeat „; ut explicat *Innocent. IV.* in cap. *Cum in cunctis, de electione, & electi potestate.* Hinc Episcopos in lectione, & studio Scripturæ sacræ, sanctorum Patrum, Canonum, & Pastoral. libris *S. Gregorii* assiduos esse jubent Concilia, Remense 2. Can. 14. Turonense 3. Can. & 3. Cabilonense 2. Can. 1. Aquisgranense 2. Canonibus 2. 3. & 4.

Eamdem Regulam mire confirmat Conc. Toletani 11. Can. 2. „„ Quantum (*inquit*) quis præcelsi culminis obtinet locum, tanto necesse est præcedat cæteros gratia meritorum; ut in eo quod præsidet singulis, singulariter ornetur eminentia sanctitatis, habens semper in ore gladium veritatis, & in opere efficientiam luminis; ut juxta Paulum potens sit exhortari in doctrina sana. & contradicentes arguere. Nos proinde nostri Ordinis gradum, vel susceptí regiminis mo-

modum magnopere cogitare debemus, ut qui officium prædicationis suscepimus, nullis curis a divina lectione privemur. Nam quorumdam mentes Pontificum, ita corporis otio a lectionis gratia secluduntur, ut quid doctrinæ subditis exibeat gregibus, non inveniat præco mutus. Insistendum ergo semper erit majoribus, ut quos sub regiminis sui cura tuentur, fame verbi Dei perire non sinant. Sic Metropolitanis in confinitimo, confinitimis in commisso sibi religiosorum numero vigilandum est, qualiter nescientia talium divinæ Legis traditionibus imbuatur; ita ut indefinenti solicitudine Prælatus quisque subditos quærens, aut profectum eorum lætabundus agnoscat, aut nescientiam sine arrogantia instruat. Placuit ergo de talibus juxta instituta Toletani Concilii, ut aut sponte sumant intentionem necessariam perdiscendi, aut a majoribus ad lectionis exercitia cogantur inviti „„.

Hinc *S. Gregorius magnus* p. 1. *Pastoralis*, cap. 1. „„ Nulla ars (*inquit*) doceri præsumitur, nisi intenta prius meditatione discatur. Ab imperitis ergo Magisterium pastorale suscipitur in magna temeritate; quoniam ars est artium regimen animarum. Quis autem cogitationum vulnera occultiora esse nesciat vulneribus viscerum? Et tamen sæpe qui nequaquam spiritalia præcepta cognoverunt, cordis se medicos profiteri non metuunt; dum qui pigmentorum vim nesciunt, videri medici carnis erubescunt „„.

Quod vero promoveri ad parochiales Ecclesias non debeant, nisi *Qui intelligant*, & *intelligibiliter loqui sciant idioma loci, ubi Ecclesia, aut beneficium hujusmodi consistit*, aliasque provisio nullius sit roboris, constat ex Reg. 20. Cancellariæ Apost. *De Idiomate*. Cum enim Parochus confessiones pœnitentium excipere, illisque verbum Dei prædicare, & Doctrina christiana imbuere illos debeat, omnino necesse est, ut eorum idiomate *intelligibiliter* loquatur. Quam Regulam confirmant verba Domini Ezechielis 3. *Non enim ad populum profundi sermonis, & ignotæ linguæ tu mitteris, ad domum Israel, quorum non possis audire sermones, &c.*

„ Parochialibus Ecclesiis non præficiendi nisi qui loci idioma intelligant, & loqui possint.

REGULA II.

Qui beneficium impetravit Graduatis duntaxat, vel Doctoribus secundum Ecclesiæ leges conferendum; aut illud vi graduum obtinuit; illud tuta conscientia possidere, & retinere non potest, nisi præscriptum studii tempus in aliqua Universitate perfecerit, ac scientiam adeptus sit competentem.

Quid in eis desideretur, qui vi graduum beneficia obtinent.

Hanc Regulam firmant pacta inter *Leonem X.* Romanum Pontificem, & *Franciscum I.* Concordata, Concil. Lateranense 5. ea confirmant Sess. 11. & Regum Christianissimorum Constitutiones, Bessensis *Ludovici XII.* anno 1498. art. 2. & Lugdunensis anni 1510. art. 8. nec non *Henrici III.* quibus sancitum est, ut beneficia Graduatis debita nonnisi illis conferantur, qui præscriptum, ac legitimum studiorum tempus impleverint. Quamobrem, qui ad gradus per saltum promoti fuerunt, beneficia retinere non possunt Graduatis debita. Idem esto judicium de illis, qui cum legitimo tempore studuerint, scientiam tamen competentem non sunt adepti. Alioqui Ecclesiæ legibus illuditur, quæ certa beneficia nonnisi Doctoribus, & Licentiatis in Theologia, & jure Canonico conferri decrevit, quia scientia, quam postulant gradus illi academici, necessaria est ad hujusmodi beneficiorum functiones exercendas. Nam *Certum est, quod is committat in legem, qui legis verba complectens, contra legis nititur voluntatem.* Regula est juris 88. in Sexto.

REGULA III.

Beneficia ecclesiastica, curam præsertim animarum annexam habentia, suscipere nemo debet, nisi qui ad illa vocatus a Deo est.

Legitima vocatio. Quomodo explorandа.

Nec enim *quisquam sumit sibi honorem, sed qui vocatur a Deo, tanquam Aaron;* (inquit Apostolus Epistolæ ad *Hebræos* cap. 5.) Censeri autem debet a Deo vocatus, qui morum integritate, scientia, ætate, ordine, cæteris que dotibus ad beneficium obtinendum

dum ejusque sacras functiones obeundas necessariis instructus, Ecclesiisque, ad quas, aut in quibus promovetur, necessarius, aut utilis ab Episcopo judicatur. Non solum enim ad beneficia, sed ne ad Ordines quidem ullus est promovendus, *Qui judicio sui Episcopi non sit utilis, aut necessarius suis Ecclesiis*, ut statuit Conc. Tridentinum sess. 23 cap. 16. *De Reformat.* Necesse est præterea, ut seipum serio examinet, qui ad beneficium promovetur, videatque, ne forte illud pro seipso postulaverit, suisque, aut parentum, vel amicorum precibus, aut favore illud impetraverit; ne pactionibus, aut conventionibus secretis, atque simoniacis; ne pensionis absque legitima causa impositæ, aut tertiam partem reddituum excedentis onus subierit, & conditionem acceperit, ut beneficium obtineret; ne denique absque institutione canonica illud sit adeptus, aut prava intentione illud suscipiat. Explorare insuper debet voluntatem Dei, suis, piorumque orationibus, exemplo Christi, qui *Exiit in montem orare, & erat pernoctans in oratione Dei; & cum dies factus esset, vocavit discipulos suos, & elegit duodecim ex ipsis, quos & Apostolos nominavit;* (ut habetur *Luc.* 6.) Virorum denique sapientum, & spiritualium consilium adhibere debet, sibique ipsi diffidere, ne cupiditate sua decipiatur, ac seducatur.

REGULA IV.

Qui in beneficia ecclesiastica curam animarum habentia se ingerunt, vel illa ambiunt, a Deo minime sunt vocati.

Non sunt a Deo vocati, qui in beneficia curam animarum habentia se ingerunt aut illa ambiunt.

Nam (ut scite ait *Origines* Hom. 6 in Isaiam) „„ Bonum est non prosilire ad eas, quæ a Deo sunt dignitates, & principatus, & ministeria Ecclesiæ; sed imitari Moysen, & dicere cum eo: *Provide alium, quem mittas*: Neque ad Principatum Ecclesiæ venit, qui salvari vult, sed ad servitutem Ecclesiæ „„.

Id confirmatur ex can. *Principatus*, qui est *S. Leonis*, & refertur causa 1. q. 1. „„ Principatus, quem

aut seditio extorsit, aut ambitus occupavit, etiamsi moribus, aut actibus non offendit, ipsius tamen initii sui est pernicioſus exemplo, & difficile est, ut bono peragantur exitu, quæ malo sunt inchoata principio „ „.

Et ex Canone, *In Scripturis*, qui est *S. Gregorii*, & legitur causa 8. qu. 1. „ „ Sicut locus regiminis desiderantibus negandus est, ita fugientibus offerendus. Et sicut scriptum est, *nec quisquam sumit sibi honorem, sed qui vocatur a Deo tanquam Aaron* „ „. Desiderium quidem boni operis, & laboris, ecclesiastico beneficio annexi, laudabile est, secundum illud Apostoli: *Qui Episcopatum desiderat, bonum opus desiderat;* sed principatus, ac dominationis desiderium damnandum est. Illud charitatis est, adeoque divinæ vocationis congruum, istud ambitionis, ac proinde cœlesti vocationi adversum, ut explicant *S. Joan. Chrysostomus* Homil. 10. in Epistolam 1. ad *Timotheum;* & *Theodoretus* Commentario in cap. 3. ejusdem Epistolæ. Laudabile fuit Episcopatum appetere tempore persecutionis, quia *Nihil aliud erat quam optare quotidie millies pro Christo mori;* sed vix id absque vitio contingeret nostris temporibus, quibus non aliud intelligitur Episcopatus appellatione, *Quam fructus, & vectigalia, & honores*, (inquit *S. Gaudentius Brixienſis*, in eumdem Apostoli locum.) Et quamvis laboris solius, bonique operis intuitu, optaret aliquis, aut postularet beneficium ecclesiasticum, cui annexa est animarum cura, ad idque esset idoneus, periculosum tamen esset hujusmodi desiderium, periculosa postulatio, quia sibi ineſſe eam, quæ ad sacras talis beneficii functiones est necessaria, dispositionem, sine præsumptione vix quisquam de se ex propria animi sententia suspicatur; præsertim quia „ „ Sæpe sibi de se ipsa mens humana mentitur, & fingit se de bono opere amare, quod non amat, de mundi autem gloria non amare, quod amat, quæ principari appetens, fit ad hoc pavida, cum quærit; audax cum pervenerit „ „. Quamobrem

Quando laudabile fuit Episcopatum appetere.

rem *S. Augustin.* lib. 9. *de Civitate Dei*, cap. 19. recte ait: „ Locus superior, sine quo regi non potest, „ etsi ita teneatur, atque administretur, ut decet, „ tamen indecenter appetitur „. Et *S. Gregorius magnus*, Pastoralis p. 1. cap. 9. inter ecclesiastici regiminis difficultates, & bona, medium illud tenendum docet. „ Ut virtutibus pollens, coactus ad regimen „ veniat; virtutibus vacuus, nec coactus accedat „. Hinc *S. Isidorus Hispalensis*, lib. 3. *Sententiarum*, cap. 34. Viro ecclesiastico præcipit, ut „ Ad dispensa- „ tionem ecclesiastici Ordinis, si ex Dei voluntate „ pervenerit, nolens quidem, sed humilis gubernan- „ dam suscipiat „. Id divinæ vocationis argumentum est.

Locus superior indecenter appetitur.

Nolentes ad Ecclesiæ regimen promovendi.

Huc accedit, quod lib. 7. Capitularium, cap. 449. scriptum est: „ „ Ille in ovile ovium intrat per ostium, qui intrat per Christum. Ipse autem per Christum ingreditur, qui de eodem Creatore, ac Redemptore humani generis vera sentit, & prædicat, & prædicata custodit; culmen regiminis ad officium portandi oneris suscipit, non ad appetitum gloriæ transitorii honoris; curæ quoque suscepti ovilis solerter invigilat, ne oves Dei, aut perversi homines prava loquentes dilanient, aut maligni Spiritus oblectamenta vitiorum suadentes devastent „ „.

Quis intret per ostium.

Denique *S. Thomas*, Secunda Secundæ; Quæstione centesima, art. 5. ad tertium, hanc Moralis christianæ, quam stabilimus, regulam his verbis confirmat: „ „ Si aliquis pro se rogat, ut obtineat curam animarum, ex ipsa præsumptione redditur indignus; & sic preces sunt pro indigno „ „.

Qui pro se petit curam animarum, indignus est.

Consonat ista Doctoris angelici doctrina *S. Joan. Chrysostomi* sententiæ, Homilia 3. in Acta Apostolorum. „ „ Quem enim (*inquit*) conscium adibis, si procuraris, vel per teipsum, vel per alium? Quibus oculis intueberis illum, qui tibi fuit auxilio? Quid habebis, quod excuses? Etenim qui nolens, & invitus compulsus est, habiturus est aliquam excusationem. Quamquam maxime & hic privatus est ve-

nia, nisi quod ad hoc coactus, aliquid habet excusationis. Cogita, quid acciderit Simoni. Quid enim refert, si non das pecuniam, sed pecuniæ loco adularis, subornas, multaque machinaris? Pecunia tua sit tecum in perditionem, ad illum dictum est; & his dicitur, ambitio tua sit tecum in perditionem, quoniam putasti ambitu humano parari regnum Dei „„.

REGULA V.

Qui beneficia ecclesiastica honoris, & redditnum temporalium intuitu principaliter suscipiunt, non solum a Deo non sunt vocati, sed lethalis peccati rei sunt.

Beneficia ecclesiastica ob honorem, aut propria commoda non suscipienda.

Hæc Regula colligitur ex *S. Augustino*, lib. 2. *de Sermone Domini in Monte*, c. 13. „„ Sæpe (*inquit*) cogitatio necessariarum rerum, ad istam vitam pertinentium, sauciat, & sordidat interiorem oculum nostrum, & plerumque cor duplicat, ut ea, quæ videmur cum hominibus recte facere, non eo corde faciamus, quo Dominus præcipit, id est, non quia eos diligimus, sed quia commodum ab eis aliquod propter necessitatem præsentis vitæ adipisci volumus. Debemus autem benefacere illis propter salutem ipsorum æternam, non propter temporale commodum nostrum. Inclinet ergo Deus cor nostrum in testimonia sua, & non in emolumentum. Finis enim præcepti est charitas de corde puro, & conscientia bona, & fide non ficta. Qui autem propter suam in hac vita necessitatem fratri consulit; non utique charitati consulit; quia non illi, quem debet tanquam se ipsum diligere, sed sibi consulit; vel potius nec sibi; quandoquidem hinc sibi facit duplex cor, quo impeditur ad videndum Deum; in qua sola visione beatitudo est vera, atque perpetua. *Et infra*: Ergo si in terra erit cor, id est, si eo corde quisque operetur aliquid, ut terrenum commodum adipiscatur, quomodo erit mundum, quod in

terra

terra volutatur? Si autem in cœlo, mundum erit, quia munda sunt quæcunque cœlestia. Sordescit enim aliquid, cum inferiori naturæ miscetur, quamvis in suo genere non sordidæ; quia etiam de puro argento sordidatur aurum, si misceatur; ita & animus noster terrenorum cupiditate sordescit „ „.

Idem confirmat *Gaufridus* Claræ vallensis Abbas, declamatione in Evangelium *Ecce nos reliquimus omnia*, inter Opera S. Bernardi, §. 2. „„ Petro dictum est: *Simon Joannis, amas me? Pasce oves meas.* Idemque tertio repetitum. Tertio dictum, *Pasce*, nec mulge, seu tonde, vel semel additum est. Speret ergo discipuli locum, gradum ministri, qui dominicum pascere gregem satagit, quam tondere; pascere vero tripliciter, exemplo conversationis, verbo prædicationis, fructu orationis; & pascere ad mandatum Christi, ut nemo sibi hunc sumat honorem, sed qui vocatus fuerit a Deo tanquam Aaron „„. Joan. 21. Hebr. 5.

Quod de Episcopis dixit Tridentina Synodus sess 25. *de Reform.* c. 1. reliquos beneficiarios etiam spectat. „ „ Optandum est, ut se non ad propria commoda, non ad divitias, aut luxum, sed ad labores, & solicitudines pro Dei gloria vocatos esse intelligant. Nec enim dubitandum est, & Fideles reliquos ad religionem, innocentiamque facilius inflammandos, si præpositos suos viderint non ea, quæ mundi sunt, sed animarum salutem, ac cœlestem patriam cogitantes „„.

Puritas intentionis signum est legitimæ vocationis.

De divinæ vocationis ad beneficia necessitate, ac recta intentione, quæ vocationis illius argumentum est, sic loquitur Conc. Bituricense anno Christi 1584. Tit. 36. Can. 1. „ „ Cum beneficium ecclesiasticum non otiosis, sed officium suum exequentibus sit constitutum, & propter officium detur beneficium, denuntiat hæc Synodus omnibus cujuscunque gradus, & conditionis, qui beneficia ecclesiastica solius temporalis proventus gratia suscipiunt, eos non facere fructus suos, sed ad restitutionem teneri „„.

Hanc Regulam confirmat *S. Thomas*, Quodlibeto 9. q. 7. art. 2. „ „ Si aliquis (*inquit*) hac intentione plura beneficia habeat, ut sit ditior, ut lautius vivat, & ut facilius ad Episcopatum perveniat in aliqua Ecclesiarum, ubi est præbendatus, non tolluntur prædictæ deformitates, sed augentur, quia cum tali intentione & unum beneficium habere, esset illicitum „ „.

S. Antoninus, p. 2. Summæ, Tit. 3. c. 5. §. 4. „ „ Quærere (*inquit*) & appetere hujusmodi curata (*sive beneficia, quibus adnexa cura animarum est*), principaliter propter honores, & divitias, quæ inde sequentur hominibus, videtur esse mortale; & ratio est, quia est contra ordinem charitatis. Nam non solum dilectio Dei, & proximi est in præcepto, sed etiam ipse ordo dilectionis. Est autem de ordine dilectionis, ut diligatur prius salus animarum, quam corporum; sed hunc ordinem talis pervertit, præferens temporalia, quæ ordinantur ad corpus, scilicet divitias, & honorem, saluti animarum, quæ exercetur per curam „ „.

Qui a Deo non vocati.

Nemo igitur a Deo vocatos dixerit, qui malis artibus captant beneficia, fraudulenter v. gr. permutationis commento, quales eæ sunt, quæ imminente morte fieri solent; cum scilicet Clericus morti proximus beneficium suscipit, non ut illius impleat officium, sed ut beneficium aliud locupletius, commodius, aut illustrius in alterum transferat; atque hoc pacto ordinarium Collatorem jure suo fraudet.

A Deo vocatos nemo dixerit beneficiorum nundinatores, qui empti prædii redditum, seu quemlibet collocatæ pecuniæ proventum, a se, vel parentibus suis hebdomadariæ Missarum celebrationi addictum, & obitus nomine, tituloque beneficii ornatum, cum vero beneficio, v. g. Canonicatu, ecclesiastica dignitate, parochiali cura, vel simplici Prioratu permutant, quod palliatæ Simoniæ genus est.

A Deo vocatos nemo dixerit, qui beneficium cum aliis permutant, non ut Ecclesiæ necessitati, vel uti-

utilitati consulant, sed ut rem familiarem augeant, majusve commodum consequantur.

A Deo vocatos nemo dixerit, qui adulterinas resignationes, & permutationes causa mortis supponunt; vel resignationes per plures annos cum detrimento Collatorum celant contra legem Ecclesiæ, seu Regulam Cancellariæ apostolicæ *de Publicandis resignationibus*, aut beneficiatorum mortem publicæ notitiæ subducunt, reconditis eorum cadaveribus, ut furtim in ipsorum beneficia irrepant, aut rescriptum de resignatione in Romana curia admissa recipiant, quo pacto regulis Cancellariæ apostolicæ *De Infirmis resignantibus, sive de viginti diebus, & de verisimili notitia*, fœde illudunt. Gravius hac in specie Gallorum peccatum est, quia non ecclesiastica tantum, sed & regia violare non dubitant Edicta. Jubet enim *Franciscus I.* Edicto dato anno 1539. art. 54. domesticis defuncti beneficiarii, sub pœna corpori infligenda, ut Ecclesiæ sincere significent diem, ac horam obitus. In Laicos vero, qui corpus celaverint, pœnam capitis decernit, in Clericos exclusionem a quibuscunque defuncti beneficiis, præter mulctam pecuniariam a judicibus infligendam.

A Deo vocatos nemo dixerit, beneficiorum aucupes, seu devolutarios, qui pacificis per annum possessoribus insidiantur, & ob commentitiam incapacitatem adversus ipsos litem movent, aut, si revera sint incapaces, qui beneficia illa possident, illos non ob Ecclesiæ amorem, Deique gloriam, sed solius ambitionis, & avaritiæ impulsu, privatique commodi causa in jus vocant, & e beneficiorum possessione dejiciunt.

A Deo vocatos nemo dixerit eos, qui parochialem Ecclesiam, seu curatum beneficium postulant, & suscipiunt cum proposito in illo non ministrandi, idemque de Præbendis dicendum est.

Quicunque enim quinque illis modis proxime recensitis captant ecclesiastica beneficia, lethaliter peccant, beneficium absque vocatione, plerumque &

absque legitimo titulo suscipiunt, & retinent, fructus suos non faciunt, beneficium sic impetratum inter manus ordinarii Collatoris, sub æternæ damnationis periculo, ejurare tenentur.

REGULA VI.

Resignatio beneficii in manus collatoris fieri debet.

Beneficiorum resignationes.

Sic enim Renuntiationem definit *S. Antoninus* 2. p. Summæ, Tit. 1. cap. 5. §. 2. „ Renuntiatio „ est juris proprii spontanea refutatio, quæ fieri debet in manibus ejus, a quo habetur institutio, & „ confirmatio „.

Eadem Regula nititur auctoritate *Alexandri III.* cap. *Admonet*; & *Innocentii III.* cap. *Quod in Dubiis*, Ext. *De Renuntiatione*.

REGULA VII.

Beneficium ecclesiasticum sine causa legitima, & canonica resignari non potest, vel ejurari.

Causæ canonicæ propter quas resignari possunt beneficia.

Hanc Regulam tradit *Innocentius III.* Cap. *Nisi cum pridem*, Ext. *de Renuntiatione*, Causasque enumerat, & explicat, ob quas hujusmodi renuntiatio, aut resignatio fieri potest.

„ „ *Prima est*: Conscientia criminis, forsitan non cujuslibet, sed duntaxat illius, propter quod ipsius officii executio post peractam pœnitentiam impeditur.

„ „ *Secunda est*, Debilitas corporis, quæ vel ex infirmitate, vel ex senectute procedit, nec tamen omnis, sed illa solummodo per quam impotens redditur *Beneficiarius* ad exequendum officium.

„ „ *Tertia est*, Defectus scientiæ competentis, quæ circa spiritualium administrationem est potissimum necessaria, & circa curam temporalium opportuna.

„ „ *Quarta est*, Malitia plebis; quando plebs adeo duræ cervicis existit, ut *Pastor* proficere nequeat apud ipsam. Non autem pro qualibet culpa Pastor debet gre-

gregem deserere, ne mercenario comparetur, qui videt lupum venientem, & dimittit oves, & fugit; sed de Superioris licentia, tunc demum potest non tam timide fugere, quam provide declinare, cum oves convertuntur in lupos; & qui debuerant humiliter obedire, jam irrevocabiliter contradicunt „„.

„ *Quinta est*, Grave scandalum, quod aliter sedari „ non potest „.

„ *Sexta est*, Personæ irregularitas, si forte sit biga- „ mus, vel viduæ maritus „.

Quas causas hoc Distichon complectitur:

Debilis, ignarus, male conscius, irregularis;
Quem mala plebs odit, dans scandala cedere possit.

Subdit ibidem Innocentius III. „„ Si propter aliquam causam utilem, & honestam in hujusmodi proposito perseveres, de licentia nostra cedas, alioquin cedendi licentiam auctoritate Apostolica tibi scias esse penitus interdictam.

Hanc Regulam confirmat *S. Pius V.* Constitutione 58. quæ incipit: *Quanta Ecclesiæ Dei*, cujus hæc sunt verba: „„ Episcopi, & alii facultatem habentes, eorum duntaxat Resignationes recipere, & admittere possunt, qui aut senio confecti, aut valetudinarii, aut corpore impediti, vel vitiati, aut crimini obnoxii, Censuris ecclesiasticis irretiti, aut nequeunt, aut non debent Ecclesiæ, vel beneficio inservire; seu qui unum aliud, vel plura beneficia obtinuerint, vel quos ad aliud contigerit promoveri; Religionem quoque ingressuri, vel matrimonium contracturi, si statim postea id re ipsa exequantur; denique si quis ex aliis casibus acciderit, qui Constitutione felicis recordationis Innocentii Papæ III. de dimittendis Cathedralibus Ecclesiis edita continentur. Qui etiam ob capitales inimicitias nequeunt, vel non audent in loco beneficii residere securi „„.

Quamobrem graviter peccant, qui alias ob causas beneficio ecclesiastico renuntiant, illudve resignant, scilicet ad laborem declinandum, vitamque in otio traducendam: „ Cum otiositas, & voluptas arma sint

„ He-

„ hostis antiqui ad miseras animas captivandas „, (ut loquitur *Innocent. III.* cap. supra citato) & *S. Martini* exemplum imitari viros ecclesiasticos deceat, qui viribus corporis destitutus dixit: „ Domine si adhuc „ populo tuo sum necessarius, non recuso laborem, „ fiat voluntas tua „: Et exemplum Apostoli dicentis: Phil. 1. 23. *Cupio dissolvi, & esse cum Christo. Manere autem in carne, necessarium propter vos.*

REGULA VIII.

Resignatio in favorem, qua Clericus beneficio renuntiat, ea lege, ut illud certo cuipiam viro ab ipso renuntiante designato conferatur, ecclesiastico jure vetita est, & illicita; & a solo Pontifice romano admitti potest; alioquin nullius est roboris, & Simoniæ pœnis obnoxios facit Resignantem & Collatorem.

Resignationes in favorem cur antiquis Canonibus prohibitæ.

„ In beneficiis *enim* ecclesiasticis ea, quæ hæreditariæ successionis imaginem referunt, sacris Constitutionibus sunt odiosa, & Patrum decretis contraria „; (ut loquitur Concilium Tridentinum sess. 25. cap. 7.) Quod autem Canones omnem in beneficiis hæreditariæ successioni spem adimant, ac damnent, evidens est ex Can. *Plerique*, Causa 8. qu. 1. qui est Synodi romanæ sub *Hilario* Papa Canon 5. „„ Plerique Sacerdotes (*inquit*) in mortis confinio constituti, in locum suum feruntur alios designatis nominibus subrogare; ut scilicet non legitima expectetur electio, sed defuncti gratificatio pro populi habeatur assensu. Quod quam grave sit, æstimate. Atque ideo, si placet, etiam hanc licentiam generaliter de Ecclesiis auferamus, ne, quod turpe dictu est, homini putet quisquam deberi, quod Dei est. Ab universis acclamatum est: Hæc præsumptio nunquam fiat, quæ Dei sunt, ab homine dari non possunt „„. Item ex Canone, *Apostolica*, qui est Concilii Lateranensis sub *Innocentio II.* decimus sextus, & refertur causa, & quæstione eisdem. Idem ex Cap.

Ex

Ex transmissa, quod Alexandri III. Responsum est, Ext. *De filiis Presbyterorum*. Et ex cap. *Quia Clerici*, Ext. *De Jure Patronatus*.

Alia præterea ratio fuit, cur resignationes in favorem antiqui Canones prohibuerint, quia *In spiritualibus omnis pactio, vel conventio cessare debet, juxta canonicas sanctiones*, (ut respondet *Innoc. III.* Cap. *Tua nos*, Ext. *De Simonia*.) Resignatio autem in favorem, fit cum pacto quodam, ut beneficium illi conferatur, quem nominat resignans, qui beneficium suum non erat alias resignaturus. Hæc autem pactio, cum ex natura sua simoniaca non sit, modo temporalis alicujus commodi intuitu non fiat, quod in personam, vel familiam resignantis ex ipsa resignatione, & collatione ei facta, cujus in favorem est, redundet; sed una Ecclesiæ utilitas, & merita resignatarii spectentur; consequens est, illam non esse malam, nisi quia Canonibus prohibita est. Unde cum summus Pontifex de Canonibus dispensandi summam potestatem habeat, resignationis in favorem approbatio illi uni reservata est, cum tamen Collatores ordinarii puras, & simplices resignationes admittere, & approbare possint.

Accedit & tertia ratio, cur resignationes in favorem veteribus Ecclesiæ sanctionibus improbatæ fuerint, quia nimirum Collatorum ordinariorum libertatem coarctant, & oppugnant. Hanc ob causam Regum christianissimorum ad Tridentinam Synodum Oratores in mandatis habuere, ut resignationum in favorem abrogationem postularent, ac diligenter urgerent. Id tamen obtinere non potuerunt. Potestas enim ipsas approbandi penes summum Pontificem remansit; Episcopis autem, aliisque Collatoribus est adempta.

Id confirmat Constitutio 58. *S. Pii V.* quæ incipit, *Quanta Ecclesiæ Dei*, cujus hæc sunt verba: „„ Caveant autem Episcopi, & alii prædicti, itemque omnes Electores, Præsentatores, & Patroni, tam ecclesiastici, quam laici, quicunque sint, ne verbo qui-

Solus roman. Pontifex eas admittere potest.

quidem, aut nutu, vel signo futuri in hujusmodi beneficiis, & officiis successores, ab ipsis resignantibus, aut aliis eorum significatione, vel hortatu designentur, aut de his assumendis promissio inter eos, vel etiam intentio qualiscunque intercedat „ „.

REGULA IX.

Qui beneficium resignant in manus ordinarii Collatoris, cum pacto expresso, vel tacito, ut illud conferat certæ cuidam personæ ab ipsis resignantibus designatæ, aut ab aliis, eorum significatione, vel hortatu, rei sunt peccati mortalis, & in pœnas contra simoniacos latas incurrunt.

Resignationes simoniacæ.

Hæc Regula sequitur ex præcedenti, & iisdem argumentis nititur; eamque confirmat *S. Raymundus* lib. 1. *Summæ*, Tit. 1. *De Simonia* §. 23. „ „ Quid (*inquit*) de quadam consuetudine, quæ in plerisque Ecclesiis inolevit, videlicet dum debent fieri multi Canonici, dicunt, majores præcipue, ad invicem: Canonizemus Nepotulos nostros, forte adhuc in cunabulis, vel quasi vagientes; placeat tibi de meo, & mihi placebit de tuo; sic paciscuntur per hæc verba, vel æquipollentia. Alius modus est etiam. Dicit aliquis: Consuetudo est, quod sicut fuisti exauditus in una petitione, ego debeam exaudiri in alia. Item alius dicit: Nunquam me vivente fiet aliquis Canonicus in Ecclesia ista, nisi ille, pro quo rogavi, prius fiat Canonicus, vel ad minus cum aliis. Nunquid in talibus, & similibus committitur Simonia? Respondeo; in primo, & ultimo casu committitur Simonia; quia dicit Canon: *ABSIT* omnis pactio, cesset omnis conventio „ „. Caus. 1. q. 2. Can. *QUAM PIO*. Licet tamen resignanti rogare Collatorem, ut beneficium, cui pure, & simpliciter renuntiat, alteri conferat, si ille sit idoneus; quamquam non teneatur Ordinarius illi conferre, pro quo rogatum est. (Cap. *Tua nos*, Ext. *De Simonia.*) Idemque docet S. Raymundus: „ Si preces „ sunt

„ sunt spirituales, (*inquit*) non est Simonia... Si „ sint carnales, vel ex pacto quodam facto, vel nunc „ faciendo, Simonia est „.

REGULA X.

Resignatio in favorem, in manus summi Pontificis facta, ab eoque approbata, resignantem a Simonia immunem non præstat, si ea intentione, eoque intuitu suum beneficium alicui resignet, ut commodum aliquod temporale sibi, aut familiæ suæ inde proveniat, non autem ob Ecclesiæ utilitatem, & merita personæ, cujus in favorem fit resignatio.

Resignatio in favorem simoniaca est, nisi mere gratuita, & ob Ecclesiæ utilitatem, ac merita personæ facta.

Tunc enim renuntiatio gratuita non est, sed contractum quemdam involvit ex parte renuntiantis, quem juriſperiti his verbis exprimunt: *Facio ut des*: adeoque jure divino est prohibita, utpote per se, & ex natura sua simoniaca. Quod ex meo sensu non affero, sed ex sententia *S. Thomæ* in 4. *Sentent.* dist. 25. qu. 3. art. 3. ad 7. „„ Ille (*inquit*) qui dat ratione consanguinitatis præbendam alicui principaliter, aut intendit temporale bonum illius, cui datur, & non alterius; & sic peccat graviter, sed Simoniam non committit, quia non vendit; cum nihil accipiat; aut intendit aliquod bonum in se ipsum redundans, sic quod magnificetur per hoc, & nobilitetur domus sua, vel quod ipse consanguineis sit fortior; & sic ipse aliquid accipere sperat, pro quo spiritualia dat, & Simoniam committit; & reducitur ad id munus, in quo continetur commodum, quod ex tali datione sperat „„. Pactio autem quæ natura sua simoniaca est, romani Pontificis auctoritate non potest a labe Simoniæ purgari. Falsum namque est, quod a quibusdam decantatur: *Simoniam coram summo Pontifice non committi.* Si enim quamcunque Simoniæ labem purgare posset, nunquam ipse simoniacus esse posset. At id asserentium „„ Opinio erronea est (*judice* S. Th. *ibidem, ad*

secun-

secundum) Si enim Papa pro aliquo spirituali munus acciperet, Simoniam committeret, sicut & alius homo; quia sub Petro, cui Papa succedit, Simoniæ vitium damnationem inchoavit in novo Testamento. Et quamvis res Ecclesiæ sint aliquo modo Papæ, non sunt tamen ejus omnibus modis habendi, sicut illud, quod ad manum habet. Non est autem dubium, quod Simoniam committeret, si quis aliquod spirituale debitori suo daret, ut quod suum est, recuperaret; & ita etiam in proposito Papa a Simonia non excusaretur, si (quod absit) spiritualia pro temporalibus rebus Ecclesiarum daret „„.

REGULA XI.

Resignationes cum expressa, vel tacita conditione regressus in eadem beneficia, illicitæ sunt. Et ita resignantes rei sunt peccati mortalis; nec ad illa beneficia redire possunt absque nova Collatione, aut ea tuta conscientia retinere, eorumque fructus facere suos.

Resignationes cum regressus conditione illicitæ.

Hæc Regula nititur Decreto Conc. Trident. sess. 25. cap. 7. *de Reformatione*, cujus hæc sunt verba: „„ Cum in beneficiis ecclesiasticis ea, quæ hæreditariæ successionis imaginem referunt, sacris Constitutionibus sint odiosa, & Patrum Decretis contraria; nemini imposterum accessus, aut regressus, etiam de consensu, ad beneficium ecclesiasticum cujuscunque qualitatis concedatur. Nec hactenus concessi suspendantur, extendantur, aut transferantur. Hocque Decretum in quibuscunque beneficiis ecclesiasticis, ac in quibuscunque personis, etiam Cardinalatus honore fulgentibus, locum habeat „„.

Eamdem Regulam confirmat Constitutio *S. Pii V.* 134. quæ incipit, *Romani Pontificis*, cujus hæc sunt verba. „„ Volentes omnem hæreditariam beneficiorum ecclesiasticorum successionem de Ecclesia Dei tollere, ac libertati beneficiorum hujusmodi providere, & ut de persona magis utili, & idonea, prout re-

requiritur, facilius provideri valeat: Omnes, & singulos regressus, accessus, & ingressus, etiam eventuales, aut pœnales, aut coadjutorias etiam de consensu, aut alias quomodolibet, sub quibuscunque tenoribus, & formis, ac cum quibusvis efficacissimis, etiam motu proprio, & ex certa scientia, ac de apostolicæ potestatis plenitudine, clausulis irritantibus, & aliis decretis quomodolibet per quosvis romanos Pontifices prædecessores nostros ad beneficia ecclesiastica, cum cura, & sine cura, sæcularia, & quorumvis Ordinum regularia... quibusvis personis cujuscunque status, gradus, ordinis, & conditionis existentibus, etiam episcopali, archiepiscopali, patriarchali dignitate, aut Cardinalatus honore pollentibus concessa... Motu proprio, & ex certa nostra scientia, ac de apostolicæ potestatis plenitudine, auctoritate apostolica, tenore præsentium revocamus, cassamus, & abolemus „ „.

Gallicanæ Ecclesiæ jurisprudentia.

Tuta tamen conscientia potest aliquis ad resignatum beneficium regredi, si resignatarius sponte, & ultro illud ipsi offerat, & Episcopus hujusmodi regressum, ob majorem Dei gloriam, & Ecclesiæ utilitatem, judicio suo approbet; hæc enim nova collatio, & provisio censetur. Imo gallicanæ Ecclesiæ jurisprudentia, & consuetudo, ei, qui in infirmitate gravi, & mortis periculo constitutus, coram ordinario resignaverit, permittit regressum recuperata valetudine, aut cessante periculo, ut declaratur edicto *Ludovici XIII.* Regis christianissimi date anno 1638. art. 20. Est etiam regressui locus, si contingat unum ex compermutatis beneficiis evinci; certum enim pro incerto, & caduco beneficio permutare nemo velit; quamobrem jus ipsi succurrit hac in specie, *Cap. Si beneficia 20. De Præbendis in sexto.*

REGULA XII.

Quælibet resignatio dolo, fraude, vi, aut metu facta, illicita, & irrita judicanda est; nec beneficium ita sibi collatum tuta conscientia retinere potest Resignatarius, aut illius fructus suos facere.

Quæ resignationes irritæ.

Hæc Regula colligitur ex cap. *Super hoc*, quod *Clementis III.* Responsum est, Ext. *De Renuntiatione*, cujus hæc sunt verba: „ „ Supervacuum esse non credimus, causam resignationis diligenter inquiri. Quam si forte probabilem, id est, non vi, nec metu, nec oppressione, nec interventu pecuniæ, nec promissione extortam, judex invenerit... admittere non postponat. Porro licet negantis factum, per rerum naturam nulla sit probatio, ejus tamen qui spontaneam renuntiationem negat, probationes credimus admittendas „ „.

Eadem Regula confirmatur ex Cap. *Abbas*, quod est *Alex. III.* & cap. *Ad audientiam*, quod est *Innoc. III.* Responsum, Ext. *De iis, quæ vi, metusve causa fiunt*, cujus hæc sunt verba: „ „ Quia vero, quæ vi, metusve causa fiunt, carere debent robore firmitatis, mandamus, quatenus si eumdem ad resignationem constiterit vobis per talem metum fuisse coactum, qui potuerit, & debuerit cadere in virum constantem, non obstante juramento prædicto, quo non ad non repetendum, sed ad resignandum solummodo tenebatur, præfatam Ecclesiam ei restitui faciatis „ „. Unde si committatur alicui resignationis receptio a romano Pontifice, in literis adscribi solet hæc clausula: „ Attente quoque provideas, „ quod in resignatione prædicta dolus, vis, metus, „ aut aliqua simoniaca labes non intervenerit „; (ut patet ex Regula romanæ Cancellariæ 40.)

Idem rursus confirmatur ex Can. *Si quandoque*, causa 15. qu. 6. cujus hæc sunt verba: „ „ Si quandoque a Sacerdotibus, & auctoribus Ecclesiæ, quædam scripturæ quoquomodo per metum, aut fraudem, aut per vim extortæ fuerint... ad nullum eis præ-

præjudicium, vel nocumentum valere cenſemus „„. Reſignationes itaque dolo, vi, aut metu factæ, judicandæ ſunt irritæ. Quamobrem ei, qui in gravi infirmitate, aut mortis periculo quocunque conſtitutus reſignavit, ſi beneficium repetat, ipſumque reſignationis pœniteat, tenetur reſignatarius beneficium reſtituere, coram Ordinario reſignatum; cum enim ægritudo periculoſa valde minuat hominis libertatem, & adigat ad ea, quæ nunquam in animum induceret, ob idque votum religionis, pavore mortis Deo nuncupatum remittatur, cap. *Literarum*, Ext. *de Voto*. Libere omnino non reſignaſſe præſumitur, qui nunquam reſignaſſet, ſi ex illa infirmitate, ſeu mortis periculo ſe ſoſpitem evaſurum certo præſciviſſet. Ut enim reſpondet *Clemens III.* cap. *Super hoc*, Ext. de Renuntiatione: „ Nulla ratio „ hoc veriſimile reddit, ut quiſquam beneficium mul„ tis forte expenſis, & laboribus quæſitum, quo ſu„ ſtentari debet, facile, ſine magna ſua cauſa, ſponte „ reſignet „.

REGULA XIII.

Qui beneficium ſuum in favorem alterius reſignavit, illud tuta conſcientia retinere non poteſt, nec fructus ſuos facere. Unde in ſtatu peccati mortalis eſt, ſi proviſiones romanæ curiæ, ſeu literas reſignationem approbantes apud ſe retineat, etiam conſentiente reſignatario; aut ab eo promiſſionem extorqueat de poſſeſſione beneficii non captanda, niſi poſt obitum ipſius reſignantis, aut certe morte ipſius imminente.

Beneficium reſignatum tuta conſcientia retineri a reſignante non poteſt ad miſſa reſignatione.

Fiducia enim hujuſmodi in reſignationibus teterrimum ſimoniæ genus eſt, ac reſignantem ſimul, & reſignatarium excommunicationi ſummo Pontifici reſervatæ, aliiſque ſimoniacorum pœnis obnoxios facit. Præterea, eum, qui beneficio ſuo renuntiavit, non poſſe illud retinere, aut repetere, abſque nova inſtitutione canonica, ſive collatione,

confirmat *Alexander III.* cap. *Ex transmissa.* Ext. *De Renuntiatione.*

Regula Cancellariæ rom. de publicandis resignationibus.

Denique Regula Cancellariæ apostolicæ, *De publicandis Resignationibus*, quæ in hoc regno recepta est, statuit: „„ Ut quæcunque beneficia ecclesiastica, sive in romana curia, sive extra eam resignata, nisi de illis factæ resignationes, si in eadem curia, intra sex menses a data supplicationis, & non a die præstiti consensus computandos; si vero extra dictam curiam factæ sint, intra mensem, ex tunc, ubi dicta beneficia consistunt, publicatæ fuerint: vel possessio illorum ab eis, quos id contingit, petita extiterit. Si resignantes ista postmodum in eorumdem resignatorum beneficiorum possessione decesserint, non per resignationem, sed per obitum hujusmodi vacare censeatur. Collationes quoque, & quævis aliæ dispositiones de illis tanquam per resignationem vacantibus factæ, & inde secutæ, nullius sint roboris, vel momenti „„.

Gallicana jurisprudentia.

In Gallia tamen tempus sex mensium, aut unius mensis, hac Regula præstitum, computatur a die admissæ resignationis, & non a die præstiti a resignante consensus. Quæ autem ante diem mortis ejus, qui resignavit, non est facta publicatio, nostris moribus invalida est.

Favet *Rebuffus* vir juris consultissimus in *Praxi beneficiorum*, hanc Regulam Cancellariæ explicans. „„ Resignans (*inquit*) qui post resignationem, quam scit expeditam, remanet in detentione beneficii, & capit fructus, non est in conscientia tutus; nec ille, in cujus favorem resignavit, si permittat; quia resignans per resignationem amisit jus percipiendi fructus, cum amiserit beneficium, & possessionem illius „„, C. Post translationem, §. Rursus. De Renuntiatione. C. Inter. De præbendis. *Et sic est malæ fidei possessor, qui fructus non facit suos.* L. Bonæ fidei ff. De acquir. Rerum domin. Gloss. in cap. Gravis De Restit. spoliator. „„ Is etiam, cui fuit resignatum, peccat, permittendo resignantem uti beneficio, cum non sit pastor. Et verus pastor dimit-

mittit oves mercenario, qui non servit ut verus pastor, vel prout teneretur: publiceque interest, eum, qui jus habet in beneficio, possidere illud; & ille, qui non habet jus, illud non teneat; tum propter hospitalitatem, quam exerceret verus curatus, ut tenetur, non vero mercenarius, c. *de Monachis*, *Ext. De Præbendis*; tum ut oves pastorem suum agnoscant, ut est in Evangelio „„. Si autem elapso triennio resignatarius possessionem non iniverit, idem beneficium ipsi ab eodem resignari legitime, ac valide non potest, & provisiones in romana curia obtentæ censerentur subreptitiæ, nisi summo Pontifici fuisset expositus prioris resignationis, & retentionis provisionum per triennium casus.

REGULA XIV.

Simoniæ reus est, qui beneficium suum resignat alteri cum pactione expressa, vel tacita, ut ille vicissim suo renuntiet in favorem nepotis, seu consanguinei ipsius resignantis.

Quæ resignationes simoniacæ.

Ibi enim intervenit contractus, *Do, ut des.* Id confirmat *S. Thomas*, Secunda Secundæ, qu. 100. art. 5. ad 2. scribens: „ Si aliquis det beneficium „ ecclesiasticum alicui, hoc pacto, vel intentione, ut „ exinde suis consanguineis provideat, est manifesta „ simonia „. Quamobrem simoniæ rei sunt Canonici, qui paciscuntur invicem de promovendis ad canonicatum cognatis, & proximis suis; aut mutuam a se in hoc genere officii gratiam exigunt, interposito etiam juramento.

REGULA XV.

Resignatio beneficiorum permutationis gratia, illicita, & simoniaca est, si ex pacto fiat, & conventione inter partes, Episcopi arbitrio, & judicio non permissa; aut commodi alicujus temporalis intuitu.

Resignationes permutationis gratia.

Ita respondet *Urbanus III.* cap. *Quæsitum*, Ext. *De Rerum permutatione*, cujus hæc sunt verba:

„ „ Generaliter itaque teneas, quod commutationes præbendarum de jure fieri non possunt; præsertim pactione præmissa, quæ circa spiritualia, vel connexa spiritualibus, labem semper continet simoniæ. Si autem Episcopus causam inspexerit necessariam, licite potest de uno loco ad alium transferre personas: ut quæ uni loco minus sunt utiles, alibi se valeant utilius exercere „ „. Id confirmat *Innoc. III.* Cap. *Cum olim*, sub eodem Titulo, quo duos Clericos, qui Archidiaconatum, & præposituram propria auctoritate compermutaverant, illis dignitatibus spoliavit. Idem constat ex cap. *Majoribus*, Ext. *De Præbendis, & dignitatibus*, quod Turonensis Concilii nomine inscribitur. Et ex cap. *Pactiones*, Ext. *De Pactis*, quod est *Gregorii IX.* Responsum: „ „ Pactiones (*inquit*) factæ a vobis pro quibusdam spiritualibus obtinendis; cum in hujusmodi omnis pactio, omnisque conventio debeat omnino cessare, nullius penitus sunt momenti „ „.

Idem confirmat Glossa Clementinæ, *Ne concessione*, Tit. *De Rerum permutatione*, his verbis: „ „ Tractatus de permutandis beneficiis est permissus, dummodo non fiat pactio arrestata inter partes, sed totum ponatur in arbitrio Superioris „ „. Non potest tamen superior beneficia causa permutationis resignata aliis conferre quam permutare volentibus; alioquin collationem irritam fore *Clemens V.* declarat: *Ne concessione juris utentibus, præsertim circa spiritualia, illudatur.*

Eamdem Regulam confirmat *S. Thomas*, in 4. *Sententiarum* dist. 25. qu. 3. art. 3. ad octavum: „ „ In permutatione (*inquit*) est simonia; si pro aliquo terreno commodo utriusque, vel alterius, talis commutatio fiat. Si autem pro aliquo spirituali, utpote quia hic in illo loco melius possit Deo servire, non est simonia. Unde tunc potest fieri commutatio auctoritate Episcopi diœcesani „ „. Et Secunda secundæ. Quæstione centesima, articulo 1. ad quintum: „ „ Nomine (*inquit*) emptionis, & vendi-

ditionis intelligitur omnis contractus non gratuitus. Unde nec permutatio præbendarum, vel ecclesiasticorum beneficiorum fieri potest auctoritate partium, absque periculo simoniæ, sicut nec transactio, ut jura determinant. Potest tamen Prælatus ex officio suo permutationes hujusmodi facere pro causa utili, & necessaria „„.

Episcopi autem est invigilare, 1. Ne simonia, fraus, aut aliud vitium, seu canonicum impedimentum in permutationibus intercedat. 2. Ut, si beneficia permutanda in diversis Diœcesibus sita sint, utriusque Episcopi interveniat auctoritas. 3. Ut illis, ad quos spectat electio, vel præsentatio ad hæc beneficia, resignatio causa permutationis significetur, eorumque postuletur consensus; qui, si Patroni laici fuerint, ita necessarius est hoc in regno, ut absque eo irrita foret permutatio. 4. Ut permutatio fiat rerum ejusdem generis, spiritualium scilicet cum spiritualibus, juris in re cum jure in re, & non cum jure ad rem; nominationem enim ad beneficium, seu jus ex indulto, gradibus, apostolicove mandato, quæ solam spem obtinendi beneficii, non autem jus proximum tribuunt, cum beneficio jure quæsito, & cujus provisiones præ manibus habentur, permutare non licet. Quod autem permutatio spiritualium cum temporalibus jure improbetur, ac damnetur, declarat *Greg. IX.* cap. *Exhibita.* Ext. *De Rerum permutatione.* Quamobrem nec jus decimarum pro re temporali permutari potest. „„ Ex hac decretali (*inquit Glossa*) solvitur quæstio, quæ multum occurrit de facto. Quandoque aliqui volunt certas possessiones tradere quoad proprietatem, vel usum fructum Ecclesiis, quibus tenentur solvere decimas possessionum suarum, ut sic aliæ possessiones liberæ remaneant ab exactione decimarum; patet, quod hoc fieri non potest. Et hoc idem habuimus in antiqua compilatione, tit. *De Decimis*, cap. Intelleximus, *quod non debuit removeri* „„. Cap. *Intelleximus*, *est Alexandri III.* Responsum, & habetur in antiqua

Episcoporum vigilantia in resignationibus examinandis, & admittendis.

Collectione 1. Decretalium, edita ab *Antonio Augustino.*

Quæ permutationes suspectæ.

In fraudis autem, ac doli suspicionem merito veniunt permutationes beneficiorum factæ in periculo mortis, aut in decrepita senectute; maxime si fiant cum consanguineo aut familiari. Item, si citra beneficiorum inæqualitatem pensio reservetur; si uterque compermutans sibi pensionem reservet; aut si de pensione in gratiam tertiæ personæ partes conveniant; aut si pensio super alio quam compermutato beneficio constituatur. Item si sit magna beneficiorum, sine ulla compensatione, inæqualitas. Sed manifesta fraus est, si permutatio fiat cum ficto beneficio, aut pro beneficio, quod resignatur, aliud indefinite beneficium similis, ac paris proventus titulo permutationis promittatur, aut beneficium, cujus nondum provisiones habet compermutantium alter, ut constat, ex cap. *Quæsitum*, & cap. *Universorum*, Ext. *De Rerum permutatione.* Simoniam quod spectat in permutationibus contingentem, de illa sermo erit cap. seq. in quo de Simonia agemus.

REGULA XVI.

Pensiones super beneficiis resignatis constitui non possunt, nisi romani Pontificis auctoritate, & ex causa canonica. Qui vero beneficiarias pensiones aliter sibi reservant, aut sine causa canonica impetratas percipiunt, lethaliter peccant, & ad restitutionem tenentur.

Pensionum super beneficiis resignatis creatio.

Quod sine summi Pontificis auctoritate constitui non possint beneficiariæ pensiones, probat cap. *Ut nostrum*, quod *Innocentii III.* Responsum est, Ext. *Ut ecclesiastica beneficia sine diminutione conferantur.* Cum ergo pensio sit delibatio quædam beneficii, & onus illi impositum; & summo Pontifici concredita sit Canonum dispensatio, necessarius est ad constituendam super ecclesiasticis beneficiis pensionem summi Pontificis consensus. Deinde cum pactio-

ctiones omnes circa beneficia Canonibus vetitæ sint, requiritur ad purgandam simoniæ suspicionem, ut illæ etiam, quæ natura sua, & per se vitiosæ non sunt, ac simoniacæ, romani Pontificis auctoritate, ac judicio approbentur. Nec gallicana jurisprudentia pensiones super beneficiis ratas habet, præter illas, quæ a summo Pontifice constitutæ sunt. Tres duntaxat casus excipiuntur. Primus est, cum beneficiario ob ægritudinem, vel impotentiam, sive Censuram ecclesiasticam, de Vicario providendum est, qui functiones ejus suppleat. Tunc enim Episcopus congruam reddituum portionem ex beneficio delibare potest ad sustentationem Vicarii, ut statuit Concilium Tridentinum sess. 21. c. 6. *de Reformat.* idemque colligitur ex sess. 25. c. 14. Secundus casus est, Seminarii fundatio, ad quam si necessarii aliunde sumptus non suppetant, Episcopus ex beneficiis suæ diœcesis, suæque collationis, certas contributiones, seu pensiones annuas delibare, ac reservare potest ad pium istud opus, ut sancitum est in Concilio Trident. sess. 23. *de Reform.* c. 18. & regiis Constitutionibus confirmatum. Tertius casus est, bonum pacis inter Clericos de eodem beneficio contendentes firmandæ, cum jus illorum obscurum est. Si enim coram Episcopo litigent, potest ille tanquam judex, vel arbiter, beneficium uni, pensionem alteri, pro bono pacis adjudicare, ut colligitur ex c. *De cætero*, Ext *De Transactionibus.* Quæ tamen compositio toleratur potius, quam laudetur ab *Innocentio III.* c. *Nisi essent*, Ext. *De Præbendis.*

II. Pensio autem canonica non est, nisi ob causas in jure approbatas constituatur. Tres porro assignari solent. Prima est, favor resignationibus, ne resignans grave dispendium patiatur ejurato beneficio, unde alimenta percipiebat vitæ fovendæ necessaria. Secunda est, æqualitatis ratio in beneficiorum permutatione. Quando enim locupletius beneficium cum tenui, & exiguo permutandum est, inæqualitas reddituum adæquari potest constituta pensione, Quæ pensiones canonicæ.

ut colligitur ex cap. *Ad quæſtiones*, Ext. *De Rerum permutatione.* Tertia cauſa eſt, quam jam innuimus, ſiniendæ litis occaſio.

III. Atque ut penſio his de cauſis conſtituta juſte percipiatur, neceſſe eſt, imprimis ut Clericus, cui eſt aſſignata, hoc egeat ſubſidio ad inopiam ſublevandam, & ad vitam, honeſtati ſtatus clericalis congruentem, ſuſtentandam. Solius enim eleemoſynæ ſive ſubventionis nomine, ad neceſſaria vitæ ſubſidia, penſiones antiquitus aſſignatas legimus eccleſiaſticis viris. Quod ex Actis Calcedonenſis Concilii facile probari poteſt. Actione 10. 12. & 14. & ex conſilio delectorum Cardinalium, & aliorum Prælatorum ſub *Paulo III.* ejuſdem Pontificis juſſu conſcripto, anno 1537. Romæ anno ſequenti typis edito, confirmatur. „ „ Alius (*inquiunt*) abuſus, cum beneficia conferuntur, ſeu cum creduntur aliis, irrepſit in conſtituendis ſuper eorum fructibus penſionibus. Imo quandoque cedens beneficio, omnes ſibi fructus reſervat. Qua in re illud eſt animadvertendum. Nulla alia de cauſa, nulloque alio jure penſiones conſtituti poſſe, niſi ut quaſdam eleemoſynas, quæ in pios uſus, & indigentibus concedi debent. Nam redditus ſunt annexi beneficio, ut corpus animæ: ideo ſua natura pertinent ad eum, qui beneficium habet, ut poſſit ex eis vivere honeſte pro ſuo ordine, ſimulque queat ſuſtinere impenſas pro divino cultu, & templi, ſacrarumque ædium reparatione, ut quod reliquum eſt, impendat in pios uſus. Hæc eſt enim natura eorum redditnum. Verum ſicuti in rerum naturæ adminiſtratione nonnulla fiunt a natura particulari præter inclinationem univerſalis naturæ: ſic in Pontifice, quoniam eſt univerſalis diſpenſator bonorum Eccleſiæ, ſi viderit eam fructuum portionem, quæ in pios uſus expendi debet, aut ejus partem, in pium quempiam alium uſum ut expendatur, magis expedire, poteſt proculdubio id facere. Ideo jure merito penſionem ponere poteſt, ut ſubveniat egeno, præſertim Clerico,

ut

ut honeste queat vitam ducere pro ejusdem ordine. Ideo omnes fructus reservari, adimique id omne, quod divino cultui, sustentationique habentis beneficium tribui debet, magnus est abusus. Itemque pensiones dari Clericis divitibus, qui commode & honeste vivere queunt ex redditibus, quos habent, magnus certe abusus, tollendus uterque „„. Unde qui beneficium curatum, aut præbendam suscipiunt, cum proposito illa non servandi, nec in iis Ecclesiæ interviendi, sed captandæ tantum ex eorum resignatione pensionis, graviter peccant, nec pensionem hujusmodi tuta conscientia percipere possunt.

Secundo, pensio excedere non debet tertiam partem fructuum; quod Constitutione Caroli VI. Regis christianissimi statutum est, Canonibus congruenter. Verum si resignationis, aut permutationis causa pensionis modus productus sit ultra metas, ad fructuum verbi gratia medietatem, quod romana curia interdum approbat, reduci non solet, etiam conquerente resignatario. Odiosum quippe judicatur, ut qui consensum præstitit certæ pensionis annuæ super beneficio creationi, ejusque solvendæ sponte subiit onus, & hac lege fruitur resignato sibi beneficio, mox adversus pactum, & approbatam in romana curia stipulationem, benefactorem suum eludere, & frustrare promissis non erubescat. Idque juri consentaneum est: *Cum illusio, & variatio in personis ecclesiasticis maxime sint vitandæ;* (ut ait Clementina unica *De Renuntiatione.*)

Tertio requiritur, ut ex soluta pensione, & persolutis beneficii oneribus resignatario superstit congrua portio trecentarum libellarum, præter oblationes, & quotidianas obventiones, & quæcunque interiorum Ecclesiæ fructuum, & redditnum nomine veniunt. Quarto, necesse est, ut ille, cui pensio assignata est, per plures annos beneficii illius munia obiverit, vel in iis obeundis infirmitatem contraxerit, ex qua factus sit impotens ad hujusmodi functiones deinceps exercendas. Edicto autem *Ludovici*

ma-

magni Regis christianissimi anno 1570. mense Octobris dato, cautum est, ne quis pensionem ex præbendis Ecclesiarum cathedralium, aut etiam collegiatarum, vel parochialium curarum beneficiis percipiat, nisi hujusmodi beneficiorum sacras functiones solido quindecim annorum spatio exercuerit, officiaque impleverit. Quicunque beneficiarias pensiones, his conditionibus minime concurrentibus, percipiunt, furti sacrilegi rei sunt, & ad restitutionem tenentur; quamvis pensio sit approbata ab apostolica Sede, cui fœde obrepserunt. His belle convenit quod scribebat *S. Bernardus* ad *Adam* monachum Epist. 7. „ „ Remorsas, ac remordentes conscientias apostolica conati estis delinire licentia. O frivolum satis remedium, quod non est aliud nisi more protoplastrum cauteriatis conscientiis texere perizomata, non ad medicamentum, sed ad velamentum. *Ibidem*: Apostolicam (*inquit*) licentiam quæsivimus, & impetravimus. Utinam licentiam non quæsissetis, sed consilium. Id est, non ut liceret, sed an liceret. Unde tamen quærebatis licentiam? Ut liceret, quod non licebat. Itaque volebatis, quod non licebat: sed quod non licebat, malum erat; mala erat igitur intentio, quæ in malum tendebat.

REGULA XVII.

Nec postulare licet, nec promittere beneficium ante obitum possessoris. Qui secus fecerint, gravis peccati rei sunt.

Hanc Regulam tradit Concilium oecumenicum Lateranense 3. sub *Alexandro III.* can. 8. & refertur cap. *Nulla*, Ext. *De concessione præbendæ*, cujus hæc sunt verba: „ „ Nulla ecclesiastica ministeria, seu etiam beneficia, vel Ecclesiæ tribuantur alicui, seu promittantur, antequam vacent: ne desiderare quis mortem proximi videatur, in cujus locum, & beneficium se crediderit succeſſurum. Cum enim in ipsis etiam legibus gentilium inveniatur in-

inhibitum, turpe est, & divini plenum animadversione judicii, si locum in Ecclesia Dei futuræ successionis expectatio habeat, quam ipsi etiam gentiles condemnare curarunt „ „.

REGULA XVIII.

Absque institutione diœcesani Episcopi beneficium ordinarie obtineri tuta conscientia non potest.

Quæ institutio canonica in beneficiis.

Ut enim habet Regula 1. juris in sexto: „ Beneficium ecclesiasticum non potest licite sine „ institutione canonica obtineri „. Et cap. *Quod autem*, Ext. *De jure Patronatus*, quod est *Alexandri III.* Responsum dicitur: „ „ Antequam præsentatio per diœcesanum Episcopum approbetur, ratum non est, quod a patrono fuerat inchoatum. De cætero tuæ prudentiæ respondemus, quod si Laici Clericis, vel collegiis, de concessionibus, vel donationibus instrumenta confecerint in hæc verba, vel similia: Concessi, vel dedi Ecclesiam, & præsenti charta firmavi; si consensus Episcopi non accesserit, nihil agi videtur; quia pro non dato habetur quod ab illo datur, qui non potest de jure donare. *Et c.* Cum Laici, *sub eodem Titulo*: Cum Laici Episcopis nescientibus aut non consentientibus Ecclesias Clericis concedunt, in quibus habent jus Patronatus, & postea pœnitentia ducti alios ad easdem Episcopis repræsentant, & illi ad eorum præsentationem in eisdem Ecclesiis ab Episcopis instituuntur; eorum debet institutio stare, qui auctoritate sunt Episcopi instituti; concessione priori, quæ nulla est, omnino evacuata. Non enim licet Laicis Clericos in Ecclesiis præsumptione propria ordinare „ „. Idem confirmatur ex cap. *Ex frequentibus*, Ext. *De Institutionibus*, quod est *Alexandri III.* Responsum: „ „ Didicimus (*inquit*) in partibus vestris consuetudinem pravam a multis retroactis temporibus invaluisse, quod Clerici ecclesiastica beneficia sine consensu Episcopi diœcesis, vel Officialium suorum (qui hoc

Diœcesani Episcopi in illis conferendis auctoritas.

de

de jure possunt) recipiunt; minus quam deceat cogitantes, quomodo id a SS. Patrum est institutionibus alienum, & ecclesiasticæ contrarium honestati. Unde cum tu, frater Archiepiscope, ex officio tibi commisso, tam iniquam consuetudinem de provincia tua velis (licut debes) radicitus extirpare, tam in illos, qui ecclesiastica beneficia taliter occupata scienter detinent, quam in eos, qui de cætero occupare præsumpserint, excommunicationis sententiam protulisti. Nos itaque eamdem sententiam ratam habentes, & eam auctoritate apostolica confirmantes, mandamus, quatenus Clericos ipsos, qui ipsam sententiam incurrerint, nisi congrue satisfecerint, absolvere minime præsumatis „ „.

Provisiones rom. Pont. in forma dignum.

Quam ob rem romanus Pontifex provisiones beneficii non concedit, nisi *in forma dignum*, id est, ea lege, ut Clericus, cui de beneficio provisum est, coram Episcopo se sistat, ab eoque examinetur de probitate, doctrina, & aliis dotibus ad hujusmodi beneficium possidendum, ejusque functiones digne obeundas, necessariis; atque approbationem, & institutionem ab eo obtineat, quæ vulgo *Visa* dicitur. Quod si ab Episcopo repulsam passus fuerit, id juste ab illo factum credendum est, & in ejus acquiescendum judicio; nisi forte manifesta esset injustitia; non ipsius Candidati, quem forte cupiditas, & ambitio in propria causa obcæcarent, sed virorum pietate, prudentia, & experientia in negotiis ecclesiasticis spectabilium, consilio discutienda. Quo casu ad Metropolitanum confugere potest, & apud ipsum de injusta repulsa expostulare, causamque dicere, ac illius judicium expectare, nulla commendatione, nullis precibus interpositis, ne ab ipso institutionem extorsisse potius, quam promeruisse videatur. Ad alium vero Episcopum recurrere non licet, quemadmodum declaravit Clerus gallicanus in Comitiis generalibus anni 1545.

Ex

Ex his colligitur provisiones beneficii *in forma gratiosa*, ad declinandum proprii Episcopi judicium, a summo Pontifice tuta conscientia postulari non posse.

An tuta conscientiâ peti possint a roman. Pont. provisiones in forma gratiosa.

REGULA XIX.

Graviter peccant non solum, qui indignis quæcunque beneficia ecclesiastica conferunt, vel indignos ad ea nominant, & præsentant; sed & qui ad beneficia curam animarum annexam habentia non promovent digniores; aut iis postpositis, minus dignorum institutioni quovis modo cooperantur.

Ad beneficia curam animarum habentia promovendi digniores.

Hanc Regulam quoad primam partem tradit *Siricius* Pontifex maximus Epist. 3. „ „ Ad Timotheum loquitur Apostolus: *Manus cito nemini imposueris, neque communicaveris peccatis alienis.* Quod propterea memoratur, ut examine habito, & probitate morum, & ecclesiastico labore sit commendatior, qui vocatur in medium, & summum Sacerdotium possit accipere, probatus judicio, non favore; susceptus veritate, non gratia; apostolico ordine fretus, non præcipiti voluntate „ „.

Cap. 5. 1. ad Tim.

Quam grave peccatum promoventium indignos.

S. Leo. Epist. 1. alias 87. ad Episcopos africanos: „ „ Miramur tantum apud vos per occasionem temporis impacati, aut ambientium præsumptionem, aut tumultum valuisse populare, ut indignis quibusque, & longe extra sacerdotale meritum constitutis, pastorale fastigium, & gubernatio Ecclesiæ crederetur. Non est hoc consulere populis, sed nocere; nec præstare regimen, sed augere discrimen. Integritas enim præsidentium salus est subditorum; & ubi est incolumitas obedientiæ, ibi sana est forma doctrinæ... Quod si in quibuslibet Ecclesiæ gradibus providenter, scienterque curandum est, ut in Domini domo nihil sit inordinatum, nihilque præposterum; quanto magis elaborandum est, ut in electione ejus, qui supra omnes gradus constituitur, non erretur? Nam totius familiæ Domini status, & ordo mutabit, si quod requiritur in corpore, non inveniatur in capite.

pite. Ubi est illa B. Pauli per Spiritum Dei emissa præceptio: *Manus cito nemini imposueris, neque communicaveris peccatis alienis*? Quid est cito manus imponere, nisi ante ætatem maturitatis, ante tempus examinis, ante meritum laboris, ante experientiam disciplinæ, sacerdotalem honorem tribuere non probatis? Et quid est communicare peccatis alienis, nisi talem effici ordinantem, qualis est ille, qui ordinatur? Sicut enim boni operis sibi comparat fructum, qui rectum sectatur in eligendo Sacerdote judicium; ita gravi semetipsum afficit damno, qui ad suæ dignitatis collegium sublimat indignum „ „.

Personarum acceptio in collatione beneficiorum animarum curam habentium grave peccatum.

S. Leoni in eadem doctrina tradenda præiverant *S. Augustus.* Epist. 147. alias 29. ubi explicans illud Apostoli *Jacobi* c. 2. arguentis eos, qui personas accipientes dicunt diviti, *Sede hic: Pauperi vero, tu sta illic*; hæc habet: „ „ Nec sane quantum arbitror, putandum est leve peccatum in personarum acceptione habere fidem Domini nostri Jesu Christi, si illam distantiam sedendi, ac standi ad honores ecclesiasticos referamus. Quis enim ferat eligi divitem ad sedem honoris Ecclesiæ, contempto paupere instructiore atque sanctiore „ „?

Illis conferenda sunt, qui Ecclesiæ magis profuturi cognoscuntur.

S. Hieronymus in cap. 1. Epist. ad *Titum*, ad illa verba: *Constituas per civitates Presbyteros*; & refertur can. *Moyses*, causa 8. q. 1. „ „ Moyses amicus Dei, cui facie ad faciem Deus locutus est, potuit utique successores principatus filios suos facere, & posteris propriam relinquere dignitatem; sed extraneus de alia Tribu eligitur Jesus, ut sciremus principatum in populos non sanguini deferendum esse, sed vitæ. At nunc cernimus plures hanc rem beneficium facere, ut non quærant eos in Ecclesia erigere columnas, quos plus cognoscant Ecclesiæ prodesse; sed quos, vel amant, vel quorum sunt obsequiis deliniti; vel pro quibus majorum quispiam rogaverit; & (ut deteriora taceam) qui ut Clerici fierent, muneribus impetrarunt „ „.

Ori-

Origenes Hom. 6. *in Leviticum*; ut refertur Can. *Licet*, causa 8. „ „ Licet ergo Dominus de constituendo Principe præcepisset, & Dominus elegisset; tamen convocatur etiam synagoga. Requiritur enim in ordinando Sacerdote, & præsentia populi, ut sciant omnes, & certi sint, quia qui præstantior est ex omni populo, qui doctior, qui sanctior, qui in omni virtute eminentior, ille eligitur ad Sacerdotium „ „. Doctior, & sanctior eligendus.

Concilium oecumenicum Lateranense 4. c. 26. „ „ Nihil est (*inquit*) quod Ecclesiæ Dei magis officiat, quam quod indigni assumantur Prælati ad regimen animarum. Volentes igitur huic morbo necessariam adhibere medicinam, irrefragabili constitutione sancimus, quatenus cum quisquam fuerit ad regimen animarum assumptus, is, ad quem pertinet ejus confirmatio, diligenter examinet & electionis processum, & personam electi, ut cum omnia rite concurrerint, munus ei confirmationis impendat. Quia si secus fuerit incaute præsumptum, non solum dejiciendus est indigne promotus, verum etiam indigne promovens puniendus „ „. Dejiciendus indigne promotus, indigne promovens puniendus.

„ „ *Et can.* 30. Grave nimis est, & absurdum, quod quidam Prælati Ecclesiarum, cum possint viros idoneos ad ecclesiastica beneficia promovere, assumere non verentur indignos, quibus nec morum honestas, nec literarum scientia suffragatur, carnalitatis sequentes affectum, non judicium rationis. Unde quanta Ecclesiis damna proveniant, nemo sanæ mentis ignorat. Volentes igitur huic morbo mederi, præcipimus, ut prætermissis indignis assumant idoneos, qui Deo, & Ecclesiis velint & valeant gratum impendere famulatum, fiatque de hoc in provinciali Concilio diligens inquisitio annuatim; ita quod, qui post primam, & secundam correptionem fuerit repertus culpabilis, a conferendis beneficiis per ipsum Concilium suspendatur, &c „ „.

Conc. denique Trid. sess. 7. c. 3. *De Reformat.* idem confirmat. „ „ Inferiora beneficia ecclesiastica (*inquit*) præsertim curam animarum habentia, per-

sonis dignis, & habilibus, & quæ in loco residere, ac per seipsos curam ipsam exercere valeant, juxta constitutionem Alex. III. in Lateranensi, quæ incipit, *Quia nonnulli*, & aliam Greg. X. in generali Lugdunensi Concilio, quæ incipit, *Licet Canon*, editam, conferantur; aliter autem facta collatio, sive provisio omnino irritetur; & ordinarius Collator pœnas constitutionis Concilii generalis, quæ incipit, *Grave nimis* se noverit incursurum „„.

Beneficia curam animarum habentia magis idoneis conferenda.

Secundam partem Regulæ, scilicet quod graviter peccent, qui ad beneficia curam animarum annexam habentia non promovent digniores, aut illis postpositis minus dignorum institutioni quovis modo cooperantur, probat cap. *Constitutis*, Ext. *De Appellationibus*, quo *Innoc. III.* approbat, laudatque factum Episcopi Metensis, qui vacante præpositura die electioni præfixo: „„ Per Patrem, & Filium, & Spiritum sanctum in virtute obedientiæ, ac sub animæ periculo Canonicos adjuravit, ut secundum Deum, & juxta conscientiam suam, unum eligerent de duobus, in quos partes videbantur oculos extendisse, quem Ecclesiæ magis utilem, & idoneum reputarent „„.

Non ex affectu carnali.

Et cap. *Ut nostrum*, Ext. *Ut ecclesiastica beneficia sine diminutione conferantur*, sic respondet Mediolanensi Archiepiscopo: „ Non ex affectu carnali, sed „ discreto judicio debuisti ecclesiasticum officium, & „ beneficium in persona magis idonea dispensare „. Et cap. *Quoniam*, Ext. *de jure Patronatus*, quod ex Concilio generali Lateranensi 3. sumptum est, statuitur: „„ Ut si forte in plures partes fundatorum se vota diviserint, ille præficiatur Ecclesiæ, qui majoribus juvatur meritis, & plurimorum eligitur, & approbatur assensu „„.

Eamdem veritatem declaratione sua confirmat Concil. Trid. sess. 24. c. 1. de Reformatione. „„ Si in quibuslibet Ecclesiæ gradibus (*inquit*) providenter, scienterque curandum est, ut in Domini domo nihil sit inordinatum, nihilque præposterum; multo ma-

magis laborandum est, ut in electione ejus, qui supra omnes gradus constituitur, non erretur. Nam totius familiæ Domini status, & ordo nutabit, si quod requiritur in corpore, non inveniatur in capite. Unde etsi alias sancta Synodus de promovendis ad cathedrales, & superiores Ecclesias nonnulla utiliter decrevit; hoc tamen munus hujusmodi esse censet, ut si pro rei magnitudine expendatur, nunquam satis cautum de eo videri possit. Itaque statuit, ut cum primum Ecclesia vacaverit, supplicationes, ac preces publice, privatimque habeantur, atque a capitulo per civitatem, & diœcesim indicantur, quibus Clerus, populusque bonum a Deo pastorem valeat impetrare. Omnes vero, & singulos, qui ad promotionem perficiendorum quodcunque jus quacunque ratione a Sede apostolica habent, aut alioquin operam suam præstant, nihil in iis pro præsenti temporum ratione innovando, hortatur, & monet, ut imprimis meminerint, nihil se ad Dei gloriam, & populorum salutem utilius posse facere, quam si bonos Pastores, & Ecclesiæ gubernandæ idoneos promovere studeant „„. Eosque alienis peccatis communicantes (alienis peccatis communicant, qui digniores, & Ecclesiæ magis utiles non præficiunt beneficiis curam animarum habentibus) mortaliter peccare, nisi quos digniores, & Ecclesiæ magis utiles „„ judicaverint, non quidem precibus, vel humano affectu, aut ambientium suggestionibus, sed eorum exigentibus meritis, perfici diligenter curaverint „„.

Et cap. 18. de parochialium Ecclesiarum provisionibus agens, examen fieri jubet per examinatores diœcesana Synodo deputatos; & ex beneficii candidatis, atque competitoribus, qui fuerint judicati idonei, eum ab Episcopo eligi, quem cæteris judicaverit digniorem. „„ Peracto deinde examine, renuntientur quotquot ab his judicati fuerint ætate, moribus, doctrina, & aliis rebus ad vacantem Ecclesiam gubernandam opportuni; ex hisque Episco-

pus eum eligat, quem cæteris magis idoneum judicaverit... Quod si sit beneficium juris Patronatus ecclesiastici, ac institutio ad Episcopum, & non alium pertineat; quem Patronus digniorem inter probatos ab examinatoribus judicabit, Episcopo præsentare teneatur, ut ab eo instituatur. Cum vero institutio ab alio quam Episcopo erit facienda, tunc Episcopus solus ex dignis eligat digniorem, quem Patronus ei præsentet, ad quem institutio spectat... Alias provisiones omnes, seu institutiones præter supra dictam formam factæ, subreptitiæ censeantur: non obstantibus huic decreto executionibus, indultis, privilegiis, præventionibus, affectionibus, novis provisionibus, indultis concessis quibuscunque Universitatibus, etiam ad certam Summam, & aliis impedimentis quibuscunque „„.

Idem confirmat B Pontifex *Pius V.* Constitutione, quæ incipit, *In conferendis beneficiis* data 15. Kalend. Aprilis 1557. „„ Ut autem (*inquit*) non solum dignis, sed magis idoneis repertis, juxta ejusdem Concilii decretum, parochiales Ecclesiæ conferantur, volumus, & eadem auctoritate decernimus; quod si Episcopus minus habilem posthabitis magis idoneis elegerit, possint ii, qui rejecti fuerint, a mala electione hujusmodi ad Metropolitanum, vel si ipse eligens Metropolitanus, aut exemptus fuerint, ad viciniorem Ordinarium, uti nostrum, & Sedis hujusmodi delegatum, aut alias ad ipsam Sedem apostolicam appellare; ac præelectum ad novum examen coram ipso appellationis judice, & ejus examinatoribus provocare „„. Ubi tamen non est receptus concursus, non datur locus hujusmodi actioni, & appellationi; quamvis gravis peccati reus sit coram Deo Episcopus, aliusve collator, qui minus dignum postpositis magis idoneis eligit, vel instituit.

Dignitates, & beneficia curam animarum habentia, di-

Regulam, quam exponimus, multis confirmat *Guilelmus Parisiensis*, Tractatu *de collatione beneficiorum.* Prælatos architectos esse ostendit, quorum officium est ædificare domum Domino, instar Salomonis,

nis, ex lapidibus grandibus, & pretiosis, & dolatis, atque quadratis, non ex paleis, festucis, & luto; quod tamen faciunt, qui indignos ad ecclesiastica beneficia promovent. Nec excusant eos preces Magnatum; nam „ „ Architecto nemo auderet hujusmodi preces porrigere, ut pro columna forti festucam fragilem in ædificio, cujus fabrica fidei ejus commissa est, poneret. Et si forte eo usque aliquis insaniret, ut præsumeret, & diceret: Magister, ego diligo festucam istam ultra modum, charissima mihi est, rogo te, quantum possum, honora eam, & pone in loco honorabili, videlicet in loco columnæ fortis, & altæ; nunquid subsanari se ab illo non adverteret, & in facie ejus spueret „ „? Addit officium Prælatorum, non solum esse ædificare templum Domino, sed etiam corpus mysticum Christo. Membra igitur, quæ tanto capiti congruant, in corpore Ecclesiæ ponenda sunt; nemo autem dubitat, peccatores esse membra diaboli. „ „ Quare, qui peccatores in Ecclesiis suis constituunt, non corpus mysticum Christo Domino; sed corpus utique, quale decet diabolum, diabolo ædificant, ex membris videlicet putridis, omnique deformitate horribilibus „ „. Prælatus dux est, cujus officium est eligere, & colligere bellatores ad præliandum contra diabolum, & exercitum ejus. Quapropter eligere debet fortes, & doctos ad bella. „ „ An igitur parvuli, an mortui, scilicet mortalibus peccatis extincti, ad præliandum prælia Domini eligendi sint, quis non judicet? Qui non noverunt gladium Spiritus, quod est verbum Dei, qui non noverunt arcum sacrarum disciplinarum, sacrorum eloquiorum sagittas, scutum fidei, galeam salutis; loricam justitiæ, & omnino ignaros armorum lucis, quis eligat ad bellandum, nisi damnabilissimus Domini sui proditor, quique hostibus ejus de eo quærit victoriam „ „? Prælatus Princeps pastorum est; debet igitur vocare electos pastores, non qui pascant semetipsos, sed qui pascant populum scientia, & doctrina; non pasto-

gnioribus esse conferenda censet, ac probat Guilelmus Paris. Episcopus.

Zach. 11. Gen. 31. res, qui sint idola, deferentes gregem, quibus maledixit Zacharias; sed magis, qui cum Jacob possint dicere Domino: *Oves, & capreæ tuæ non fuerunt steriles, arietes gregis tui non comedi, nec captum a bestia ostendi tibi; ego omne damnum reddebam, quidquid furto peribat, a me exigebas, die ac nocte æstu urgebar, ac gelu, fugiebatque somnus ab oculis meis.*

Ostendit præterea *Guilielmus Parisiensis*, Collatores beneficiorum dispensatores esse, non dominos, adeoque bona fide juxta mandatum illis a Domino traditum, nonnisi idoneis conferre illa debere; alioqui collationem a Deo ratam non haberi, & collatorem rapinæ, & furti reum esse. „„ Pulchre Episcopum habentem pyrum onustam fructibus, & volentem Archidiaconatum conferre Robinulo nepotulo suo quidam delusit. Cum interrogaret Episcopus, cui pyrum illam committeret custodiendam, & responsum esset a quodam, ut illa memorato Robinulo committeret: Episcopus respondit: Absit, quia pyra illa omnia devoraret; dicit Episcopo: Domine, qualiter committetis Robinulo tot millia animarum custodienda, cui tam pauca pyra committere non audetis „„.

S. Thomas, 2. 2. q. 63. art. 2. ad tertium, digniores ad ecclesiasticas dignitates, & beneficia eligendos, ac promovendos esse docet. „„ Quantum ad hoc (*inquit*) quod electio impugnari non possit in foro judiciali, sufficit eligere bonum, nec oportet eligere meliorem; quia sic omnis electio posset habere calumniam; sed quantum ad conscientiam eligentis, necesse est eligere meliorem, vel simpliciter, vel in comparatione ad bonum commune; quia si potest haberi aliquis magis idoneus erga aliquam dignitatem, & alius præferatur, oportet, quod sit propter aliquam causam. Quæ quidem si pertineat ad negotium, quantum ad hoc erit ille, qui eligitur, magis idoneus: si vero non pertineat ad negotium, id quod consideratur ut causa, erit manifeste acceptio personæ „„.

Et

Et qu. 185. art. 3. „„ Circa assumptionem alicujus ad Episcopatum, aliquid considerandum est ex parte ejus, qui assumitur, & aliquid ex parte ejus, qui assumit. Ex parte enim ejus, qui assumit, vel eligendo, vel providendo, requiritur, quod talem eligat, qui fideliter divina mysteria dispenset; quæ quidem dispensari debent ad utilitatem Ecclesiæ, secundum illud 1. ad Cor. 14. *Ad ædificationem Ecclesiæ quærite, ut abundetis.* Non autem divina mysteria hominibus committuntur propter eorum remunerationem, quam exspectare debent in futuro. Et ideo ille, qui debet aliquem eligere in Episcopum, vel de eo providere, non tenetur assumere meliorem simpliciter, quod est secundum charitatem; sed meliorem, quoad regimen Ecclesiæ, qui scilicet possit Ecclesiam, & instruere, & defendere, & pacifice gubernare. *Non eligere autem eos, quos Ecclesiæ utiliores futuros noveris*, pertinet ad acceptionem personarum, quæ in talibus est grave peccatum. Ex parte autem ejus, qui assumitur, non requiritur, quod reputet se aliis meliorem, (hoc enim esset superbum, & præsumptuosum;) sed sufficit quod nihil in se inveniat, per quod illicitum ei reddatur assumere prælationis officium. Unde licet Petrus interrogatus esset, an cæteris plus Dominum diligeret, in sua responsione non se prætulit cæteris, sed simpliciter respondit, quod Christum amaret „„.

Et Quodlibeto 7. q. 4. art. 1. „„ Aliquis homo potest dici bonus, vel melior altero dupliciter. Uno modo simpliciter; & sic melior est, qui est in charitate perfectior; alio modo secundum quid, & sic dicitur aliquis melior altero, vel ad militiam, vel ad magisterium, vel ad prælationem, vel ad aliquid hujusmodi, qui non est melior simpliciter, eo quod in singulis officiis tam spiritualibus, quam corporalibus requiruntur aliqua præter moralem bonitatem, ad hoc ut aliquis sit idoneus ad illud officium exequendum. Dicendum est ergo; quod oportet eligere ad prælationem, vel ecclesiasticum officium aliquem

qui ſit bonus ſimpliciter; quia per quodlibet peccatum mortale aliquis redditur indignus ad quodlibet ſpirituale exequendum. Non tamen oportet, quod ſemper eligatur ille, qui eſt melior ſimpliciter; poſſibile enim eſt, quod illi, qui eſt in charitate perfectior, deficiant multa, quæ requiruntur ad hoc, quod aliquis ſit Prælatus idoneus, quæ in alio, qui eſt minoris charitatis, inveniuntur; ut ſunt ſcientia, induſtria, potentia, & alia hujuſmodi; unde non oportet ſemper eligere meliorem ſimpliciter, ſed eum, qui ſit melior ad hoc officium. Si autem eligat quis eum, quem reputat minus idoneum ad tale officium, peccat. Non enim poteſt eſſe, quod de duobus unus alteri præeligatur, niſi propter aliquod in ipſo conſideratum; illud autem, quod conſideratur in eo, qui eſt minus idoneus, ad hoc, quod magis idoneo præferatur, eſt aliqua conditio indebite movens, vel familiaritas, vel conſanguinitas, vel aliquid hujuſmodi; non enim poteſt eſſe aliqua conditio pertinens ad Prælati idoneitatem, ex quo alter ſimpliciter magis idoneus reputatur; & ſic indebite movet; & ſic in tali electione erit acceptio perſonarum, quæ ſine peccato non fit „ „.

Vener. P. Ludovicus Granatenſis. Multiplex crimen promoventium indignos, aut minus dignos prætermiſſis dignioribus.

Inſignis pietatis Magiſter *Ludovicus Granatenſis*, in Concione *De officio Paſtoris*, habita in conſecratione Epiſcopi Mirandenſis anno 1565. luculentiſſimis rationibus probat, quod „ „ Eligere minus dignum, digniore prætermiſſo, omnibus juſtitiæ legibus adverſetur, tam ejus, quæ diſtributiva, quam quæ commutativa nominatur „ „. In quo quidem crimine multiplex reatus invenitur. „ „ Præferens enim indignum, reus eſt omnium animarum, quæ ob ejus indignitatem periclitantur; reus eſt omnium flagitiorum, quæ ex hoc crimine conſequuntur; reus denique omnium, aut eleemoſynarum, aut aliorum bonorum, quæ boni Rectoris ſtudio perficerentur. Quemadmodum enim, qui aut imperitum medicum, aut nauclerum, aut ducem, aut paſtorem præficit, reus eſt omnium damnorum, quæ ex horum ignoran-

rantia consecuta sunt; ita plane, qui indignum eligit in Ecclesiæ ministrum, omnium malorum consequentium reus est. Omnia enim hæc & nomina, & officia cuilibet Ecclesiæ ministro simili ratione conveniunt.. Cum ad Davidem Abiathar Sacerdos, amissis, injuria, & crudelitate Saulis, parentibus, ac fratribus, in desertum profugus perveniisset, ait ad illum David: *Ego sum reus, omnium animarum patris tui.* Nimirum, quia neque volens, neque animadvertens, in causa fuerat, ut Saul præcipiti quodam furore percitus, invidiaque stimulatus, Sacerdotes Domini jugularet. Quid ergo dicet, qui & sciens, & volens, & affectibus suis, aut amicorum serviens, contemptis dignioribus præficit indignos, ex qua indignitate tot pereuntium animarum strages consequuntur? Quoniam vero abusus hic vehementissime semper Ecclesiæ nocuit, Concilium Basileense tanto malo occurrere volens, pragmatica Sanctione decrevit, ut electores ministrorum Ecclesiæ, decantata prius Missa Spiritus sancti, post sacramentalem peccatorum confessionem, & venerabilis Eucharistiæ sumptionem, in manibus præsidentium hujusmodi se religione juramenti constringerent: *EGO juro, & promitto omnipotenti Deo, & tali Sancto, vel Sanctæ, sub cujus vocabulo dedicata est Ecclesia, eum eligere, quem credam futurum Ecclesiæ in spiritualibus, & temporalibus utiliorem; nec illi vocem dare, quem verisimiliter scivero promissione, aut datione alicujus rei temporalis, seu prece per se, aut alium interposita, aut alias qualitercunque directe, vel indirecte, pro se electionem procurare.* Et quamvis decretum hoc non obliget, novum jus inducendo, declarat tamen, quid hoc nostro calamitosissimo sæculo (quando fides nutat, & omnis justitia, atque virtus exulat, solaque externa bona petuntur,) pastoribus Ecclesiæ necessarium sit, ut tanto discrimini occurrant „„. 1. Reg. 22.

Denique inter propositiones ab *Innoc. XI.* Pontifice maximo die 2. Martii anno 1679. Romæ damnatas, hæc legitur 47. „„ Cum dicit Concilium Propositio damnata.

Triden. eos alienis peccatis communicantes mortaliter peccare, qui, nisi quos digniores, & Ecclesiæ magis utiles ipsi judicaverint, ad Ecclesias promovent; Concilium, vel primo videtur per hoc, *Digniores*, non aliud significare velle, nisi dignitatem eligendorum, sumpto comparativo pro positivo; vel secundo, locutione minus propria, ponit *Digniores*, ut excludat indignos, non vero dignos; vel tandem loquitur tertio, quando fit concursus „ „. De eadem propositione hoc judicium tulit Clerus gallicanus anno 1700 „ Hæc propositio Concilio Trid. con„ traria est, Ecclesiæ utilitati, ac saluti animarum, quæ „ a pastorum delectu præcipue pendet, adversatur „

REGULA XX.

Absque peccato conferuntur beneficia curam animarum annexam habentia, minus sanctis, & minus doctis, si Ecclesiæ, cui providendum est, utiliores futuri judicentur iis, qui sanctiores sunt, atque doctiores.

Hanc Regulam tradit *S. Thomas*, 2. 2. q. 62. art. 2. „ „ Acceptio (*inquit*) personarum est peccatum, in quantum contrariatur justitiæ. Quanto autem in majoribus aliquis justitiam transgreditur, tanto gravius peccat. Unde cum spiritualia sint temporalibus potiora, gravius peccatum est personas accipere in dispensatione spiritualium, quam in dispensatione temporalium. Et quia personarum acceptio est, cum aliquid personæ attribuitur præter proportionem dignitatis ipsius; considerare oportet, quod dignitas alicujus personæ potest attendi dupliciter. Uno modo simpliciter, & secundum se: & sic majoris dignitatis est ille, qui magis abundat in spiritualibus gratiæ donis. Alio modo per comparationem ad bonum commune. Contingit enim quandoque, quod ille, qui est minus sanctus, & minus sciens, potest magis conferre ad bonum commune propter potentiam, vel industriam sæcularem, vel propter ali-

aliquid hujusmodi. Et quia dispensationes spiritualium principalius ordinantur ad utilitatem communem, secundum illud 1. ad Cor. 12. *Unicuique datur manifestatio Spiritus ad utilitatem*; ideo quandoque absque acceptione personarum, in dispensatione spiritualium illi, qui sunt simpliciter minus boni, melioribus præferuntur. Sicut etiam & Deus gratias gratis datas quandoque concedit minus bonis „„.

Et Quodlibeto 6. q. 5. art. 3. „„ Aliquis, *inquit*, potest dici melior dupliciter: uno modo simpliciter, qui est sanctior, vel plus habens de charitate; alio modo dicitur aliquis melior quoad aliquid; contingit autem quandoque aliquem esse meliorem simpliciter, qui tamen non est melior quantum ad hoc, quod beneficium percipiat; quia aliquis forte potest Ecclesiam magis juvare, vel per consilium sapientiæ, vel per auxilium potentiæ, vel quia servivit in Ecclesia. Non ergo Episcopus tenetur semper dare meliori simpliciter; sed tenetur dare meliori quoad hoc „„.

REGULA XXI.

Consanguineos suos in collatione beneficiorum ecclesiasticorum aliis præferre nemo potest absque gravi peccato, nisi sint æque digni, & id absque scandalo fieri possit. Simplicia tamen beneficia illis conferre potest, unde sustententur, si indigni non fuerint.

Consanguinei in collatione beneficiorum curam habentium animarum cæteris præferri sine gravi peccato non possunt, nisi sint æque digni.

Hanc Regulam tradit *Petrus Cantor* Ecclesiæ Parisiensis, in *Verbo abbreviato*, cap. 43. „„ Cum (*inquit*) de intrantibus in Ecclesiam per ostium dicatur: *Qui non ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis, sed ex Deo nati sunt.* De intrantibus per carnem, & sanguinem dici potest; qui ex sanguinibus, & ex voluntate carnis, non ex Deo nati sunt, in ordinum, & beneficiorum ecclesiasticorum perceptione; tales nequeunt dicere: *In manibus tuis sortes meæ.* Non enim consideratur voluntas, & bene-

pla-

Joan. 1. Pſ. 30. 16. Mich. 3. placitum Domini, cum ſors, & hæreditas Chriſti eis confertur. De talibus ait Michæas: *Væ illis, qui ædificant Sion*, ſcilicet Eccleſiam, *in ſanguinibus*, in peccatis; in carnalibus etiam affectibus, dantes carni, & ſanguini, potius ad deſtructionem Eccleſiæ, quam ad ædificationem. Sic danti eccleſiaſticum beneficium poteſt objici, quia caro, & ſanguis revelat ei ſic dare, non Pater meus, qui in cœlis eſt. Luc. 14. 26. Item: *Qui non odit Patrem, & matrem, propter me*, id eſt, non poſtpoſuerit carnales affectus, quod non illi in dando ſpirituale naturæ, & ideo non ſunt digni Deo. Mat. 12. 49. Item Dominus: *Qui ſunt pater, & mater mea, & fratres mei? Et extendens manum in diſcipulos, ait: Hi ſunt mater, & ſoror, & fratres mei. Omnis enim, qui facit voluntatem Patris mei, ipſe eſt & frater, & ſoror, &c.* Quaſi diceret: Vir ſpiritualis carnales neſcit; ac ſi diceret patri, & matri: *Neſcio vos.* Inſinuans nobis ſe eſſe imitandum, maxime in ſpiritualibus conferendis. Ob hoc etiam Petrum, & de alia Tribu genitum Joanni præpoſuit „ „. *Item Hieronymus*: Moyſes amicus Dei, &c. „ „ Nepotem ergo tuum in columnam Eccleſiæ non erigas; tamen eccleſiaſticum beneficium, unde ſuſtentetur, ei aſſignare potes. Sed quid ſi æque honeſtus eſt, & dignus ut extraneus? Sed & hoc periculoſum eſt, niſi probitas ejus exigat, & excludat omnem infamiam, ſcandalum, & malum exemplum, quod de facili non fit. Non enim exemplum a bene geſtis noſtris ſumitur, ſed a cortice, ſpecie, & ſuperficie illorum, non a veritate. Si enim dedi nepoti meo propter gratiam, alii meo utentur exemplo, ut dent ſuis propter naturam magis, quam propter gratiam, dicentes: Nonne meis, ſicut & ille ſuis, dabo? Ego gratiæ, ille dat naturæ. Ex præmiſſis patet, quantum receſſerimus a cunabulis primitivæ Eccleſiæ in conferendo adminiſtrationem, & diſpenſationem rerum pauperum, conſuetudinem potius, quam antiquos Sanctos ſequentes, quaſi præſcriptione nos tuentes „ „.

Eam-

Eamdem Regulam confirmat *S. Thomas*, Secunda Secundæ, qu. 63. art. 2. ad primum: „„ Circa consanguineos Prælati (*inquit*) distinguendum est. Quia quandoque sunt minus digni, & simpliciter, & per respectum ad bonum commune. Et sic, si dignioribus præferantur, est peccatum personarum acceptionis in dispensatione spiritualium, quorum Prælatus ecclesiasticus non est dominus, ut possit ea dare pro libito, sed dispensator, secundum illud 1. ad Cor. 4. *Sic nos existimet homo ut ministros Christi, & dispensatores mysteriorum Dei.* Quandoque vero consanguinei Prælati ecclesiastici sunt æque digni, ut alii; & sic licite potest absque personarum acceptione consanguineos suos præferre; quia saltem in hoc præeminent, quod de ipsis magis confidere potest, ut unanimiter secum Ecclesiæ negotia tractent. Esset tamen hoc propter scandalum dimittendum, si ex hoc aliqui exemplum sumerent, etiam præter dignitatem, bona Ecclesiæ consanguineis dandi „„.

Ratio duplex cur consanguinei minus idonei non sint præferendi.

Et quodlibeto 4. qu. 8. art. 4. „„ Aliter (*inquit*) est dicendum de consanguineo Prælati æque idoneo, & aliter de minus idoneo; si enim sit æque idoneus, potest Prælatus suum consanguineum præferre, nisi forte ex hoc scandalum oriatur, vel aliqui exinde malum exemplum accipiant, ut probabiliter præsumi possit, quod alii Prælati hoc exemplo inducantur ad dandum suis consanguineis etiam minus dignis; & hoc ideo, quia ex quo nihil deperit utilitati Ecclesiæ, cum æque idoneo providetur, licet circa hujusmodi provisionem etiam amori naturali satisfacere, qui non est contrarius charitati, sed magis charitate informatur; & hoc significatur Gen. 47. ubi Pharao dixit ad Joseph de fratribus suis: *Si nosti in eis viros industrios, constitue eos magistros pecorum meorum.* Si vero sit minus idoneus consanguineus Prælati, non debet eum præficere ad curam Ecclesiæ, postposito meliori, duplici ratione; primo quidem, quia hoc videtur esse contra fidelitatem, quam in bono dispensatore Dominus requirit. Non enim faceret fideliter ne-

negotium alicujus domini, qui posset rem ejus meliorare, si hoc prætermitteret, ut suis consanguineis satisfaceret. Secundo, quia hoc videtur ad personarum acceptionem pertinere, quæ consistit in hoc, quod aliquis accipit pro causa conditionem personæ, quæ non facit ad negotium; sicut si aliquis daret sententiam pro aliquo; quia dives est, & non quia justitiam habet, quæ est conditio faciens ad negotium; esse autem consanguineum, non est aliqua conditio pertinens ad curam Ecclesiæ, quæ non obtinetur jure sanguinis, sed divino munere; esset autem conditio faciens ad negotium circa dispensationem patrimonialium bonorum. Unde si Episcopus de patrimonialibus bonis magis provideat consanguineo suo minus idoneo, non est acceptio personarum; sed si ratione consanguinitatis ei provideat in patrimonio Crucifixi, non caret vitio personarum acceptionis, quam Augustinus dicit esse in ecclesiasticis gradibus dispensandis, exponens illud Jacobi 2. *Nolite in personarum acceptione habere fidem Domini nostri Jesu Christi* „„.

REGULA XXII.

Dignum ex Ecclesiæ gremio alteri alias digniori præferre licet.

„„ Ille *enim*, qui de gremio Ecclesiæ assumitur, ut in pluribus consuevit esse utilior, quantum ad bonum commune; quia magis diligit Ecclesiam, in qua est nutritus. Et propter hoc etiam mandatur Deuter. 17. *Non poteris alterius gentis hominem facere Regem, qui non sit frater tuus* „„. Ita *S. Thomas* ibidem in responsione ad quartam objectionem.

RE-

REGULA XXIII.

Quamvis graviter peccent Patroni, qui minus dignum præsentant, postpositis dignioribus; non peccat Episcopus illum instituens.

Liberum enim non est Episcopo alium in beneficio instituere, nisi quem Patronus præsentaverit, modo non sit incapax. Hinc *Innoc. III* Ext. *de Electione*, cap. *Cum dilectus*, de ipsa Episcopi electione loquens, illam improbandam non putat, licet alii supponerentur digniores, nisi alia impedimenta essent. Verum hæc Decretalis (ut explicat *S. Thomas*, Quodlibeto 8. qu. 4. art. 1.) „„ Non loquitur quantum ad forum conscientiæ, sed quantum ad forum contentiosum, in quo non reprobatur electio ex hoc, quod potest aliquis alius magis idoneus inveniri; dummodo ille, qui eligitur, idoneus sit; alias omnis electio calumniam pateretur „„. Sic Episcopus negare non potest institutionem illi, quem Patronus præsentaverit, si revera dignus sit, quamvis alii digniores occurrant. Tenetur tamen Patronus eligere digniorem. At si duo, plureſve Patroni diversas personas nominent, & sint æqualia horum suffragia, tenetur Episcopus instituere digniorem; alioqui gravis peccati reus erit.

REGULA XXIV.

Plures Episcopatus, aut plures parochiales Ecclesias, aut duas dignitates, personatus, vel præbendas uniformes sub eodem tecto possidere nemini licet.

Quæ beneficia incompatibilia.

Hæc enim beneficia incompatibilia esse Theologi omnes, & juris canonici periti, summo consensu fatentur; adeo ut, qui plura hujusmodi beneficia possident, nisi infra sex menses unico contenti, cætera dimittant, omnibus ipso jure excidant, & ad fructuum omnium post dictum tempus perceptorum restitutionem teneantur. Ita declarat Concilium Trid. sess. 7. *de Reformatione*, c. 2. 4. & 5. sess. 24.

ſeſſ. 24. *de Reformatione*, cap. 17. „„ Illi vero (*inquit*) qui in præſenti plures parochiales Eccleſias, aut unam cathedralem, & aliam parochialem obtinent, cogantur omnino, quibuſcunque diſpenſationibus, ac unionibus ad vitam non obſtantibus, una tantum parochiali, vel ſola cathedrali relicta, alias parochiales infra ſpatium ſex menſium dimittere; alioqui tam parochiales, quam beneficia omnia, quæ obtinent, ipſo jure vacare cenſeantur; ac tanquam vacantia libere aliis idoneis conferantur, nec ipſi antea illa obtinentes, tuta conſcientia, fructus poſt dictum tempus retineant „„.

Eamdem Regulam antea ſtatuerant Oecumenica duo Concilia Lateranenſia, tertium ſcilicet ſub Alexandro III. can. 13. „„ Quia (*inquit*) nonnulli modum avaritiæ non ponentes, dignitates diverſas eccleſiaſticas, & plures Eccleſias parochiales contra ſacrorum Canonum inſtituta nituntur acquirere, ita ut cum unum officium vix implere ſufficiant, ſtipendia ſibi vindicent plurimorum, ne id de cætero fiat, diſtrictius inhibemus. Cum igitur Eccleſia, vel eccleſiaſticum miniſterium committi debuerit, talis ad hoc perſona quæratur, quæ reſidere in loco, & curam ejus per ſeipſam valeat exercere; quod ſi aliter fuerit factum, & qui receperit, quod contra ſanctos Canones accepit, amittat; & qui dederit, largiendi poteſtate privetur „„. Refertur cap. *Quia nonnulli*, Ext. *de Clericis non reſidentibus.*

Et quartum ſub *Innocentio III.* can. 19. „„ Præſenti Decreto ſtatuimus, ut quicunque receperit aliquod beneficium habens curam animarum annexam, ſi prius tale obtinebat, eo ſit jure ipſo privatus; & ſi forte illud retinere contenderit, alio etiam ſpolietur. Is quoque, ad quem prioris ſpectat collatio, illud poſt receptionem alterius libere conferat, cui merito viderit conferendum; & ſi ultra ſex menſes conferre diſtulerit, non ſolum ad aliud, ſecundum ſtatutum Lateranenſis Concilii ejus collatio devolvatur, verum etiam tantum de ſuis cogantur proven-

ventibus in utilitatem Ecclesiæ, cujus est illud beneficium assignare, quantum a tempore vocationis ipsius constiterit ex eo esse perceptum. Hoc idem in personatibus decernimus observandum, addentes, ut in eadem Ecclesia nullus plures dignitates, aut personatus habere præsumat, etiamsi curam non habeant animarum „„. Refertur cap. *De multa providentia*, Ext. *de Præbendis*. Quam *Innocentii III.* constitutionem confirmat disertis verbis Concil. Trid. sess. 7. *de Reformatione*, cap. 4.

REGULA XXV.

Parochialem Ecclesiam cum annexa unus, idemque Sacerdos regere potest, constituto in ista Vicario. Canonicatum item in Ecclesia cathedrali, cum Parochia annexa possidere quis potest, modo perpetuus in ea Vicarius constituatur cum portione congrua.

Hæc Regula, quoad primam partem nititur c. *Eam de te decet*, Ext. *De ætate, & qualitatibus Ordinandorum*, quod est *Alexandri III.* responsum: „„ Habentes plures Ecclesias, quæ ex una non pendeant, tibi liceat, appellatione postposita, cogere ad unam ipsarum, quam maluerint, dimittendam, nisi ita fuerint tenues in substantia, quod proprios Sacerdotes non possint convenienter alere „„. Quoad alteram vero partem nititur cap. *Extirpandæ*, Ext. *de Præbendis*, §. *Qui vero*, & Concilii Trid. Decreto sess. 7. cap. 7. An tamen Vicarii perpetui sint in hujusmodi Parochiis instituendi, judicium penes Episcopum sacra Synodus esse voluit, his verbis: „ Nisi ipsis Ordinariis pro bono Ecclesiarum „ regimine aliter expedire videbitur „.

REGULA XXVI.

Plura beneficia etiam diversi generis, residentiam postulantia, in diversis Ecclesiis possidere, prorsus illicitum est.

Plura beneficia residentiam postulantia in diversis Ecclesiis possidere non licet.

Sacris enim Canonibus constitutum est, neminem licere *in duabus simul Ecclesiis conscribi*, scilicet Concilii Chalcedonensis can. 10. Nicæni 2. quod est Oecumenicum 7. can. 15. Placentini sub *Urbano II.* can. 15. sive Canone, *Sanctorum*, dist. 70. & 3. Lateranensis Concilii oecumenici sub *Alexandro III.* can. 14. qui refertur cap. *Quia in tantum*, Extra *de Præbendis*, cujus hæc sunt verba: „ „ Quia in tantum, quorumdam processit ambitio, ut non duas, vel tres, sed plures Ecclesias perhibeantur habere, cum nec duabus possint debitam provisionem impendere; per Fratres, & Coepiscopos nostros hoc emendari præcipimus; & de multitudine præbendarum Canonibus inimica, quæ dissolutionis materiam, & evagationis inducit, certumque continet periculum animarum, eorum, qui Ecclesiis deservire valeant, indigentiam volumus sublevari „ „.

Et cap. *Ad hæc licet*, sub eodem Titulo: „ „ Illud est omni rationi contrarium, ut unus Clericus in una, vel diversis Ecclesiis plures dignitates, vel personatus obtineat; cum singula officia in Ecclesiis assiduitatem exigant personarum „ „.

Innoc. III. cap. *Cum jam dudum*, sub eodem Titulo, quemdam Clericum pluribus dignitatibus, & præbendis gravem, a nova præpositura excludit: „ Cum „ multa per patientiam tolerentur, quæ si deducta „ fuerint in judicium, exigente justitia, non debeant „ tolerari „.

Eamdem Regulam confirmat *Joannes XXII.* Extravaganti, *Execrabilis*, Tit. *de Præbendis*, non solum plura beneficia curam animarum habentia retineri prohibens, sed & plures dignitates, personatus, officia, seu prioratus, dispensationes omnes revocans, quam improbitas importuna petentium ab eo, &

Præ-

Prædecessoribus romanis Pontificibus extorserat magis, quam obtinuerat. Iis quibuscum ab apostolica Sede dispensatum fuerat, solummodo indulget, ut cum beneficio curam animarum habente, simplex alterum, seu curam non habens retinere ipsis liceat. Illos vero, qui sine dispensatione canonica pluribus hujusmodi beneficiis sunt adaucti, illa dimittere jubet, eo duntaxat servato, quod ultimo receperunt; alioqui ipso jure omnibus, & illo etiam postremo privatos, atque ad alia cujuscunque sint generis obtinenda, penitus inhabiles declarat. Mala deplorat, quæ ex hac spiritali polygamia oriuntur. „„ Quod videlicet interdum unus, qui unicum quamvis modicum vix officium implere sufficeret, plurimorum sibi vindicet stipendia, quæ multis literatis viris vitæ puritate, ac testimonio bonæ famæ pollentibus, qui mendicant, possent abunde sufficere æqua distributione collata; habentibus ipsa paratur vagandi materia; divinus cultus minuitur, hospitalitas in ipsis beneficiis debita non servatur; & dum non sunt suis in unaquaque regione rectores, Ecclesiarum detrahitur commodis, & honori, quæ carentes defensorum auxilio, in juribus suis, & libertatibus multipliciter collabuntur; & ruinis patent ædificia nobilia, quæ magnificentia extruxerat Decessorum; &, (quod amarius est dolendum) animarum cura negligitur, & vitiorum sentibus fomentum periculose præbetur „„.

Hujusmodi beneficiorum pluralitatem velut horrendum cupiditatis monstrum infectantur *Petrus Cantor* Parisiensis Ecclesiæ in *Verbo abbreviato*, c. 31. 32. 33. & 34. *Guillielmus Parisiensis*, Tractatu *de vitiis, & peccatis*, c. 9. & Tract. *De Collatione beneficiorum*, c. 6. *Thomas Cantipratanus* libro 1. *Apum*, c. 19. ubi refert, anno millesimo ducentesimo trigesimo octavo, quo Parisiis versabatur *Guillielmum* Parisiensem Episcopum magistris omnibus sacræ Facultatis in Capitulo FF. Prædicatorum, ad *S. Jacobi* congregatis, proposita quæstione de pluralitate beneficiorum, ipsis suffragantibus declarasse: „ Duo

Sacræ facultatis Paris. sententia contra beneficiorum hujusmodi pluralitatem.

„ beneficia, dummodo unum valeret quindecim li-
„ bras Parisienses, teneri cum salute animæ non posse „.
Multo solemniorem ante triennium habitam disputationem addit, in qua etiam omnes magistri Theologiæ, exceptis duobus, idem pronuntiaverunt, ac declaraverunt. Horum alter *Philippus* erat Parisiensis Ecclesiæ Cancellarius, qui post obitum *Guillielmo* Parisiensi Episcopo apparuit, Deo ita volente, seque æterna morte damnatum significavit triplicem ob causam; primo quod crescentes fructus annuos reservasset, neque subveniisset pauperibus. Secundo, quod contra sententiam plurimorum, de pluralitate beneficiorum, quasi licite tenendorum sententiam propugnans, mortalis peccati periculo se commisisset. Tertio, quod vitio carnis multo tempore se inquinasset. His adde *Dionysium Cartusianum* in Tract. *De beneficiorum pluralitate; Guillielmum Peraldum* Ordinis Prædicatorum, in Summa *De virtutibus, & vitiis*, (quod opus magni fecit *S. Carolus Borromæus*) Tract. *De avaritia*, cap. 11. & alios bene multos, quos vel nominare longum foret.

REGULA XXVII.

Plura beneficia, cujuscunque naturæ sint, etiam simplicia, simul possidere non licet. Qui absque canonica, & justa dispensatione plura obtinuerit, ac retinuerit lethalis peccati reus est, si unum ad vitam ejus honeste sustentandam sufficiat.

Pluralitas beneficiorum damnanda in eo, qui unum possidet, de quo potest commode sustentari.

Hanc Regulam colligimus ex c. *Cum teneamur*, Ext. *de Præbendis*, quod *Alexandri III.* Responsum est: „ „ Si mandatum nostrum (*inquit*) pro alicujus provisione receperis, qui aliud beneficium habeat, de quo valeat commode sustentari; nisi forte in literis de hoc mentio habeatur. Aut si non potest ei sine scandalo provideri, æquanimiter sustinemus, si pro eo mandatum nostrum non duxeris exequendum „ „.

Ni-

Nititur eadem Regula c. *Ad aures*, Ext. *de Rebus ipsis*, quod est *Lucii III.* Responsum: „„ Cum non sit (*inquit*) intentionis nostræ, ut personæ pluribus redditibus abundantes per literas nostras pauperes Clericos super minoribus beneficiis inquietent; literas, in quibus actor suæ nomen dignitatis supprimit, vires nolumus obtinere „„.

Hanc Regulam confirmat Conc. Triden., sess. 24. cap. 17. de Reformatione „„ Cum (*inquit*) ecclesiasticus Ordo pervertatur, quando unus plurium officia occupat Clericorum; sancte sacris Canonibus cautum fuit, neminem oportere in duabus Ecclesiis conscribi. Verum quoniam multi improbæ cupiditatis affectu seipsos, non Deum decipientes, ea, quæ bene constituta sunt, variis artibus eludere, & plura simul beneficia obtinere non erubescunt; sancta Synodus debitam regendis Ecclesiis disciplinam restituere cupiens, quod in quibuscunque personis quocunque titulo, etiamsi Cardinalatus honore fulgeant, mandat observari; statuit ut imposterum unum tantum beneficium ecclesiasticum singulis conferatur; quod quidem si ad vitam ejus, cui confertur, sustentandam non sufficiat, liceat nihilominus aliud simplex sufficiens, dummodo utrumque personalem residentiam non requirat, eidem conferri. Hæcque non modo ad cathedrales Ecclesias, sed etiam ad alia omnia beneficia, tam sæcularia, quam regularia quæcunque, etiam commendata, pertineant, cujuscunque tituli, ac qualitatis existant „„.

Inter articulos Reformationis, quos *Carolus IX.* Rex christianissimus per Oratores suos a sacra Synodo Tridentina postulaverat, hi leguntur: „„ Unum tantum beneficium uni conferatur, sublata, quod attinet ad pluralitatem, compatibilium, & incompatibilium differentia. Quæ distinctio, ut est nova, & antiquis decretis incognita, ita Ecclesiæ catholicæ magnam calamitatem attulit. Dentur autem regularia, Regularibus, sæcularia Sæcularibus. Qui vero duo, vel plura possident, aut illud tantum retineant,

quod intra breve tempus elegerint, aut in pœnas antiquorum Canonum incidant „„.

Idem ſtatuerunt Concilia provincialia Tridentinum ſecuta Mediolanenſe 4. P. 2. Tit. de beneficiorum Collatione: „„ Beneficium etiam ſimplex obtinenti (*inquit*) quod ad vitæ ſuſtentationem ſatis eſt, ſi alterum ſimplex, aut Eccleſia etiam parochialis, aliudve beneficium cujuſvis generis conferatur; ubi is alterius beneficii cujuſcunque generis illud ſit, poſſeſſionem pacificam adeptus eſt; aut ſi per eum ſteterit, quominus duobus menſibus, quos a die, quo alterum collatum eſt, præſtituimus, illam adipiſcatur; primum ipſo jure vacare cenſeatur; cui vacanti provideatur; cum ex Trid. Concilii ſententia unum, & alterum item ab illo ſimul retineri nullo modo liceat „„.

„„ Beneficii quacunque auctoritate deinceps collati, unde ſatis ad victum ſumitur, poſſeſſionem pacificam quis adeptus, ſi nulla ſibi faculate, diſpenſationeve legitima conceſſa, beneficii prioris, quod obtinebat, cenſum exegerit; ea pœna illi ſit, ut quod egerit, illius duplum ad Eccleſiæ uſum reſtituat; tum alia ratione etiam mulctetur, plectaturve Epiſcopi arbitratu „„

Mediolanenſe 5. P. 3. Tit. Quæ ad beneficiorum collationem pertinent: „„ Quod Synodi Tridentinæ auctoritate quarto Concilio noſtro provinciali permiſſum eſt, ſimplex beneficium habenti, alterum etiam ejuſdem generis, quod perſonalis reſidentiæ munus non requirat, ob honeſtam illius vitæ ſuſtentationem conferri, id ita locum habeat, ut ne tamen eo prætextu, cauſave vitæ honeſte ſuſtentandæ, plura, quam duo beneficia ſimplicia uni eidemque conferri liceat ſine conceſſu, permiſſuve Sedis apoſtolicæ „„.

Concilium Avenionenſe 1594. Tit. 34. „„ Nemo audeat plura beneficia incompatibilia tenere. Quod ſi diſpenſationem ſe obtinuiſſe aliquis dicat, eam oſtendere intra duorum menſium ſpatium poſt hujus Concilii publicationem compellatur. Juxta decreti Concilii Trid. tenorem, unum tantum beneficium eccle-

ſiaſti-

ſiaſticum conferatur ſingulis. Quod quidem ſi ad vitam ejus honeſte ſuſtentandam non ſufficit, liceat nihilominus aliud ſimplex ſufficiens, dummodo utrumque perſonalem reſidentiam non requirat, eidem conferre „ „.

Concilium Mechlinenſe, anno 1607. titul. 19. cap. 5. „ „ Pluralitas (*inquit*) beneficiorum & certum continet animarum periculum, & totius Ordinis eccleſiaſtici perverſio eſt; ideoque mandat hæc Synodus exacte ſervari, quidquid de ea cap. *De Multa*, 10. *de Præbendis*, ac in aliis ſacris Canonibus, & præſertim in ſacro Concilio Trid., ſtatutum, & decretum eſt „ „.

REGULA XXVIII.

Plurium beneficiorum poſſeſſio plures in ſe deformitates continet.

Multiplex deformitas in pluralitate beneficiorum.

Ita docet *S. Thomas*, Quodlibeto 10. quæſt. 7. art. 2. „ „ Quædam (*inquit*) ſunt actiones, quæ de ſe indifferentes ſunt ad bonum, vel malum; inter quarum numerum quidam computant habere plures præbendas, dicentes: *Ita licitum eſt habere plures præbendas, ſicut habere plura poma.* Sed hoc non videtur eſſe verum, cum hoc, quod eſt habere plures præbendas, plurimas in ſe inordinationes contineat; utpote quia non eſt poſſibile aliquem in pluribus Eccleſiis deſervire, in quibus eſt præbendatus, cum præbendæ videantur eſſe ordinatæ quaſi quædam ſtipendia Deo ibidem miniſtrantium. Sequitur etiam diminutio cultus divini, dum unus loco plurium inſtituitur. Sequitur etiam in aliquibus defraudatio voluntatum teſtatorum, qui ad hoc aliqua bona Eccleſiis contulerunt, ut certus numerus Deo deſervientium ibi eſſet. Sequitur etiam inæqualitas, dum unus pluribus beneficiis abundat, & alius nec unum habere poteſt; & multa alia hujuſmodi, quæ de facili patent; unde non poteſt contineri inter indifferentes actiones; & multo minus inter eas,

quæ sunt secundum se bonæ; ut dare eleemosynam, & hujusmodi „„. Hinc *S. Thomas* hanc velut *S. Bernardi* sententiam citat: „ Qui non unus sed plures est in beneficiis, non unus sed plures erit in suppliciis „„.

Intentionem fundatorum fraudari, cùm uni plura beneficia conferuntur, pariter asserit *Guilielmus Parisiensis* Tract. *De Collatione beneficiorum*, cap. 6. „ Quoniam sicut certum numerum voluerunt habere „ servitiorum, sic & servitorum „. Si quis vero dixerit ministrum unum sufficere ad plura ministeria obeunda; id manifeste falsum esse respondet Episcopus doctissimus: quia „ „ Ad majorem gloriam sunt ei multi præcones laudum ipsius, quam unus; alioquin ad quid institutæ essent tot, & tantæ Ecclesiæ collegiatæ, totque Chori canentium laudes ipsius „„? Si autem dixerit, quod hoc sufficit ipsis Ecclesiis, & hoc falsum esse quis dubitet? „„ Quæ enim Ecclesia est, nisi forte malignantium, quam Deus odivit, quæ nolit habere integritatem corporis sui, & universitatem membrorum suorum? Quæ (*inquam*) quæ portione sui contenta velit esse pro toto, nisi quæ magis est synagoga satanæ, quam Ecclesia „„? Quod si quis dixerit, quod sufficit Prælato; vel intelligit, sufficere ei ad meritum, quod est impossibile manifesto. „„ Sed revera sufficit ei ad gehennam. Defraudare enim Dominum præconibus gloriæ suæ, atque præconiis, & ipsam etiam membris suis, & membrorum officiis; animas vero tam mortuorum, quam vivorum patronis similiter, & patrociniis, sive suffragantibus, atque suffragiis, sufficiens meritum est, & causa damnationis æternæ. *Et inf.* Si Dux exercitus daret uni ex bellatoribus decem bellatorum stipendia, nunquid non fraudem faceret Domino, & victoriam adversarii contra ipsum procuraret? Ubi enim debet habere mille bellatores, per hanc viam non haberet, nisi centum. Quantum minuat Dei exercitum ista pestis, quamque graviter plectendi sint a Deo hujusmodi proditores, manifestum est satis „„.

Hinc

Hinc can. *Singula*, dist. 89. hæc *S. Gregorii* sententia refertur; „„ Singula ecclesiastici juris officia singulis quibusque personis singulatim committi jubemus. Sicut enim in uno corpore multa membra habemus, omnia autem membra non eumdem actum habent; ita in Ecclesiæ corpore, secundum veridicam Pauli sententiam, uno, eodemque spirituali conferendum est hoc officium, alii committendum est illud; neque uni, quantumlibet exercitatæ personæ, uno tempore duarum rerum officia committenda sunt; quia si totum corpus est oculus, ubi auditus? Sicut enim varietas membrorum per diversa officia, & robur corporis servat, & pulchritudinem repræsentat; ita varietas personarum per diversa nihilominus officia distributa, & fortitudinem, & venustatem sanctæ Dei Ecclesiæ manifestat. Et sicut indecorum est, ut in corpore humano alterum membrum alterius fungatur officio, ita nimirum noxium, simulque turpissimum, si singula rerum ministeria personis totidem non fuerint distributa „„. Auream illam SS. Pontificis sententiam refert *Joannes Diaconus* in ejus vita, lib. 2.

Multiplex igitur deformitas est in beneficiorum pluralitate secundum se spectata. 1. Privatur Deus cultu suo; magis enim & melius per plures ministros, quam per paucos, colitur. 2. Privatur Ecclesia suo jure; dum enim plura beneficia unus usurpat, Ecclesia caret ministris sibi debitis. 3. Fit injuria aliis dignis, imo dignioribus, qui nullum beneficium habent. 4. Id pugnat contra rationem naturalem, quæ docet unum membrum corporis unum in corpore officium habere debere. 5. Datur locus ambitioni, & cupiditati. 6. Pereunt studia literarum, emulatione laudabili sublata.

REGULA XXIX.

Plurium beneficiorum possessio ex dispensatione canonica, & justis de causis a summo Pontifice concessa, scilicet ob Ecclesiæ necessitatem, vel utilitatem, honesta, & licita esse potest.

Circa beneficiorum pluralitatem justis de causis dispensare summus Pontifex potest.

Hæc Regula colligitur ex *S. Thoma*, Quodlibeto supra citato. „„ Sunt quædam actiones (*inquit*) quæ absolute consideratæ deformitatem, vel inordinationem quamdam important, quæ tamen aliquibus circumstantiis advenientibus bonæ efficiuntur; sicut occidere hominem, vel percutere, in se deformitatem quamdam importat; sed si addatur, occidere malefactorem propter justitiam, vel percutere delinquentem causa disciplinæ, non erit peccatum, sed virtuosum. In numero harum actionum videtur esse habere plures præbendas; quamvis enim aliquas inordinationes contineat, tamen aliæ circumstantiæ possunt supervenire, ita honestantes actum, quod prædictæ inordinationes totaliter evacuentur; ut puta si

Justæ causæ sunt Ecclesiæ necessitas vel utilitas.

sit necessitas in pluribus Ecclesiis ejus obsequio, & possit plus servire Ecclesiæ, vel tantumdem absens quam alius præsens; & si qua alia sunt hujusmodi; & tunc istis conditionibus supervenientibus cum recta intentione, non erit peccatum, etiam nulla dispensatione interveniente, si consideretur tantum jus naturale; quia dispensatio ad jus naturale non pertinet, sed solum ad positivum; si vero aliquis hac

Nemo potest plura beneficia possidere tuta conscientia, ut sit ditior, & lautius vivat.

intentione plura beneficia habeat, ut sit ditior, ut lautius vivat, & ut facilius ad Episcopatum perveniat in aliqua Ecclesiarum, ubi est præbendatus, non tolluntur prædictæ deformitates, sed augentur; quia cum tali intentione & unum beneficium habere, quod nullam inordinationem importat, esset illicitum. Et sic quidem esset dicendum secundum jus naturale, etiam nullo jure positivo superveniente; nunc autem certum est, per antiqua jura hoc esse prohibitum. Si ergo antiqua jura, quæ hoc prohibent, in suo robore maneant, contraria consuetu-

dine

dine non obstante, certum est, non posse aliquem plures præbendas habere absque dispensatione; etiam illis circumstantiis supervenientibus, quæ secundum considerationem juris naturalis actum poterant honestare „„.

Hanc Regulam acceperat *S. Thomas* ex cap. *de Multa*, quod est Conc. Lateranensis 13. sub *Alexandro III.* „„ In eadem Ecclesia (*inquit*) nullus plures dignitates, aut personatus habere præsumat, etiamsi curam non habeat animarum. Circa sublimes tamen, & literatas personas, quæ majoribus sunt beneficiis honorandæ, *cum ratio postulaverit*, per Sedem apostolicam poterit dispensari „„.

Sola nobilitas, vel eruditio rationes non sunt legitimæ dispensationis, sed Ecclesiæ necessitas, cum scilicet ministri desunt, per quos plura officia impleantur; vel utilitas personæ erga Ecclesiam; cum scilicet viri nobilitate sublimes, aut doctrina eximii, plus Ecclesiæ prosunt, quam plures alii, quibus beneficia conferrentur, magisque laborant in verbo, & doctrina; & cum unum beneficium sublimibus istis, literatisque viris non sufficit, ut ex eorum opera, studiisque ac laboribus utilitatem maximam reportet Ecclesia. Alias nulla ratio postulat, ut cum sublimibus, literatisque viris circa pluralitatem beneficiorum dispensetur, ut docet *S. Bern.* Epist. 271. ad Principem *Theobaldum* Campaniæ comitem a quo rogatus fuerat, ut apud *Eug. III.* Pont. max. pro filio suo *Wilhelmo* intercederet, & certum quoddam beneficium in ejus gratiam, qui tamen jam unum habebat, impetraret. „„ Scitis (*inquit*) quia diligo vos; sed quantum novit Deus melius quam vos. Me quoque diligi a vobis non dubito, sed propter Deum. Quem si offendero, non erit quod me diligere debeatis, cum jam non fuerit in causa Deus. Quis enim ego sum, ut de me tantillo tantus Princeps curetis, nisi quamdiu Deum in me esse creditis? Ergo ut offendam eum, fortassis nec vobis expedit. Offendo autem procul dubio, si facio, quod re-

Sola nobilitas, vel eruditio, rationes non sunt legitimæ dispensationis.

requiritis; nam honores, & dignitates ecclesiasticas non ignoro deberi his, qui eas digne secundum Deum administrare, & velint, & possint. Porro eas acquiri parvulo filio vestro precibus meis, vel vestris, nec vobis justum, nec mihi tutum esse noveritis. Nam nec cuiquam, vel adulto plures in pluribus Ecclesiis habere licet; nisi dispensatorie quidem ob magnam vel Ecclesiæ necessitatem, vel personæ utilitatem. Quamobrem si vobis videtur hic durus sermo, & placet, quod cogitastis, implere; parcite mihi in hoc; nam vos satis (ni fallor) per vos & per alios amicos vestros istud obtinere potestis. Ita nec vos minus, quod vultis, efficitis; nec ego peccavi. Sane Wilhelmulo nostro cupio bene per omnia, sed ante omnia Deum. Hinc est, quod contra Deum nolo aliquid habeat, ne non habeat Deum. Quod si alius secus voluerit; nolo per me habeat; ne perdam & ego Deum „ „.

REGULA XXX.

Dispensatio pontificia possidentem plura beneficia cujuscunque sint generis, quorum alterum ad vitam honeste sustentandam sufficiat, a peccato mortali non præstat immunem, nisi justa sit causa dispensationis.

Pontificia dispensatio plura beneficia possidentem non excusat, nisi justa sit causa dispensationis.

Hæc Regula firmatur 1. auctoritate *Guilielmi Parisiensis* Episcopi, lib. *de Collatione beneficiorum*, c. 6. „ „ Si quis (*inquit*) objecerit nobis ex Ecclesiis, in quibus non compellitur fieri residentia, dicimus, quia non est libertas ex constitutione, vel fundatione, sed magis ex longa consuetudine, & Clericorum malitia usurpata. Quod si objecerit nobis de dispensationibus apostolicis; respondemus. Quod illæ supra nos sunt, & quod diligentius consideratæ, irritæ sunt; & de omni dispensatione facta idem sentimus, nec interpretari præsumimus. E contrario tamen indubitanter sciendum est, quod romanus Pontifex quantumcunque largam dispensationis gratiam videatur

tur facere in beneficiis cum aliquibus personis; tamen non dispensat cum avaritia, cupiditate, vel ambitione earum; non enim intendit pascere, vel nutrire pestes vitiorum de bonis temporalibus ecclesiasticis, quæ plene novit ad sustentationem servorum Dei in ejus servitio certificata esse Domino, & oblata „ „.

Secundo, ex *S. Thoma*, Quodlibeto 9. q. 7. art. 2. „ „ Si antiqua jura (*inquit*) sunt per consuetudinem abrogata, tunc prædictis circumstantiis supervenientibus, etiam sine dispensatione licitum est plures præbendas habere; sine quibus circumstantiis licitum non est, quantumcunque dispensatio interveniat; eo quod dispensatio humana non aufert ligamen juris naturalis, sed solum ligamen juris positivi, quod per hominem statuitur, & per hominem dispensari potest „ „.

Tertio, ex Cardinali *Cajetano*, in Summa, verbo *beneficium*, n. 9. „ „ Nec excusatur (*inquit*) peccatum mortale propter dispensationem Papæ sine rationabili causa; quoniam dispensatio Papæ cadit super jus positivum, & non super jus divinum, aut morale; pluralitas autem beneficiorum sine rationabili causa est contra jus divinum, & morale, quo communia Ecclesiæ bona distribui juste debent partibus Ecclesiæ „ „.

Et infra, in beneficiorum pluralitate tria spectanda esse ait: „ „ Primo damnum Ecclesiarum quoad divinum cultum, numerum ministrorum, & temporalia. Secundo, damnum Clericorum bene meritorum in illis partibus, ubi sunt hæc beneficia, qui deberent ex his beneficiis & honorari, & pasci. Tertio, scandalum bonorum virorum, qui vident hujusmodi exorbitantes distributiones conservari ab his, qui in formam gregis christiani dati sunt; inde enim alii similia audent; & sic in præceps ruit Ecclesia Christi. Et propterea qui hæc parvipendit, quia sic communiter a tot fit, & quia forte Papa dissipando dispensavit, non esset absolvendus; ut absque alia probatione clare patet. Qui vero hæc æstimat, provideat ope-

Beneficiatis in hoc casu constitutis neganda Sacramentalis absolutio.

opere, & veritate, ut hæc mala non sint; alioquin tepidus est, & evomendus „ „.

Quarto, ex Cardinali *Toleto*, lib. 5. *de Institutione Sacerdotum*, c. 82. „ „ Non obstante (*inquit*) illo jure Concilii, qui cum Pontificis dispensatione plura quæcunque, & quomodocunque beneficia habet, tutus est in conscientia. Sed adverte, ut in foro exteriori possit illa habere, satis est dispensatio; tamen ut in conscientia, & coram Deo tutus sit necessaria est causa dispensationis. Hæc autem causa debet esse in utilitatem Ecclesiæ, vel ob ipsius Ecclesiæ necessitatem. Quando causa non est in bonum Ecclesiæ, non est bona dispensatio, nec est homo securus coram Deo. Rursus quamvis ista causa sit, non potest sine dispensatione habere plura beneficia pinguia, quia est contra Concilium; sed utrumque est necessarium, dispensatio cum causa convenienti „ „.

Quinto, ex Cardinali *Bellarmino* in admonitione ad Episcopum Theanensem, nepotem suum: „ „ Sed quid multi (*inquit*) multa beneficia ex dispensatione pontificia possident? Sciendum est, pontificiam dispensationem, quando non adest justa causa dispensandi, valere in foro fori, sed non in foro poli, ut aperte docet S. Thomas „ „; (id est, in foro exteriori, non in foro conscientiæ, & coram Deo.)

Sexto, ex *Panormitano*, in c. *Dudum* 2. *de Electione*, cujus hæc verba refert ibidem Bellarminus: „ „ Dispensatus etiam per Papam circa pluralitatem istorum beneficiorum, sine causa, etiamsi sit tutus quoad Ecclesiam militantem, non tamen quoad triumphantem, & sic non videtur dispensatio quoad Deum „ „.

Aliorum Theologorum, ac juris canonici peritorum suffragia hac in re concordantia adscribere minime necesse est, satis sit observare, illorum assertionem *S. Bernardi* sententiæ plane consentaneam esse, lib. 3. *de Consideratione* ad *Eugenium* Pontificem maximum cap. 4. scribentis: „ „ Ubi necessitas urget, excusabilis dispensatio; ubi utilitas provocat, dispen-

Quæ dispensationes legitimæ.

sa-

ſatio laudabilis eſt; utilitas, dico, communis, non propria; nam cum nihil horum eſt, non plane fidelis diſpenſatio, ſed crudelis diſſipatio eſt „„. *Et Ep. 7. ad Adam Monachum*: „„ Apoſtolicam (*inquiunt*) licentiam quæſivimus, & impetravimus. Utinam non licentiam quæſiſſetis, ſed conſilium; id eſt, non ut liceret, ſed an liceret. Unde tamen quærebatis licentiam? Ut liceret, quod non licebat? Facere itaque volebatis, quod non licebat? Sed quod non licebat, malum erat. Mala igitur erat intentio, quæ in malum tendebat. *Et inf.* Hujus patrandi mali quærendam putaſtis eſſe licentiam. Sed ad quid? An ut quanto licentius, tanto ſecurius; & quo ſecurius, eo & periculoſius peccaretis? Mira cautela, & ſtupenda providentia. Malum quod jam corde conceperant, opere tamen cauti fuerunt non implere, niſi cum licentia. Conceperunt dolorem, ſed non pepererunt iniquitatem, donec iniquo Papa conceptui præbuiſſet aſſenſum. Quo lucro? Quove ſaltem compendio mali? Nunquid ideo aut malum eſſe deſiit, aut vel minoratum eſt, quia Papa conceſſit? Quis vero malum eſſe neget, aſſenſum præbere malo? Quod tamen ſummum feciſſe Pontificem, nequaquam crediderim, niſi aut circumventum mendacio, aut importunitate victum „„.

REGULA XXXI.

Intentio expendendi redditus beneficiorum in bonos, & pios uſus, pluralitatem beneficiorum non excuſat.

Intentio expendendi redditus beneficiorum in pios uſus non ſufficit ad pluralitatem excuſandam.

Cum enim non ſint facienda mala, ut eveniant bona, plurium beneficiorum poſſeſſio ſecundum ſe ſumpta, & his deſtituta circumſtantiis, quas explicuimus, mala ſit, non excuſantur a peccato, qui plura beneficia poſſident, quorum unum ad honeſtam ipſorum ſuſtentationem ſufficiat habita ratione perſonæ, loci, & temporis, niſi ob Eccleſiæ neceſſitatem, vel utilitatem perſonarum in Eccleſiam, cum ipſis fuerit diſpenſatum; quamvis intentionem ha-

habeant expendendi redditus hujuſmodi beneficiorum in pios uſus. Ita docet *Guilelmus Pariſienſis*, lib. *de Collatione beneficiorum*, cap. 6. „ „ Quam ridiculoſum ſit, quod poteſt habere quælibet, & quantumcunque pinguia temporaliter beneficia quivis, dum ea expendat, ex his apparet. Licet enim medicus ſalarium in quantumcunque pios uſus expendat, quod ab ægro pro eo medicando recepit, non omnino propter hoc ſatisfacit ægro, qui nunc minus ægrotat. Idem dicimus & de bellatore, quantumcunque large, & magnifice expendat ſtipendium, non propter hoc minus exhæredatur Rex, cujus bellum debuit agi. Similiter & de Vinitore, & de advocato eis objici poteſt; non enim ſolam diſpenſationem temporalium ſuſcipiunt proventuum Clerici inſtitutione, vel evocatione ſua ſed officium medicandi ſauciatum, de quo loquitur Lucæ 10. & officium agendi bellum Dei; ſimiliter & officium allegandi cauſam animarum, & officium operandi in vinea Domini „ „.

Idem docet *Dionyſius Carthuſianus* in Tract. *Contra pluralitatem beneficiorum*, art. 12. „ „ At vero (*inquit*) hoſpitalitatem ſervare, & eleemoſynas erogare non eſt ſufficiens cauſa habendi hujuſmodi beneficia plura, cum ex hoc aliunde proveniant multa inconvenientia graviora. Deus quoque non exigit ab alio hoſpitalitatem, & eleemoſynarum largitionem ultra vires ipſius, ſeu ultra id, quod ſibi de uno competenti beneficio ſupereſt „ „.

REGULA XXXII.

Beneficiorum pluralitatem non excuſant quorumdam huic pluralitati favens opinio, vel exempla.

Non enim hominum opiniones legi Dei, aut ſacris Canonibus, & Eccleſiæ decretis contrariæ, vel eorum exempla nos excuſant, cum id committimus, quod lege Dei, vel Eccleſiæ vetitum eſt.

Præ-

Præterea, (ut recte differit *Guilelmus Pariſienſis* loco ſupra cit.) „„ Si dubium eſt, utrum liceat, vel non liceat, ipſa dubietas certitudo eſt, & determinatio, quia procul dubio non licet. Nulli enim dubium eſt, quod non licet alicui committere ſe diſcrimini; diſcrimini autem ſe committit, qui aliquod facere præſumit, de quo dubitat, an peccatum mortale ſit. Quare ſicut dicimus, quod ipſa dubietas efficit hoc diſcriminoſum, & propter hoc vitandum ex neceſſitate, quare & illicitum „„.

„„ Amplius, nullus dicit hoc, videlicet quod liceat, niſi vel qui plurima habet hujuſmodi beneficia, vel qui ea habere intendit; quare in cauſa ſua, & pro ſe ipſo dicit hujuſmodi teſtimonium; non ergo verum, ſive conveniens eſt teſtimonium ejus; & ideo non eſt credendum ei. Qui autem e contrario dicunt, quodammodo ſe obligant, ut plurima in futuro non habeant, & uno contenti ſint tali beneficio, ſicut legitur Prov. 13. *Qui detrahit alicui, in futurum ſe obligat;* ſubaudi, ne illud faciat „„...

„„ Amplius quærimus ab hujuſmodi avaris, & ambitioſis, ut videtur, utrum ex charitate detineant multa hujuſmodi beneficia, an cupiditate, vel ambitione? Quod ſi ex charitate *reſpondeant;* non eſt, qui eis credat; non enim ex charitate Dei, & proximi tanta damna ſuffragiorum, nec ipſi Eccleſiæ, quæ incomparabiliter magis diligenda eſt, quam quivis proximus, tantam ſui corporis vaſtationem facerent. Quod ſi ex cupiditate, vel ambitione, ex ore ſuo judicentur; manifeſte enim confitentur quia male „„.

REGULA XXXIII.

Epiſcopi, & parochialium Eccleſiarum Rectores divino, naturali, & eccleſiaſtico jure ad manſionem, ſive reſidentiam perſonalem in ſuis Eccleſiis tenentur.

Epiſcopalis enim dignitas non eſt inſtituta niſi propter officium, & nunquam in ſacris Literis niſi officii nomine deſignatur. Ait Chriſtus Petro Jo. 20. In beneficiis curam animarum habentibus

reſidendi obligatio eſt, ex jure divino poſitivo.

Joan. 20. *Paſce oves meas.* Non ait: Sis Præſul, aut Epiſcopus, imo nec, ſis paſtor; nam & paſtores ſocordes, & ſomnolenti eſſe poſſunt, ſed, paſce, id eſt, doce, inſtitue, guberna exemplo meo oves meas.

1. Tim. 3. Hinc Apoſtolus ait: *Qui Epiſcopatum deſiderat, bonum opus deſiderat.* Id eſt, ſi legitimum eſt deſiderium, non ad dignitatem, ſed ad opus referendum eſt. Quare ſtatim ſubjunxit, Epiſcopum *Doctorem* eſſe oportere, id eſt, neceſſe eſſe ut doceat. Unde Epiſcopo in ejus conſecratione dicitur: *Vade, prædica populo Dei.* Epiſcopis igitur, & inferioris Ordinis paſtoribus per ſe incumbit gregem paſcere. Id porro ſine perſonali præſentia fieri non poteſt; ex quo ſequitur, Epiſcopos, & parochialium Eccleſiarum Rectores jure divino ad reſidentiam obligari. Nam quo quiſque jure obligatur ad finem, obligatur etiam ad media, quæ ad illius aſſecutionem ſunt neceſſaria. Id confirmat Chriſtus (*Joannis* 10.) boni paſtoris indolem explicans: *Ego ſum* (inquit) *paſtor bonus. Bonus paſtor animam ſuam dat pro ovibus ſuis. Mercenarius autem, & qui non eſt paſtor, cujus non ſunt oves propriæ, videt lupum venientem, & dimittit oves, & fugit; & lupus rapit, & diſpergit oves; mercenarius autem fugit, quia mercenarius eſt, & non pertinet ad eum de ovibus.* Certe niſi reſidentia jure divino Epiſcopis, cæteriſque paſtoribus præſcripta eſſet, non tenerentur vitam potius exponere, quam a grege recedant, cum gregi periculum imminet, in quo paſtoris præſentia illi opus eſt. Pergit Chriſtus in explicanda boni paſtoris indole: *Ego ſum Paſtor bonus: Et cognoſco oves meas, & cognoſcunt me meæ.* Quomodo vero paſtor cognoſcet oves, ut earum ingenium, mores, morboſque animi non ex aliorum relatione, ſed propria obſervatione ſciat? quomodo item oves paſtorem, ut eum diligere, vocantem, ac præcipientem audire, ducentem ſequi, ac imitari valeant, abſque aſſidua manſione, & perſonali reſidentia? *Qui intrat per oſtium, paſtor eſt ovium. Huic oſtiarius aperit, & oves vocem ejus audiunt, & proprias*

prias oves vocat nominatim, & educit eas. Et cum proprias oves emiſerit, ante eas vadit; & oves eum ſequuntur, quia ſciunt vocem ejus. Alienum autem non ſequuntur, ſed fugiunt ab eo, quia non noverunt vocem alienorum. Sacramentorum adminiſtratio, verbi divini prædicatio, ſacra Viſitatio, pauperum, viduarum, orphanorum, peregrinorum cura, morum reformatio, atque correctio, paſtoralis partes ſunt officii paſtoris prædicantis, docentis, admonentis, in omni patientia & doctrina increpantis; vocem audiunt oves Chriſti ejus curæ commiſſæ. Vocat eas nominatim, & educit eas in optima, & ſaluberrima chriſtianæ doctrinæ, & Sacramentorum paſcua: ſingularum morbis medetur, & neceſſitatibus ſubvenit; hunc conſilio, illum ſolatio, iſtum correptione, illum eleemoſynæ ſubſidio ſublevat; illos e vitiorum cœno educit, ex lupi tartarei faucibus eripit; illorum lites ſine judiciorum ſtrepitu componit, diſſidentes conciliat. Hæc vero officia nonne manſionem aſſiduam, ſive perſonalem reſidentiam, poſtulant? Ex Scriptura ergo ſacra colligitur evidenter, Epiſcopos, alioſque paſtores ad reſidentiam eſſe obſtrictos; adeoque divini juris eſt obligatio reſidendi. Quod argumentum contra *Catharinum* triumphali calamo tractarunt, & exornarunt *Bartholomæus Caranza* Toletanus Archiepiſcopus ex ordine prædicatorum aſſumptus, *Dominicus Soto* lib. 10. *De juſtitia, & jure*, qu. 3. *Franciſcus Torrenſis*, ſeu *Turrianus*, Soc. Jeſu Theologus doctiſſimus, *Thomas Campeggius*, Cardinalis *Bellarminus* in Epiſtola ad nepotem ſuum Theanenſem Epiſcopum, & ante illos Cardinalis *Cajetanus* in Secundam ſecundæ *S. Thomæ*, ad qu. 185. art. 5.

Quod vero naturali etiam juri conſentanea ſit, facile demonſtratur ex officio paſtorum. *Lux* enim *mundi, civitas ſupra montem poſita, ſal terræ*, a Chriſto nuncupantur. Lux mundi, quia ignorantiæ tenebras a populorum ſibi commiſſorum mentibus diſpellere tenentur; at lucem natura docet niſi præ- Ex jure naturali.

ſentem lucere non poſſe. Civitas ſupra montem poſita eſſe debet, ut ipſos aſpiciens populus, vitæque ipſorum ſanctimoniam, & egregia virtutum exempla conſiderans, ad viam ſalutis redeat, ſi forte ab ea deflexerit; oculis autem omnium patere non poſſunt paſtores, niſi præſentes ſint. Sal terræ eſſe debent, ut pravos affectus divino quodam ſacræ doctrinæ, ſanctæque converſationis ſapore condiant, quod præſtare non poſſunt abſentes. Medici ſunt animarum; quod officium induſtriam perſonæ, ac præſentiam deſiderat. Naucleri ſunt, duces, fideles ſervi, ac diſpenſatores myſteriorum Dei. Sunt ad arcendum hoſtes cuſtodes, & vigiles a Chriſto conſtituti. Eorum officium eſt parare Domino plebem perfectam, & uni viro virginem caſtam exhibere Chriſto; quæ officia perſonæ induſtriam, ac præſentiam poſtulant.

Ex jure eccleſiaſtico.

Quod denique Epiſcopi eccleſiaſtico etiam jure ad manſionem aſſiduam, ſeu reſidentiam in ſuis diœceſibus, & Parochi in ſuis parochiis teneantur, conſtat ex cap. *Quia nonnulli*, Ext. *De Clericis non reſidentibus*, quod eſt 13. Lateranenſis Concilii ſub Alexandro III „ „ Cum (*inquit*) Eccleſia, vel eccleſiaſticum miniſterium committi debuerit, talis ad hoc perſona quæratur, quæ reſidere in loco, & curam ejus per ſeipſam valeat exercere. Quod ſi aliter actum fuerit, & qui receperit, quod contra ſacros Canones accepit, amittat, & qui dederit, largiendi poteſtate privetur „ „. Idem confirmatur ex cap. *Relatum*, quod eſt *Alexandri III.* reſcriptum ad Eboracenſem Archiepiſcopum, ex cap. *Qualiter*, quod eſt *Innocentii* III. & aliis Pontificum decretis, ſub eodem Titulo. Præterea Concilium Sardicenſe can. 14. vetat, ne Epiſcopus ultra tres ſeptimanas, ſive tres Dominicos dies ſit abſens ab Eccleſia ſua. Diaconus, vel Presbyter, ſi per tres hebdomadas ab Eccleſia ſua abfuerit, triennio a Communione ſuſpenditur, can. *Si quis*, cauſa 7. qu. 1. qui eſt Agathenſis Concilii 64. Concilium Sardicenſe Canonibus 8. 9.

bus 8. 9. & 10. Epiſcoporum aditum ad principum aulas prohibet, niſi literis ipſorum invitati, aut vocati fuerint; ſi vero cauſa aliqua emerſerit, in qua pauperibus, viduis, pupillis, oppreſſis, neceſſaria ſit eorum interceſſio, ſtatuit, ut diaconum mittant cum precibus, ipſique in Eccleſiis ſuis maneant. Et can. *Clericus*, cauſa 21. qu. 1. reſidentiæ gratia prohibetur *Ne in duabus Eccleſiis Clericus connumeretur*: qui ſeptimæ Synodi can. 15. eſt; idque divino teſtimonio confirmatur, quia ſcilicet: *Nemo poteſt duobus Dominis ſervire.* Matt. 6. 24. Can. *Placuit* cauſa 7. qu. 1. prohibetur Epiſcopo: „„ Ne relicta principali Cathedra, ad aliquam Eccleſiam in diœceſi conſtitutam ſe conferat; (*niſi cauſa Viſitationis, aut alia neceſſitas id poſtulet;*) vel in re propria diutius, quam oporteat, conſtitutus, curam, vel frequentationem propriæ Eccleſiæ negligat „„; eſt Concilii Carthaginenſis 5. can. 5. & can. *Sciſcitaris*, eadem cauſa, & quæſtione. *Nicolaus I.* reſpondet non minus juri naturali repugnare, ut Epiſcopus Eccleſiam ſibi commiſſam perſecutionis tempore deſerat, quam ut proreta navim tempeſtate jactatam. „„ Præcipue nos (*inquit*) qui tanquam arietes ducatum gregibus præbemus, imo qui & horum paſtores ſumus, Deo auctore cum eis in periculis pro viribus perſiſtere pro certo conveniat; & cum tranquillitas reddita divina fuerit pietate, ſopitaque furentium infeſtatio, mox gregem requirere, & in unum colligere, & ejus animos cœleſtis patriæ pace, ac potiſſimum ſecuritate prædicata ſurſum erigere debemus „„. Et can. *Decrevimus*, cauſa 10. qui eſt Concilii Tarraconenſis 8. ſtatuit: „ Ut antiquæ conſuetudinis ordo ſervetur, & an„ nuis vicibus ab Epiſcopo diœceſes viſitentur „. Legi poſſunt & Epiſtolæ *Athanaſii* Patriarchæ Conſtantinopolitani, *De reſidentia Epiſcoporum*, quibus *Andronicum* Imperatorem adhortatur, ut Epiſcopos in regia urbe degentes ſacra juſſione in diœceſes ſuas remittat. Editæ ſunt Tom. 25. Bibliothecæ Patrum Edictionis Lugdunenſis.

Antiquos illos Canones adverſus Prælatos non reſidentes Tridentina Synodus innovat ſeſſ. 6. cap. 1. *de Reformatione*, ipſos monet: „ „ Ut attendentes ſibi, & univerſo gregi, in quo Spiritus ſanctus poſuit eos regere Eccleſiam Dei, quam acquiſivit ſanguine ſuo, vigilent, ſicut Apoſtolus præcipit, in omnibus laborent, & miniſterium ſuum impleant; implere autem illud ſe nequaquam poſſe ſciant, ſi greges ſibi commiſſos mercenariorum more deſerant, atque ovium ſuarum, quarum ſanguis de eorum eſt manibus a ſupremo judice requirendus, cuſtodiæ minime incumbant. Cum certiſſimum ſit, non admitti paſtoris excuſationem, ſi lupus oves comedit, & paſtor neſcit „ „. Statuit inſuper, ut qui ſex menſibus continuis extra ſuam diœceſim morando abfuerint, pœnam privationis quartæ partis fructuum ipſo jure incurrant; ſi per alios ſex menſes in hujuſmodi abſentia perſeveraverint, aliam quartam partem fructuum amittant. Creſcente vero contumacia, metropolitanus ſuffraganeos abſentes, metropolitanum abſentem ſuffraganeus Epiſcopus antiquior, ſub pœna interdicti ingreſſus Eccleſiæ eo ipſo incurrenda: „ „ Infra tres menſes romano Pontifici denuntiare teneatur; qui in ipſos abſentes, prout cujuſque major, aut minor contumacia exegerit, ſuæ ſupremæ Sedis auctoritate animadvertere, & Eccleſiis ipſis de paſtoribus utilioribus providere poterit, ſicut in Domino noverit ſalubriter expedire „ „. Et ſeſſ. 23. cap. 1. *De Reformatione*, aſſiduæ manſionis, ſive reſidentiæ obligationem divino præcepto Epiſcopis omnibus impoſitam luculentius explicat, ut mox videbimus.

REGULA XXXIV.

Episcopi, parochi, & alii quicunque beneficia curam animarum habentia obtinentes, peccati mortalis reatum incurrunt, cum sacram de residentia legem violant; fructus etiam suos non faciunt pro rata temporis absentiæ, nec tuta conscientia illos retinere possunt.

Con. Trid. doctrina, & decretum de pastorum residentia.

Hæc Regula nititur decreto, & declaratione Conc Trid. sess. 18. cap. 1. de Reformatione. „ „ Cum (*inquit*) præcepto divino mandatum sit omnibus, quibus animarum cura commissa est, oves suas agnoscere, pro his sacrificium offerre; verbique divini prædicatione, Sacramentorum administratione, ac bonorum omnium operum exemplo pascere; pauperum, aliarumque miserabilium personarum paternam curam gerere, & in cætera munia pastoralia incumbere; quæ omnia nequaquam ab eis præstari, & impleri possunt, qui gregi suo non invigilant, neque assistunt, sed mercenariorum more deserunt; sacrosancta Synodus eos admonet, & hortatur, ut divinorum præceptorum memores, factique forma gregis, in judicio, & veritate pascant, & regant. Ne vero ea, quæ de residentia sancte, & utiliter jam antea sub felicis recordationis Paulo III. sancita fuerunt, in sensus a sacrosanctæ Synodi mente alienos trahantur, ac si rigore illius decreti quinque mensibus continuis abesse liceat; illis inhærendo declarat sancta Synodus, omnes patriarchalibus, primatialibus, metropolitanis, ac cathedralibus Ecclesiis quibuscunque, quocumque nomine, & titulo præfectos, etiamsi sanctæ romanæ Ecclesiæ Cardinales sint, obligari ad personalem in sua Ecclesia, diœcesive residentiam, ubi injuncto sibi officio defungi teneantur; neque abesse posse nisi ex causis, & modis infra scriptis, *&c.* Si quis autem, (quod utinam nunquam eveniat) contra hujus decreti dispositionem abfuerit, statuit sacrosancta Synodus, præter alias pœnas adversus non residentes, sub Paulo III.

impoſitas, & innovatas, ac mortalis peccati reatum, quem incurrit, eum pro rata temporis abſentiæ fructus ſuos non facere, nec tuta conſcientia, alia etiam declaratione non ſecuta, illos ſibi detinere poſſe; ſed teneri, aut ipſo ceſſante, per Superiorem eccleſiaſticum illos fabricæ Eccleſiarum, aut pauperibus loci erogare, prohibita quacunque compoſitione, vel conventione, quæ pro fructibus male perceptis appellatur; ex qua etiam prædicti fructus in totum, aut pro parte ei remitterentur „ „.

„ „ Eadem omnino, etiam quoad culpam, amiſſionem fructuum, & pœnas, de curatis inferioribus, & aliis quibuſcunque, qui beneficium aliquod eccleſiaſticum, curam animarum habens, obtinent, ſacroſancta Synodus declarat, & decernit; ita tamen ut quodcunque eos, cauſa prius per Epiſcopum cognita, & probata, abeſſe contigerit, Vicarium idoneum, ab ipſo Ordinario approbandum, cum debita mercedis aſſignatione relinquant. Diſcedendi autem licentiam in ſcriptis, gratiſque concedendam, ultra bimeſtre tempus, niſi ex gravi cauſa, non obtineant. Quod ſi per edictum citati, etiam non perſonaliter, contumaces fuerint, liberum eſſe vult Ordinariis, per cenſuras eccleſiaſticas, & ſequeſtrationem, & ſubtractionem fructuum, aliaque juris remedia, uſque ad privationem compellere „ „. His adde *Pii IV.* conſtitutionem contra non reſidentes, quæ incipit: *In ſuprema.*

Iſta Conc. Trid. de reſidentia Epiſoporum, & Parochorum decreta promulgarunt, & obſervari juſſerunt Synodi provinciales, & diœceſanæ pleræque omnes poſtea celebratæ Mediolanenſes 1. & 5. p. 2. tit. *De Reſidentia*, Rothomagenſis 1581. Burdigalenſis anno 1582 Remenſis, & Turonenſis 1583. Aquenſis 1585. Toloſana 1590. Ebroicenſis anno 1576. quæ curatos omnes obteſtatur: „ „ Ut cogitent de gravioribus illis pœnis, quæ juris divini, & naturalis tranſgreſſoribus imminent; cogitent (inquam) ſe vivere in perpetuo mortali peccato, quamdiu præceptum di-

divinum de paſtorum reſidentia violant ; cogitent utroque jure non ſibi deberi beneficium , niſi propter officium. Ideoque fructus ſuos non facere , ſi ſuum non obierint miniſterium , quemadmodum a Concilio Trid. fuit declaratum „„. Trident. Concilii decreto conſentaneæ ſunt regiæ Conſtitutiones Bleſenſes , anno 1579. promulgatæ.

REGULA XXXV.

Epiſcopos, Parochos, alioſque beneficia curam animarum habentia, aut alia quæcunque reſidentiam poſtulantia obtinentes , a lethalis peccati reatu, pœniſque a jure ſtatutis contra non reſidentes , nulla diſpenſatio excuſat , nullave ratio , niſi cauſa abſentiæ legitima ſit , & canonica. Nulla porro abſentiæ cauſa legitima eſt , & canonica ; niſi chriſtiana charitas, urgens neceſſitas , debita obedientia , & evidens Eccleſiæ , vel reipublicæ utilitas.

Nulla diſpenſatio non reſidentes beneficiatos excuſat , niſi ratio abſentiæ legitima ſit.

Hanc Regulam ſtatuit ſacra Synodus Tridentina ſeſſ. 6. cap. 1. De Reformatione: „„ Epiſcopi inferiores (*inquit*) quævis beneficia eccleſiaſtica perſonalem reſidentiam de jure , vel conſuetudine exigentia , in titulum ſive commendam obtinentes , ab eorum Ordinariis , quemadmodum eis pro bono Eccleſiarum regimine , & divini cultus augmento , locorum & perſonarum qualitate penſata , expediens videtur , opportunis juris remediis reſidere cogantur ; nullique privilegia , ſeu indulta perpetua de non reſidendo , aut de fructibus in abſentia percipiendis ſuffragantur. Indulgentiis vero , & diſpenſationibus temporalibus , ex veris , & rationabilibus cauſis tantum conceſſis , & coram Ordinario legitime probandis , in ſuo robore permanſuris ; quibus caſibus nihilominus officium ſit Epiſcoporum , tanquam in hac parte a Sede apoſtolica delegatorum , providere , ut per deputationem idoneorum Vicariorum , & congruæ portionis fructuum aſſignationem , cura animarum

rum nullatenus negligatur ; nemini quoad hoc privilegio, seu exemptione quacunque suffragante „ „.

Quæ rationes legitimæ absentiæ.

Et Sess. 23. cap. 1. de Reformatione : „ „ Cum (*inquit*) christiana charitas, urgens necessitas, debita obedientia, ac evidens Ecclesiæ, vel reipublicæ utilitas aliquos nonnunquam abesse postulent, & exigant; decernit eadem sacrosancta Synodus, has legitimæ absentiæ causas a beatissimo romano Pontifice, aut a Metropolitano, vel eo absente, suffraganeo Episcopo antiquiori residente, qui idem Metropolitani absentiam probare debebit, in scriptis esse approbandas; nisi cum absentia inciderit propter aliquod munus, & reipublicæ officium Episcopatibus adjunctum, cujus quoniam causæ sunt notoriæ, & interdum repentinæ, ne eas quidem significare Metropolitano necesse erit. Ad eumdem tamen cum Concilio provinciali spectabit judicare de licentiis a se vel a suffraganeis datis; & videre ne quis eo jure abutatur, ut pœnis canonicis errantes puniantur „ „.

„ „ Quoniam autem qui aliquantisper tantum absunt, ex veterum Canonum sententia non videntur abesse, quia statim reversuri sunt, sacrosancta Synodus vult illud absentiæ spatium singulis annis, sive continuum, sive interruptum, extra prædictas causas, nullo pacto debere duos, aut ad summum tres menses excedere, & haberi rationem, ut id ex æqua causa fiat, & absque ullo gregis detrimento. Quod an ita sit, abscedentium conscientiæ relinquit, quam sperat religiosam, & timoratam fore, cum Deo corda pateant, cujus opus non fraudulenter agere suo periculo tenentur. Eosdem interim admonet, & in Domino hortatur, ne per illius temporis spatium, dominicis Adventus, Quadragesimæ, Nativitatis, Resurrectionis Domini, Pentecostes item, & Corporis Christi diebus, quibus refici maxime, & in Domino gaudere pastoris præsentia oves debeant, ipsi ab Ecclesia sua cathedrali ullo pacto absint, nisi episcopalia munia in sua Diœcesi eos alio vocent „ „.

Nul-

Nullæ cauſæ abſentiæ Epiſcoporum, aut paſtorum inferiorum ab Eccleſiis ſuis legitimæ ſunt, & canonicæ, niſi ad ſupra ſcriptas revocentur. Unde Concilium Rothomagenſe anno 1581. ita ſtatuit: „„ Plerique, ne reſideant, prætexunt litigia, aut ſuſcitant ipſimet devoluta, ne videantur ſua beneficia pacifice poſſidere. Verum quiſquis beneficio, aut ejus fructibus gaudet, aut reſideat, aut fructus non percipiat, quos ſuos ſine reſidentia facere non poteſt, & alias decreti pœnis ſubjaceat. Alii cauſantur nobilium, aut paræcianorum vexationem, & oppreſſionem. Sed ſi nihil ipſis de fructibus, aut ſaltem major portio non deperit, reſidentiæ ſunt obnoxii, aut ad fructuum reſtitutionem obligati. Obteſtamur autem in Domino nobilitatem, atque alios quoſcunque, ut reſidentem parochum, ſicut oves paſtorem, ament, & ſequantur, atque ut filii patrem honorent; unde cum gaudio, & non gemens gregem paſcat. Quiſquis vero proprio parocho injuriam fecerit, & ad reſidentiam impedierit, ſit ille maledictus ſicut Cham, & ipſo facto anathema. Sit ſuſpenſus quoque a Divinis ipſo facto, qui ſciens & volens illis communionem, aut aliud Sacramentum, niſi in mortis articulo ſubminiſtraverit. Obſecramus judices ſæculares ſub divini judicii interminatione, ut in favorem reſidentiæ contra oppreſſores curatorum ſeverius inſurgant „„. Idem ſtatuunt Synodus Aquenſis, & Toloſana.

Manſionem, & ſervitium in curia romana canonicam abſentiæ rationem non eſſe, declarat Synodus Ebroicenſis ex Reſponſis romanorum Pontificum. „„ Olim maxime (*inquit*) in noſtra Diœceſi Ebroicenſi diu, multumque quæſitum, & litigatum, quoſnam Epiſcopus pro diſpenſatis de reſidentia judicare poſſet, ita ut non ſemel fuerit neceſſarium a noſtris Anteceſſoribus ea de re apoſtolicam Sedem romanam conſuli, quæ per felicis recordationis Papam Urbanum, & Gregorium X. reſpondit, ſolos ab illa reſidentia eximendos eſſe, qui ipſo facto univerſali Ecclę-

cleſiæ in curia romana ſervirent.. Noſtra ætate poſt Concilium Tridentinum ne quidem ſanctiſſimis romanis Pontificibus Pio IV. V. & Gregorio XIII. placuit illos excipi, ſed Epiſcopos, etiam Cardinales, & curatos, vel ad reſidentiam de curia, & Eccleſia romana expulerunt, vel coegerunt beneficiis cedere, ac graviſſimas pœnas non reſidentibus conſtituerunt, non obſtante quocunque privilegio, vel conſuetudine. Quæ omnia ad noſtram conſcientiam exonerandam ſingulis noſtræ dioœceſis curatis in præſenti Synodo ſignificanda duximus, ne quærant excuſationes in peccatis, aut exiſtiment in noſtra, vel alterius poteſtate ſitum eſſe, illos a debito reſidentiæ non ſolum coram Deo, & in conſcientia, ſed vel in Eccleſiæ foro quocunque prætextu liberare „ „.

Concilium Mediolanenſe 5. p. 3. tit. *de Reſidentia*, ſolas cauſas a Tridentina Synodo deſignatas a reſidentia excuſare declarat, cæteras ceu non legitimas excludit, ac rejicit: „ „ Perſonalis (*inquit*) reſidentiæ munus, ut revera per eos præſtetur, qui illius generis beneficia eccleſiaſtica obtinent, omnem rationem canonico jure, Tridentiniſque ſanctionibus præſcriptam Epiſcopus ineat „ „.

„ „ A quo munere non excuſetur, neque qui beneficium, Eccleſiamve habet, de cujus titulo adhuc lis, & controverſia pendet; nec vero item qui nondum Sacerdotio, aut eo ordine, quem beneficium illud requirit, initiatus eſt; nec præterea, qui juſta aliqua cauſa, impedimentove detinetur, quominus eo initietur „ „.

„ „ Nec vero a reſidentiæ munere liberi ſint, qui tertiam partem fructuum, qui ſibi ex dignitatibus obveniebant, quas in Eccleſiis cathedralibus obeunt, in diſtributiones contulerint. Imo vero ii cætera etiam, quæ Tridentino Decreto in Seſſ. 24. promulgato, ipſis præſcripta ſunt, præſtare ab Epiſcopo cogantur „„.

„ „ Ne ille quidem excuſetur, cujus Eccleſia, aut beneficium ejuſmodi eſt, unde omnis, aut certe ma-

magna pars fructuum, aliquo modo reservata ad alium pervenit „ „.

„ „ Ne Episcopus, propterea quod sibi liberum, integrumque est, facultatem permittere, qua liceat aliquem ab Ecclesia commissa, beneficiove personalis residentiæ abesse, ea potestate, facultateve deinceps ob cujusvis generis causam utatur; sed in illa concedenda modum, & rationes adhibeat, Concilii Trid. sanctione præscriptas „ „.

„ „ Ne vel ad Seminarii quidem curam, vel ad Vicarii munus, vel ad sanctæ etiam inquisitionis officium, ne vero ad aliud quidquam opera Sacerdotis, curam animarum gerentis, Episcopus ita utatur, ut ab Ecclesia, beneficiove, in ejus curam tradito, diutius absit, ac muneri debitæ residentiæ personalis desit „ „.

„ „ Ne parochus, animarumve curator ob senectutem, aut ob adversam valetudinem, cœlive gravitatem, ab eo residentiæ munere excusetur. Si vero ejus invaletudo id generis est, quæ curari possit, atque eo loci, ubi Ecclesia parochialis sita est, non datur, nec aliunde facultas medici, & medicamentorum; tunc parocho, ex infirma illa valetudine laboranti, Episcopus curationis causa facultatem dare possit, qua liceat ei tribus, quatuorve mensibus ad summum, loco propinquiori, in quo ejusmodi necessaria non desint, manere, ubi valetudinem curet. Interea ad illius Ecclesiæ parochialis curam gerendam Vicarium Episcopus constituat, parochi sumptu „ „.

„ „ Nec præterea simultatis, odiive solum causa parochum ab Ecclesiæ parochialis statione, locove abesse permittat, ac ne inimicitiarum quidem, quæ vel leves, vel fictæ sint, causa, prætextuve. Si vero unquam graves illæ erunt, ac veræ, ortæque postea quam parochialis curæ munus obiit, idque sine culpa parochi, permittere Episcopus poterit illum inde abesse, locove propinquo, ubi tuto sit, morari, eo solum tempore inimicitiarum, non tamen ultra annum, etiamsi diuturniores anno sint inimicitiæ „ „.

REGULA XXXVI.

Summus Pontifex obligationem residendi Episcopis, aut parochis, aliisve curam animarum habentibus remittere non potest.

In iis enim, quæ divino jure constituta, & a Deo præcepta sunt, Pontifex maximus, & Ecclesia, dispensare non possunt; sed in iis duntaxat quæ humano jure sunt posita. Si tamen dispensatio minus stricte sumatur pro divini juris interpretatione, & declaratione, summus Pontifex cum Episcopis, & parochis super residentia dispensare dicitur, quia declarare potest jus divinum in certis casibus propter aliquam circumstantiam non obligare. Attamen ut declaratio illa coram Deo valeat, necesse est, ut veniam faciat discedendi ad tempus ab Ecclesiis intuitu boni publici, nimirum charitatis, aut urgentis necessitatis, aut debitæ obedientiæ, aut evidentis utilitatis Ecclesiæ, vel reipublicæ, ut explicat Conc. Trid. Quas causas *Cajetanus*, & plerique Theologi recentiores ad tria capita revocant: Primum est necessitas impedimenti; secundum qualitas negotii; tertium, conditio personæ. Impedimentum duplicis generis distinguunt; intrinsecum unum, ex infirmitate proveniens; quod quidem, si spes sit recuperandæ sanitatis, justam causam præbet abscedendi ad tempus ab Ecclesia, ut si mutare cœlum, aut ire ad balnea oporteat. Impedimentum extrinsecum est persecutio, in qua non est commune ovium, pastorisque periculum, nec subditorum salus exigit pastoris præsentiam. Unde *S. Augustin.* Epist. 228. alias 180. ad *Honoratum*, scribit: „ „ Faciant ergo servi Christi ministri verbi, & Sacramenti ejus, quod præcepit, sive permisit. Fugiant omnino de civitate in civitatem, quando eorum quisquam specialiter a persecutoribus quæritur, ut ab aliis, qui non ita requiruntur, non deseratur Ecclesia, sed præbeant cibaria conservis suis, quos aliter vivere non posse noverunt. Cum autem omnium, id est, Episcoporum, Clerico-

corum, & Laicorum est commune periculum, hi, qui aliis indigent, non deserantur ab his, quibus indigent „„. Si enim pernicioſum est, nautam in tranquillitate navem deserere, quanto magis in fluctibus? (ait *Nicolaus* Papa causa 7. q. 1. can. *Scisciteris.*)

Negotium autem excusans Episcopum a residentia, vel propriam ipsius Ecclesiam spectat, vel alias Ecclesias, vel Ecclesiam universalem. Nam si necessitas immineat Ecclesiam suam, & jura ipsius defendendi, ad curiam romanam, vel ad aulam regiam, aut alio proficisci potest Episcopus, dummodo id per alios perficere non possit. Id confirmat cap. *Ex parte*, Ext. *De Clericis non residentibus*, cujus hæc sunt verba: „ Præposituræ tuæ jura fideliter prose„ queris, cum per hoc censeri debeas residens „ Quamvis enim ab Ecclesia absit, adest tamen negotiis Ecclesiæ. Secundo, interdum abesse potest Episcopus ab Ecclesia sua ob aliarum Ecclesiarum necessitatem, aut utilitatem, ita jubente charitate, qua *sumus omnes unum corpus in Christo, singuli autem alter alterius membra.* Ad negotium igitur fidei, vel pacis procurandum, ad alienam Ecclesiam divertere, in eaque per aliquod tempus morari Episcopus potest; & pacis etiam inter Principes christianos componendæ causa legationem obire. Sed quod promiscue ad Principum temporalia negotia gerenda ab Ecclesiis suis Episcopi discedant, abusum esse *Cajetanus* ait, quia *Nemo militans Deo implicat se negotiis sæcularibus.* Excipienda tamen sunt Regis, & reipublicæ negotia, quæ in Comitiis regni, & provinciarum tractantur, in quibus suffragii jus habent; ipsosque interesse, est ex Ecclesiæ, aut reipublicæ bono. Ob negotium universalis Ecclesiæ multo æquius a suis ad tempus absunt pastores, si negotium illud necessario exigat Episcopum, ut profectio ad Concilium generale, vel ad Synodum provincialem; at si negotium non exigat necessario Episcopum, non excusat a residentia. Nec est quod dicatur, residentes in Ecclesia communi, qualis est Romana, censendos

Quæ negotia Episcopos excusent a residentia.

Ad Rom. 12.

2. ad Tim. 2.

dos esse ubique residere; etsi enim id forte verum sit fictione juris positivi, non tamen verum est quoad Deum (inquit *Cajetanus.*)

Conditio personæ excusans Episcopum a residentia, unica est, secundum eumdem *Cajetanum;* videlicet cum persona talis est, ut melius, aut æque bene regat Ecclesiam absens, ac alius præsens regeret. Hac ratione Cardinales Episcopi sex diœcesum urbi finitimarum, a mansione in illis Ecclesiis excusantur. Porro cum aliqua circa hujusmodi causas dubitatio subest, ad romanum Pontificem pertinet, auctoritate sua declarare, num Episcopus a residentia in illo casu excusetur. Hoc sensu a residentia dicitur dispensare.

REGULA XXXVII.

Episcopo, qui longo annorum tractu in Ecclesia sua assidue mansit, & ne quidem ipsa vacatione, quam ex causa justa Concilium per tres menses quotannis permittit, unquam usus est, concedi non potest licentia non residendi ad aliquod tempus, nisi aliqua ex causis a Concilio Trid. approbatis ad id moveat.

Ita respondit sacra Congregatio Concilii interpres, die 17. Julii 1657. referente *Fagnano* in cap. *Qualiter, de Clericis non residentibus.*

REGULA XXXVIII.

Episcopus jungere non potest trimestrem absentiam unius anni cum absentia trimestri sequentis anni; adeo ut licite abesse valeat a sua Ecclesia mensibus Octobri, Novembri, & Decembri anni currentis, & prorogare absentiam mensibus Januario, Februario, & Martio anni proximi.

Ita respondit sacra Congregatio Concilii Trid. interpres, (ut refert *Fagnanus* loco mox citato) his rationibus freta. Primo quod ejusmodi semestris absentia tempus Dominic. Adventus, & Quadragesi-

mæ

mæ complectatur, quo ne a sua quidem cathedrali, nedum a diœcesi, Episcopo abesse licet, ut ex Concilio Trid. sess. 23. cap. 1. *De Reformatione*, colligitur. Secundo, quia non *aliquantisper* tantum abest, nec *statim* est reversurus, qui sex mensibus continuis præsentiam suam Ecclesiæ subtrahit; adeoque peccat graviter contra residentiæ legem veteribus Canonibus confirmatam, & a sacra Synodo Tridentina amplius explicatam his verbis: „ „ Quoniam autem qui aliquantisper tantum absunt, ex veterum Canonum sententia non videntur abesse, quia statim reversuri sunt; sacrosancta Synodus vult illud absentiæ spatium singulis annis, sive continuum, sive interruptum, extra prædictas causas nullo pacto debere duos, aut ad summum tres menses excedere „ „. Tertio, quia semestris absentia non censetur brevis a Trid. Concilii Patribus, ut patet ex his verbis sess. 6. cap. 1. de Reformatione: „ „ Si quis, legitimo impedimento, seu justis, & rationabilibus causis cessantibus, sex mensibus continuis extra suam diœcesim morando abfuerit, quartæ partis fructuum unius anni pœnam ipso jure incurrat „ „. Quarto, quia magis relaxari potest nervus ecclesiasticæ disciplinæ, majusque detrimentum in spiritualibus, & temporalibus pati potest Ecclesia, si trimestre tempus absentiæ unius anni cum alterius anni trimestri conjungatur, quam si trimestria sint interpolata.

REGULA XXXIX.

Adeo stricta est residentiæ obligatio, ut ne duobus quidem mensibus, aut breviori temporis intervallo, Episcopi, & inferiores pastores ab Ecclesiis suis abesse possint; nisi id fiat ex justa causa, & absque gregis ipsis commissi detrimento.

Ita declarat Conc. Trid. sess. 23. cap. 1. *De Reformatione;* idque confirmat *S. Thomas*, 2. 2. qu. 185. art. 5. „ „ In qualibet (*inquit*) obligatione præcipue attendi debet obligationis finis. Obligant autem se

Episcopi ad exequendum pastorale officium propter subditorum salutem. Et ideo ubi subditorum salus exigit personæ pastoris præsentiam, non debet pastor personaliter gregem suum deserere, neque propter aliquod commodum temporale, neque etiam propter aliquod personale periculum imminens, cum bonus pastor animam ponere teneatur pro ovibus suis. Si vero subditorum saluti possit sufficienter in absentia pastoris per alium provideri, tunc licet pastori, vel propter aliquod Ecclesiæ commodum, vel propter personæ periculum, corporaliter gregem deserere „ „.

REGULA XL.

Curati residentiæ officium non implent, nisi parochialem Ecclesiam per seipsos regant, in eaque pastorales functiones obeant, non per Vicarios, aut conductitios Sacerdotes. Si tamen parochialis Ecclesia dignitati, vel præbendæ annexa sit, curatus in Ecclesia majori residens officio suo satisfacit, modo perpetuum in parochia Vicarium canonice institutum, & congrua portione de ipsius parochiæ proventu donatum habeat.

Parochi residentiæ legem violari censendi, sunt, qui per vicarium, non per seipsos functiones pastorales obeunt.

Hanc Regulam statuit Concilium Lateranense sub *Innocentio III.* can. 6. & refertur cap. *Extirpandæ* Ext. *de Præbendis*, cujus hæc sunt verba: „ „ Qui vero parochialem habet Ecclesiam, non per Vicarium, sed per seipsum illi deserviat, nisi forte dignitati, vel præbendæ parochialis Ecclesia sit annexa; in quo casu concedimus, ut qui talem habet præbendam, vel dignitatem, cum oporteat eum in majori Ecclesia deservire, in ipsa parochiali Ecclesia idoneum, & perpetuum habeat Vicarium canonice institutum, qui congruam habeat de ipsius Ecclesiæ proventibus portionem; alioqui illa se sciat auctoritate hujus Decreti privatum, libere alii conferenda, qui velit, & possit, quod dictum est, adimplere „ „. Hujus Regulæ ratio est, quia omnes animarum Rec-

to-

ctores gregem sibi commissum pascere tenentur, secundum præceptum a Christo *S. Petro* datum, ac subinde pastoribus omnibus, quibus forma *S. Petri* proponitur, Joan. 20. *Pasce oves meas.* Pascendi autem officium personale est; nam qui gregem alienum pascit, non est pastor, sed mercenarius, ad quem non pertinet de ovibus. Certe qui per Vicarios commissas sibi Ecclesias regunt, videntur meretricibus esse similes, quæ statim ut pepererunt, infantes aliis nutricibus tradunt educandos, ut citius libidinem explere valeant; sic & isti populos sibi commissos aliis instituendos, & educandos tradunt, ut otio, genioque liberius indulgeant, ut urbes frequentent, ut Magnatum favorem consectentur, aut sæcularibus negotiis vacent. Sed est, cur timeant illud *S. Bernardi* nomine ab Ostiensi in cap. *Extirpandæ* vulgatum; *Qui per Vicarium inservit, per Vicarium remunerabitur.* Præterea publici magistratus, illi potissimum, quibus ob personalem functionem justa stipendia decreta sunt, juste per Vicarios non administrantur. Quis enim Consulem, prætorem, aut ducem creari dixerit, ut per alium rem administret. Imo vero in rebus privatis quis œconomum, medicum, nauclerum, aurigam conducit, qui non ejusdem personæ industriam requirat? Quod si Magistratus alii & privata etiam officia personalem eorum operam, & ministerium exigunt, qui ad ea sunt electi, & quibus constituta sunt stipendia, ut ii fungantur; id multo magis in officiis pastorum necessarium est, qui electi sunt, ut regant animas Christi sanguine redemptas; utque eas pascant verbo, doctrina, Sacramentis, exemplo; quo nomine proventus, decimas, oblationes recipiunt.

REGULA XLI.

Fructuum tenuitas parochum a residentia personali non excusat.

Id constat ex cap. *Conquerente*, Ext. *De Clericis non residentibus*, quod est *Alexandri III.* Responsum. Quin imo si parochialis Ecclesia nullos habeat fructus, tenetur nihilominus in ea residere, qui hujusmodi curam volens suscepit. Unde proposito dubio in sacra Congregatione Concilii, an parochus a residentia excusetur, quia fructus omnes reservati sunt, & nihil pro ipso parocho residuum est; vel quia parochialem Ecclesiam parum e civitate distantem obtinet; vel quia dat operam literis in eadem civitate; ita tamen ut singulis diebus Dominicis in Ecclesia præsens sit, & sacras functiones obeat; vel ob aeris intemperiem; vel quia loco, in quo manserus est parochus; opera ejus ad docendam Grammaticam necessaria est; sacra Congregatio respondit, in nullo ex his casibus parochum a residentia excusari; ejus tamen inopiæ ordinario vel extraordinario subsidio subveniendum, secundum cap. *Licet*, Ext. *de Censibus*, & Concilii Trid. Decretum cap. 13. sess. 24. *De Reformatione.* Id est, aut beneficiorum unione, aut primitiarum, vel decimarum assignatione, aut parochianorum symbolis, & collectis, aut qua commodiori ratione Episcopo videbitur.

Hinc cum Canonici collegiatæ cujusdam Ecclesiæ, qui canonicatus, aut parochiales tenues redditus obtinebant, peterent, ut beneficiorum quorumdam unione ipsis provideretur; nec interim compellerentur ad residendum in parochialibus, prout compellebantur vi Constit. *S. Pii V.* & Concilii provincialis Mediolanensis; sacra Congregatio censuit non posse suspendi Const. *S. Pii V.* & Decretum Synodi provincialis, sed scribendum ad Episcopum, ut beneficiorum unione tenuitatem reddituum suppleat. Ita refert *Fagnanus* in cap. *Extirpandæ*, Extra, *de Præbendis.*

REGULA XLII.

Quamvis pauciſſimi ſint parochiani, ad reſidentiam nihilominus adſtrictus eſt parochus.

Ita

Ita declaravit ſacra Congregatio Concilii Trid. interpres. Dubio ſiquidem propoſito, an parochus reſidere teneretur, cujus in parochia tres tantum vel quatuor eſſent incolæ; reſpondit, omnino teneri, ut refert *Fagnanus*.

REGULA XLIII.

Non ſufficit parochum infra limites parochiæ manere, ſed in ædibus parochialibus ipſum commorari neceſſe eſt.

Sic multoties reſpondit eadem Congregatio. Qui tamen in propriis, aut paternis ædibus infra parochiæ fines ſitis manens, munia curæ parochialis per ſeipſum exerceret, gravis peccati reus non eſſet, niſi ab Epiſcopo juſſus in domo parochiali habitare renueret; faceretque nihilominus fructus ſuos. Quod ſi parochialem ædem Eccleſia non habeat, vel commoda non ſit ejus habitatio, aut ædificari non poſſit ob tenuitatem proventuum, & parochianorum inopiam, inſons erit parochus, ſi in domo conducta, vel alia, ubi Epiſcopus permiſerit, intra parochiæ fines commoretur, ex ejuſdem Congregationis ſententia.

Ex his ſequitur, in ſacram reſidentiæ legem peccare parochos, qui totis hebdomadibus a parochiis ſuis abſunt, officio ſuo ſatis functos ſe eſſe arbitrati, ſi Dominicis, Feſtiſque diebus Miſſam parochialem celebraverint, Veſperaſque decantaverint.

REGULA XLIV.

Si quis ex diſpenſatione præbendam, vel dignitatem ſimul cum Eccleſia parochiali obtineat, in Eccleſia parochiali reſidere tenetur, & parochialia munia per ſeipſum obire, ad idque ab Epiſcopo compelli poteſt, ac debet.

Prima enim, & præcipua eſt animarum cura; atque ita declaravit ſanctiſſimus Pontifex *S. Pius V.*

Constitutione, quæ incipit, *Cupientes*, edita 8. Idus Julii 1168. Et merito quidem, cum residentia in parochialibus sit juris divini, in aliis vero beneficiis curam animarum non habentibus, juris sit duntaxat ecclesiastici. Quamobrem curatos, si qui dignitatem, aut præbendam in cathedralibus Ecclesiis obtinent, Dominicis, Festisque diebus Ecclesia parochiali relicta Choro cathedralis Ecclesiæ interesse, & distributionum participes esse, pati non debent Episcopi, ut statuit Conc. Mediolanense 5. part. 3. tit. 8. Sed illos cogere, ut parochiali Ecclesiæ statis horis operam, curam, muneraque suscepti parochialis officii usque adeo præstent, ut ei nulla stata hora desint, nullumque officium omnino prætermittant suæ curæ, solicitudinique commissum. Si tamen præstito parochiali debito servitio, temporis aliquid superfuerit, tunc Canonicatus servitio vacare, & distributiones quotidianas jure lucrari poterunt, ut declarat Conc. Tolosanum anno 1590. cap. 7. *de Residentia*, Decretum illud Mediolanensis Concilii V. suum faciens.

REGULA XLV.

Divino residentiæ præcepto non satisfaciunt Episcopi, & Clerici in beneficiis animarum curam habentibus corpore duntaxat præsentes, nisi pro viribus omnes pastoralis officii partes impleant.

Divino residentiæ præcepto non satisfaciunt qui omnes pastoralis officii partes pro viribus non implent.

Sacra enim Synodus Tridentina sess. 23. cap. 1. *de Reformatione*, omnes, quibus animarum cura commissa est, admonet, & hortatur: „ Ut divinorum præceptorum memores, factique forma gregis, „ in judicio, & veritate pascant, & regant „.

Id explicat magis Conc. Aquilejense anno 1596. cap. 5. „ „ Quod vero de Episcoporum residentia a sacro Trid. Concilio, & summorum Pontificum constitutionibus cautum est: hoc non est intelligendum, ut præsentia assideant, nihil præterea agant; cum ex sacris Canonibus residentia sit accipienda in eum sensum, ut sit laboriosa, non otiosa; id quod duobus præ-

præsertim Tridentinæ Synodi verbis egregie exprimitur, *Ut pascant, & regant*: quorum primum ad vitæ innocentiam, ad salutaris verbi prædicationem, ad Sacramentorum administrationem, & bonum exemplum pertinet; secundum ad disciplinam restituendam, ad mores purgandos, & juris ecclesiastici dictionem, ad bonorum laudem, & vindictam malorum sustinendam spectat. Utrumque si præstiterint Episcopi, satis illa, quæ sunt episcopalis muneris, videbunt præstitisse, & implesse „ „.

Et cap. 6. „ „ Qui curam animarum ex officio susceptam habent, rei debent, quam sustinent, quæ singulis periclitatur momentis, præsentem operam dare; atque hi quidem ut corporali insistunt residentia, ita piis debent conatibus urgere, ne quid propter illorum incuriam, aut nequitiam pereat, & reddendæ rationis obligatione malum custodem obstringat. Debent Curati meminisse, datos se populis mediatores inter Deum, & homines, ut Sacra frequenter facere pro Ecclesia sancta Dei, & populo sibi commisso non omittant; ut verbum Dei, cujus dispensatores facti sunt, inculcare animis Fidelium non desinant, ut Sacramenta petentibus ministrare, vel proponere, & suadere maxima diligentia studeant; ut vitæ integritatem in exemplum aliis prætendant, & quasi lucernis ardentibus viam demonstrent, qua per divinorum mandatorum observantiam in cœlum ascenditur „ „.

Et infra: „ „ Sint igitur Curati diligentia, & fideli ministerio commendabiles, ut opus, quod tenent, diligenter sustineant, Dei, & Episcopi sui animadversionem subituri, si negligenter se gesserint „ „.

Idipsum confirmat diœcesana Synodus Ebroicensis anno 1576. „ „ Scimus (*inquit*) in residentia Curatorum potius requiri personæ industriam, & diligentiam, quam corporis in eodem loco residentiam, & inertiam; atque inter residentes numerandos potius qui absentes corpore, spiritu, & assidua speculatione gregi invigilant, quam qui præsentes corporaliter,

seipsos pascunt potius quam gregem, cui scandalo sunt „ „.

Continuas igitur excubias agere debet parochus super gregem sibi commissum adeoque nec pernoctare debet absque necessaria, & legitima causa extra parochiales ædes, quamvis nulli actu sint ægroti. Semper enim timenda sunt pericula, & repentini casus, quorum exempla tam frequentia sunt.

REGULA XLVI.

Parochi ad residentiam tenentur tempore pestis, alteriusve morbi contagiosi, & ad Sacramenta pœnitentiæ, Eucharistiæ, & Unctionis extremæ parochianis per se administranda obligantur, si major pars infecta sit.

Parochi residere tenentur tempore pestis.

Nam „ Qui sic fugit, ut gregi Christi ea, quibus „ spiritualiter vivit, alimenta subtrahantur, mercenarius est „ (inquit *S. Augustin.* Epist. ad *Honoratum.*) Idem constat ex Concilio Mediolanensi 5. sub *S. Carolo Borromæo.* Si vero pauci, aut certe minor parochianorum pars pestifera lue fuerit infecta, & Vicarius, seu alius Sacerdos ab Episcopo approbatus devovere se periculo ex charitate voluerit, poterit parochus ipsius uti opera ad Sacramenta peste laborantibus administranda, seque multitudini servare, interimque sedulo invigilare, ne cui salutis subsidia desint.

REGULA XLVII.

Qui dignitates, canonicatus, præbendas, aut portiones in Ecclesiis cathedralibus, vel collegiatis obtinent, ecclesiastico jure ad residentiam tenentur, gravisque peccati rei sunt, si diutius quam tribus ad summum mensibus, sive continuis, sive interruptis a beneficiis suis absint.

Canonicorum residentia.

Hanc Regulam statuit sacra Synodus Tridentina sess. 24. *De Reformatione*, cap. 1. „ „ Præterea (*inquit*)

(*inquit*) obtinentibus in eisdem cathedralibus, aut collegiatis dignitates, canonicatus, præbendas, aut portiones, non liceat vigore cujuslibet statuti, aut consuetudinis, ultra tres menses ab eisdem Ecclesiis quolibet anno abesse; salvis nihilominus earum Ecclesiarum Constitutionibus, quæ longius servitii tempus requirunt; alioquin primo anno privetur unusquisque dimidia parte fructuum, quos ratione etiam præbendæ, ac residentiæ fecit suos. Quod si iterum eadem fuerit usus negligentia, privetur omnibus fructibus, quos eodem anno lucratus fuerit; crescente vero contumacia, contra eos juxta sacrorum Canonum constitutiones procedatur „ „; id est, priventur beneficio, juxta dispositionem cap. *Inter*, & cap. *Clericos*, Extr. *De Clericis non residentibus.* Quam privationis pœnam ante triennium elapsum infligi non posse, declaravit sacra Congregatio Trid. Concilii interpres. Quod vero spectat privationem fructuum, eam non incurrunt ipso jure, quamvis ab Ordinario infligi ipsis possit, & debeat. Quo Trid. Concilii Decreto, omni consuetudini non residendi, aut diutius quam tribus mensibus vacandi, aut fructus in absentia percipiendi, derogatum est. Nec tamen S. Synodus Canonicis omnibus concessit, ut tres menses abesse possint; Ecclesiarum enim statuta, quæ longius quam novem mensium servitium, diuturnioremque residentiam exigunt, observari voluit; unde illarum Ecclesiarum beneficiati, si toto temporis, quod illis statutis præscriptum est, intervallo in beneficiis non manserint, pœnis a Concilio decretis subjacent, ut respondit S. Congregatio Concilii ejusdem interpres.

Quod autem minime necesse sit absentiam esse continuam, ut Canonicus ultra tres menses abfuisse censeatur, sed satis esse ut dies absentiæ, licet interpolati, trimestre superent, declaravit Concilium Burdigalense anno 1624. can. 7. „ „ Sed & illa fraus (*inquit*) longe amovenda, qua quod cuilibet Canonico per tres menses abesse concedatur, quidam tuti

nullam fere reſidentiam Eccleſiis exhibere dignoſcuntur. Decernimus igitur tres illos abſentiæ menſes ita numerandos eſſe, ut in iiſdem omnes dies, ſive continui, ſive non continui, & interpolati, concludantur; unde qui a reſidentia ultra tres menſes eo modo reductos abfuerit, pœnis eum a ſacris Canonibus contra abſentes latis feriri, & Capitulum in hoc contra ſacros Canones diſpenſare non poſſe cenſemus „„. Sed nec Epiſcopos poſſe contrarium ſtatuere, declaravit Congregatio Concilii interpres. Addiditque, tres abſentiæ menſes continuos eſſe poſſe; non tamen omnibus Canonicis eodem tempore abeſſe licere, ne omni ſervitio deſtituatur Eccleſia; ſed tantum per vices.

REGULA XLVIII.

Ad diſtributiones quotidianas illi ſoli jus habent Canonici, aliive cathedralium aut collegiatarum Eccleſiarum beneficiati, qui divinis officiis interfuerint; a qua lege ſola infirmitas, ſeu juſta, & rationabilis corporis neceſſitas, & evidens Eccleſiæ utilitas excuſant.

Illi ſoli Canonici ad diſtributiones quotidianas jus habent, qui divinis officiis interſunt.

Hæc Regula traditur cap. *Conſuetudinem*, tit. *de Clericis non reſidentibus*, in Sexto: „„ Statuimus, (*inquit*) ut diſtributiones ipſæ quotidianæ, in quibuſcunque rebus conſiſtant, Canonicis, ac aliis beneficiatis, & Clericis Eccleſiarum ipſarum, qui eiſdem officiis, in ipſis Eccleſiis adfuerint, tribuantur, juxta Eccleſiæ cujuslibet ordinationem rationabilem jam factam, ſeu etiam faciendam. Qui vero aliter de diſtributionibus ipſis quidquam exceperit (exceptis illis, quos infirmitas, ſeu juſta, & rationabilis corporalis neceſſitas, aut evidens Eccleſiæ utilitas excuſaret) rerum ſic receptarum dominium non acquirat, ne faciat eas ſuas, imo ad omnium reſtitutionem, quæ contra hujuſmodi noſtram conſtitutionem receperit, teneatur. De diſtributionibus etiam

etiam pro Defunctorum anniversariis largiendis idem decernimus observandum „„.

Eamdem Regulam confirmat Synodus Triden. sess. 24. *de Reformatione*, cap. 12. „„ Distributiones vero (*inquit*) qui statis horis interfuerint, recipiant, reliqui, quavis collusione, aut remissione exclusa: his careant, & juxta Bonifacii VIII. Decretum, quod incipit, *Consuetudinem*; quod sancta Synodus in usum revocat, non obstantibus quibuscunque statutis, & consuetudinibus. Omnes vero divina per se, & non per substitutos, compellantur obire officia; & Episcopo celebranti, aut alia pontificalia exercenti adsistere, & inservire, atque in choro ad psallendum instituto, hymnis, & canticis Dei nomen reverenter, distincte, devoteque laudare „„.

Servandam nihilominus consuetudinem, secundum quam, qui non sunt Presbyteri, licet inserviant, distributiones non lucrantur; sacra Congregatio Concilii interpres respondit. Item servandam consuetudinem, secundum quam de mensa communi nullus Presbyter participat, nisi per annum gratis inservierit. 3. Absentes tribus mensibus a Concilio permissis, fructus præbendæ, non tamen distributiones lucrari. 4. Absentes a loco beneficii tempore pestis, fructus quidem præbendæ, non tamen distributiones percipere, nisi consuetudo obtinuerit, ut justa ex causa absentibus detur. 5. Nec absentes studiorum causa, nec duos Canonicos in servitio Episcopi constitutos, etiamsi Diœcesis Visitationem obeant, quotidianarum distributionum esse participes, nisi forte fructus omnes in certis distributionibus consistant; quo tamen casu tertiam illam partem, quæ inservientibus accrescit, non lucrantur. 6. Nec Vicariis Episcoporum, nec Theologis iis diebus, quibus non docent, distributiones deberi 7. Nec iis, qui in choro corpore quidem præsentes, officium tamen privatim recitant, aut stant in sedibus suis otiosi, neque cum aliis psallunt; nec etiam iis, qui divini officii tempore Missam celebrant, nisi forte ea hora ab eo, ad

quem

quem pertinet, ad celebrandum sint notati. Has sacræ Congregationis declarationes refert *Fagnanus* in cap. *Licet*, Ext. *de Præbendis*.

Exceptiones. Secundum exceptiones *Bonifacii VIII.* cap. *Consuetudinem*, a Tridentina Synodo confirmatas, & declarationes sacræ Congregationis ejusdem Concilii interpretis, distributiones Canonicis a choro absentibus debentur. 1. Si sint infirmi, aut sine vitæ periculo divinis officiis interesse non possint. 2. Si cæci. 3. Si senio confecti. 4. Si sanguine minuti fuerint, aut medicinam sumpserint. 5. Si injuste in carcerem conjecti, aut ob causam criminalem in jus vocati, & illorum probata sit innocentia. 6. Si qualibet injusta vexatione impediti fuerint, ne divinis officiis interessent. 7. Si absint ob evidentem Ecclesiæ, cujus distributiones sunt, utilitatem, sive ob negotia Capituli. 8. Si absint ob functiones curæ animarum, suæ dignitati, vel præbendæ incumbentis, ut rursus declarat Conc. Trid. sess. 22. cap. 3. 9. Cum assistunt, & inserviunt Episcopo pontificalia celebranti. 10. Theologo debentur, iis diebus, quibus docet, vel Concionem habet. Necnon Canonico pœnitentiario, quo tempore confessiones audit, aliis in choro divina celebrantibus.

REGULA XLIX.

Theologiæ Professores, dum in scholis docent, & studentes, per quinquennium, a residentia in Ecclesiis, in quibus dignitates, præbendas, aut alia beneficia obtinent, legitime excusantur, absentesque jure percipiunt fructus beneficiorum suorum.

Professorum Theologiæ, & studentium privilegium. Hæc Regula nititur Decretali *Honorii III.* c. *Super speculâ*, Ext. *de Magistris*, quam *Clemens V.* anno 1308. *Joannes XXII.* anno 1332. *Clemens VI.* annis 1342. & 1356. confirmant, & Conc. Trid. Sess. 5. cap. 1. De Reformatione. „ „ Docentes vero ipsam sacram Scripturam (*inquit*) dum publice in scholis docuerint, & scholares, qui in ipsis scholis stu-

ſtudent, privilegiis omnibus de perceptione fructuum præbendarum, & beneficiorum ſuorum, in abſentia a jure communi conceſſis; plene gaudeant, & fruantur „ „.

Parochorum excepto.

Ad Profeſſores, & ſtudentes in jure canonico idem privilegium pertinere, ſacra Congregatio declaravit; parochis tamen Ordinarios indulgere non poſſe. ut abſint ratione ſtudiorum, teſte *Fagnano* in 1. Par. lib. 5. Decretalium, cap. *Super Specula*, Tit. *de Magiſtris*, nu. 17.

Canonici abeſſe non poſſunt, etiam ratione ſtudiorum ſine licentia Epiſcopi. Conditiones in facultatibus abſentiæ Canonicorum cauſa obſervandæ.

Canonicos ratione ſtudiorum abeſſe non poſſe, abſque licentia Epiſcopi, eadem Congregatio declaravit, poſſeque Epiſcopum revocare Canonicos, & præbendatos, qui abſque ejus licentia ſe ad ſtudia Univerſitatis etiam privilegiatæ contulerunt, præſertim ſi Eccleſia propter eorum abſentiam miniſtrorum defectum patiatur. Poſſe etiam Epiſcopum eos ad reſidentiam revocare, qui manentes in Univerſitate cum ſua licentia, negligenter, & inutiliter dant operam literis, juris canonici periti ſummo conſenſu aſſerunt. Tales enim viri ad ſtudia ſe contuliſſe cenſentur in fraudem legis, & ut fugiant Epiſcopi correctionem, vel ut liberius vivant. Quocirca Concilium Mediolanenſe 1. P. 2. cap. 27. ſtatuit, ut in facultatibus abſentiæ, ſtudiorum cauſa concedendis, hæ conditiones neceſſario exprimantur: „ „ Ut vere in publico, celebrique Gymnaſio Theologiæ, vel ſacris Canonibus ſtudeant. 2. Ut minores ſint triginta annis, aut fuerint, cum in publico Gymnaſio iiſdem ſtudiis operam dare cœperunt, quæ nunc cupiunt abſolvere. 3. Ut intra annum ad ordinem ſaltem Subdiaconatus promoveantur. 4. Ut ſingulis ſex menſibus Epiſcopo ſcriptum ſui Doctoris exhibeant, quo ipſos in eo ſtudii genere proficere teſtetur, quod etiam Epiſcopus ſecreto ab aliis cognoſcere ſtudeat „ „. Quod ſi ſupraſcriptæ conditiones omnes in licentia expreſſæ non fuerint; aut is, qui impetrat, qualitates omnes requiſitas non habeat; aut quæ ipſi ſervanda proponuntur, deinceps non præſtiterit: „ „ Facul-

cultates irritæ, ac nullæ sint; & qui impetrarit, sciat se fructus suos non fecisse, neque facere, ac pœnis, quæ non residentibus propositæ sunt, teneri. Concedatur autem ad quinquennium tantum, ab eo die numerandum, quo eum in publico Gymnasio Theologiæ, aut sacris Canonibus constet, operam dare cœpisse „ „.

Idem edixit Conc. Turonense anno 1583. cap. 13. „ „ Quod si qui in celebri Universitate Theologiæ aut sacrorum Canonum professioni studium, strenuamque operam navare desiderant, hi licentia, privilegioque percipiendi in absentia fructus præbendarum ita demum potiantur, si minores triginta annis existentes, docibiles fuerint judicati; & postquam præsentes recepti, & promoti fuerint saltem ad Subdiaconatum; nec cuiquam tale indultum ultra quinquennium suffragetur. Quamdiu autem in Universitatibus studiorum causa manebunt, tamdiu suorum præceptorum testimonium literis authenticis confirmatum quotannis exhibere tenebuntur, se serio, graviterque prædictarum facultatum studiis incumbere. Exactoque tandem justo studiorum tempore, ipsius Capituli arbitrio revocati, ad Ecclesiam sua munia obituri redire tenebuntur, assignatam studiorum causa portionem, nec quamvis aliam haud aliter consecuturi „ „.

Idem decrevit Conc. Aquense anno 1585. prohibuitque insuper: „ „ Ne similes facultates, etiam prædictis requisitis concurrentibus, iis, qui parochiales Ecclesias obtinent, concedantur „ „.

Idem confirmavit Conc. Aquilejense anno 1596. cap. 7. & obtinentes Ecclesias parochiales a licentia hujusmodi proficiscendi ad publica Gymnasia pariter esse repellendos, declaravit: „ „ Qui enim (*inquit*) collationis tempore per concursum examinatus, & canonice promotus fuit, & publico Examinatorum synodalium testimonio ad animarum curam exercendam idoneus habitus, dimittendus non est, ut discat, cum ad docendos alios provectus fuerit „ „.

De-

Denique Canonici, quibus ſtudiorum gratia eſt indultum, ut abſentes percipiant fructus præbendarum ſuarum, illis privandi ſunt, ſi accepta licentia ſe ad villas transferunt, vel caſtella, in quibus nullum eſt, vel minus competens ſtudiorum exercitium: *Cum fraus, & dolus nemini debeant patrocinari.* Sic reſpondet *Innoc. III.* Antiſiodorenſi Epiſcopo, cap. *Tuæ*, Extr. *De Clericis non reſidentibus.*

REGULA L.

Duo Canonici Epiſcopo ad Eccleſiæ utilitatem ſervientes, a reſidentia legitime excuſantur, fructuſque beneficiorum ſuorum abſentes jure percipiunt.

Hanc Regulam ſtatuit *Honorius III.* cap. *Ad audientiam*, Ext. *De Clericis non reſidentibus.* Potiori jure excuſantur, qui ſummo Pontifici ſerviunt ad Eccleſiæ univerſalis utilitatem, ut declarat *Innoc. III.* cap. *Cum dilectus*, ſub eodem Titulo.

Regiæ Capellæ Clerici a reſidentia pariter diſpenſantur, privilegiis ſummorum Pontificum, quo tempore chriſtianiſſimis Regibus, aut Reginis, in ſacris Miniſteriis ſerviunt. Elapſo autem ſervitii tempore, ad Eccleſias, in quibus dignitates, aut præbendas obtinent, redire, in iiſque reliquo anni tempore reſidere tenentur, fructibus earum alioquin privandi, ſecundum Edictum Melodunenſe *Henrici III.* Regis chriſtianiſſimi. Privilegium iſtud a *Clemente VI.* Pontifice maximo ad Regis chriſtianiſſimi *Joannis*, & Reginæ *Joannæ* illius conjugis preces conceſſum eſt; editum eſt Tom. 4. *Specilegii Acheriani*, pag. 295. Illud confirmavit *Pius II.* teſte *Guimerio* in Gloſſa pragmaticæ Sanctionis Tit. *Qualiter horæ ſunt dicendæ extra Chorum.* Capellani domeſtici Principum cæterorum, etiam regii ſanguinis, ſimili privilegio non gaudent, nec fructus beneficiorum ſuorum jure percipiunt quamdiu abſunt, ut Principibus ſerviant. Sed ne ipſis quidem Regum, aut Reginarum Capellanis, quos beneficium Hebdomadarii titulo addicit mi-

miniſterio altaris, tale privilegium ſuffragatur, ſecundum juriſprudentiam gallicanam, teſtibus *Chopino* lib. 3. *Monaſticon*, cap. 3. & *Feureto*, lib. 3. *de Abuſu*, cap. 1. Reg. 11. Neque etiam hoc privilegio uti poſſunt curiarum ſupremarum Senatores, cum non ſint Capellani domeſtici Regis; nec tuta conſcientia retinere poſſunt beneficia, in quibus reſidere nolunt officii ſui prætextu; aut fructus præbendarum ſuarum, vel dignitatum abſentes percipere, niſi forſan ſimile privilegium ipſis a Sede apoſtolica ſit indultum.

REGULA LI.

Abbates, & Priores commendatarii mortaliter peccant, qui ſacrum Presbyteratus Ordinem non ſuſcipiunt intra annum, ex quo legitimam ætatem attigerunt; niſi a ſummo Pontifice cum ipſis fuerit diſpenſatum, ut illa beneficia ſine Presbyteratus Ordine retineant.

Violant enim legem eccleſiaſticam, & civilem in materia gravi; ſiquidem utraque ſtatuit, ut intra annum pacificæ poſſeſſionis, ex quo legitimam ætatem attigerunt, ad Sacerdotium promoveatur. Ita Clementina *Ne in agro*, Tit. *De Statu Monachorum*, §. *Cæterum*, decretum eſt: „ Cæterum Prioratus conventuales, niſi alicui qui 25. annum attigerit, alii vero curam animarum habentes, etſi cura ipſa per ſæculares habeat Presbyteros exerceri, cuiquam niſi 20. annum peregerit, conferri nequeant, aut committi. Qui autem Prioratus iſtos, vel illos habuerint, infra annum computandum a tempore collationis ſeu commiſſionis ſibi factæ de eis, & poſſeſſionis eorum adeptæ, vel infra vigeſimum quintum ætatis ſuæ annum, ſi ante annum ipſum non conventuales Prioratus eis *commiſſi fuerint*, *aut collati*, ſe faciant ad Sacerdotium promoveri. Quod ſi (ceſſante rationabili cauſa) non fecerint; eo ipſo nulla etiam monitione præmiſſa, prædictis Prioratibus

ſint

sint privati, qui ipsis iterum ea vice nullatenus conferantur „ „. Unde in Abbatiarum commendatariarum Bullis pontificiis hæc apponitur clausula, quod ætatem legitimam adepti Presbyteratus ordinem suscipere teneantur. Regiis etiam Constitutionibus Blesensibus idem sancitum est, Articulo nono.

REGULA LII.

Lethaliter peccant, qui parochialem Ecclesiam, seu beneficium curatum suscipiunt cum deliberata voluntate illud non servandi, & in eo non inserviendi; & ad fructuum restitutionem tenentur.

Hæc Regula colligitur ex cap, *Commissa*, Tit. *de Electione*, in Sexto. „ „ Cæterum (*inquit*) si ad Sacerdotium promoveri non intendens parochialem receperis Ecclesiam, ut fructus ex ea per annum percipias; ipsam postmodum dimissurus (nisi voluntate mutata promotus fueris) teneberis ad restitutionem fructuum eorumdem; cum eos receperis fraudulenter „ „.

REGULA LIII.

Qui præbendam obtinet, vel suscipit cum deliberata voluntate illam non servandi, nec in ea Ecclesia inserviendi, graviter peccat, nec eam pro alio beneficio permutare potest.

Neque enim beneficium legitime confertur, aut suscipitur, nisi propter officium. Unde Concilium Lateranense 3. sub *Alexandro III.* ex quo refertur c. *Nulla*, Ext. *de concessione præbendæ*, ait: „ „ Cum vero præbendas ecclesiasticas, seu quælibet officia in aliqua Ecclesia vacare contigerit, non diu maneant in suspenso; sed intra sex menses personis, quæ digne administrare valeant, conferantur „ „. Quare si quis præbendam impetrat, ac suscipit cum deliberata voluntate illam non servandi, vel Ecclesiæ in ea non inserviendi, graviter peccat, nec in

foro conſcientiæ beneficium illud canonice, ac legitime poſſidet, proindeque illud cum alio permutare non poteſt.

CAPUT VII.

De Simonia.

Cum in ſacras Ordinationes, & beneficiorum eccleſiaſticorum diſtributionem, vel captationem, atque in Sacramentorum diſpenſationem, quæ miniſtris Eccleſiæ concredita eſt, Simonia potiſſimum graſſetur; ad complementum tractatus de Sacramento Ordinis agendum ſupereſt de Simoniæ crimine

ARTICULUS PRIMUS.

Quid ſit Simonia.

Definitio Simoniæ.

Simonia eſt ſtudioſa voluntas emendi, aut vendendi aliquid ſpirituale, aut ſpirituali annexum.

Ita crimen illud *S. Thomas* definit, *Secunda ſecundæ*, qu. 100. art. 1. Quæ definitio tria complectitur, ſcilicet actum voluntatis, quia omne peccatum in actu voluntatis conſiſtit. Unde ille, cui parentes beneficium pecunia, aut qualibet alia re pecunia æſtimabili obtinuerunt, Simoniæ reus non eſt, ſi id factum ſit, illo neſciente, & cum primum ſcivit, improbaverit, ac deteſtatus fuerit ſacrilegam nundinationem, & beneficium ejuraverit in manibus collatoris. Dicitur autem ſtudioſa voluntas, id eſt, deliberata. Complementum namque peccati, & virtutis conſiſtit in electione. Secundo, definitio exprimit materiam proximam hujus peccati, ſcilicet emptionem, & venditionem. *Nomine* autem *emptionis, & venditionis intelligitur omnis contractus non gratuitus;* (inquit *S. Thomas*) quales ſunt permutatio, tranſactio, locatio, do ut des, do ut facias, facio ut des, facio ut facias. Tertio, definitio exprimit materiam remotam, ſive objectum ſacrilegæ iſtius actio-

actionis, scilicet rem spiritualem, aut spirituali annexam. Dicitur autem aliquid spirituale tripliciter: Primo per essentiam, ut gratia, virtutes, jurisdictio ecclesiastica; secundo, ratione effectus, sicut Sacramenta, quæ gratiam, vel spiritualem potestatem conferunt; tertio, ratione causæ, ut administratio Sacramentorum, quæ est a spirituali potestate, consecrationes personarum, locorum, vasorum, aut aliarum quarumcunque rerum, ecclesiasticæ jurisdictionis usus, vel gratiarum gratis datarum.

Spiritualibus annexa dicuntur, quæ ad usum Sacramentorum, aut ministrorum Ecclesiæ deputata sunt, ut calices, & ecclesiastica beneficia. Nam „ „ sicut anima vivit secudum se ipsam, corpus autem vivit ex unione animæ; ita etiam quædam sunt spiritualia secundum seipsa, sicut Sacramenta, & alia hujusmodi; quædam autem dicuntur spiritualia ex hoc, quod talibus adhærent. Unde Canon. *Si quis objecerit*, causa 1. qu. 3. dicitur, quod spiritualia sine corporalibus rebus non proficiunt, sicut nec anima sine corpore corporaliter vivit „ „. *S. Thomas*, 2. 2. qu. centesima, art. 1. ad sextum.

Spiritualibus aliquid annexum est dupliciter, scilicet antecedenter, & consequenter. Annexum antecedenter est, quod cum natura sua materiale sit, præcedit rem sacram, ad quam refertur; hujus generis sunt calices, altaria, sacra vestimenta, quæ cum primario, & ex se materialia sint, spiritualem formam induunt ex consecratione illis accedente. Ad hanc etiam classem pertinet jus Patronatus, quod nominationem, seu præsentationem ad beneficia antecedit. Spiritualibus consequenter annexum est, quod rem spiritualem sequitur, & ab ea dependet, sicut ecclesiastica beneficia, quæ non competunt nisi habenti officium clericale. Ita rem explicat *S. Thom.* qu. mox cit. art. 4.

ARTICULUS II.

Simonia crimen eſt graviſſimum.

I. Criminis iſtius gravitatem ſacra Scriptura docet, quæ illud execratur in *Balaam*, qui *Mercedem iniquitatis amavit, correptionem vero habuit ſuæ inſipientiæ; ſubjugale mutum animal, quod in hominis voce loquens, prohibuit Prophetæ inſipientiam;* (ut loquitur *S. Petrus* Epiſtolæ 2. cap. 2.) Et in *Giezi*, quem a *Naaman* Principe Aſſyriorum, quem *Eliſæus* a lepra mundaverat, duo talenta accepiſſe refert, ſtatimque *Eliſæo* hoc divinitus cognoſcente, & ſacrilegium iſtud ulciſcente, lepra fuiſſe infectum; (4. *Regum* 5.) Unde qui res ſacras vendunt, *Giezitæ* nuncupantur Et in *Simone mago*, qui donum Spiritus ſancti, ſive poteſtatem ſpiritualem dandi Spiritum ſanctum, & miracula patrandi inſtar Apoſtolorum, emere voluit, ut eam poſtea venderet, & ex venditione ſignorum, quæ per eum fierent, multiplicatam pecuniam lucraretur. (*Actuum* cap. 8.) *Cum vidiſſet autem Simon, quia per impoſitionem manuum Apoſtolorum daretur Spiritus ſanctus, obtulit eis pecuniam, dicens: Date & mihi hanc poteſtatem, ut cuicunque impoſuero manus, accipiat Spiritum ſanctum. Petrus autem dixit ad eum: Pecunia tua tecum ſit in perditionem, quoniam donum Dei exiſtimaſti pecunia poſſideri. Non eſt tibi pars, neque ſors in ſermone iſto. Cor enim tuum non eſt rectum coram Deo. Pœnitentiam itaque age ab hac nequitia tua; & roga Deum, ſi forte remittatur tibi hæc cogitatio cordis tui. In felle enim amaritudinis, & obligatione iniquitatis video te eſſe.* Ab hoc parente Simoniaci nuncupati, qui res ſpirituales, aut ſpiritualibus annexas, pretio diſtrahere, aut emere volunt, aut de illis paciſcuntur. Simoniæque nomen illi vitio inditum.

Simoniæ deformitates.

II. Simonia lethale peccatum eſt, repugnans religioni, juſtitiæ, pietati, & ſtudio, quo omnes Eccleſiæ catholicæ filii ejus bonum proſequi debent. Religioni quidem repugnat, quæ violatur, tum con-

tem-

temptu Dei, cum non meliores, qui ei gratiſſimi ſunt; ſed pecunioſiores in Sacerdotes, ac miniſtros aſſumuntur; tum contemptu rerum ſpiritualium, quibus infertur injuria, cum pecunia æſtimantur: Nam *Quis non vile putat eſſe, quod venditur?* (inquit *Hormiſdas* Pont. maxim. in Epiſt. ad Epiſcopos Hiſpaniæ) Vilia ergo dona Dei exiſtimat, qui ea vendi putat. Ex hoc capite ſimoniæ pravitatem oſtendit *S. Petrus*, & ſecundum ipſum *Gennadius* Conſtantinopolitanus Patriarcha in Epiſt. encyclica: „ Cœleſtia enim, & ſpiritualia dona (*inquit*) nulla eſt „ cum terrenis commutandi ratio „. Quæ enim commutantur, tantumdem valere exiſtimantur, quantum ea, quibuſcum commutantur. At valoris ſpiritualium donorum, quæ pretium omne excedunt, cum pecunia nulla proportio eſt. Juſtitiæ quoque Simonia opponitur, tum quod turpi iſta rerum ſpiritualium nundinatione doctiores, ac ſanctiores, qui dignitatum, & beneficiorum eccleſiaſticorum minus cupidi eſſe ſolent, indoctioribus, ac minus probis in ea involantibus, in eorum diſtributione poſtponantur, imo prætermittantur; tum quod iniquum ſit, & contra juſtitiæ commutativæ regulas, id pretio commutare, quod pretio commutari non poteſt; donum gratuitum vendere, vel emere, quod gratis acceptum eſt a Deo, & ea conditione, ut gratis detur, ſecundum Chriſti Domini ſententiam Matt. 10. *Gratis accepiſtis, gratis date.* Denique pietati Eccleſiæ debitæ, ſeu ſtudio publici boni repugnat ſibi, vel alteri quovis pretio procurata ad eccleſiaſticos gradus, & beneficia promotio. Ea ſiquidem labes Eccleſiæ ſanctitatem obſcurat, canonicarum Inſtitutionum ordinem pervertit, indignis ad dignitatum apicem aditum aperit, contra præclaram illam *Tertulliani* ſententiam primævæ Eccleſiæ ordinem deſcribentis, Apologetici c. 39. „ Præſident probati quique Seniores, honorem iſtum non pretio, ſed teſtimonio adepti; ne„que enim pretio ulla res Dei conſtat „.

At Simoniæ deformitatem *S. Thomæ* verbis luculentius, ac facilius exponam, quam meis. Sic ille *Secunda secundæ*, quæstione centesima, art. 1. „ „ Actus aliquis (*inquit*) est malus ex genere, eo quod cadit super materiam indebitam. Emptionis autem, & venditionis est materia indebita res spiritualis, triplici ratione. Primo quidem, quia res spiritualis non potest aliquo terreno pretio compensari; ut de sapientia dicitur Prov. 3. *Pretiosior est cunctis opibus, & omnia, quæ desiderantur, huic non valent comparari.* Ideo etiam Petrus in ipsa sui radice Simonis pravitatem condemnans, dixit: *Pecunia tua tecum sit in perditionem; quoniam donum Dei existimasti pecunia possideri.* Secundo, quia id non potest esse debita venditionis materia, cujus venditor non est dominus. Prælatus autem Ecclesiæ non est dominus spiritualium rerum, sed dispensator, secundum illud 1. ad Cor. 4. *Sic nos existimet homo ut ministros Christi, & dispensatores Mysteriorum Dei.* Tertio, quia venditio repugnat spiritualium origini, quæ ex gratuita voluntate Dei proveniunt. Unde & Dominus dicit Matt. 10. *Gratis accepistis, gratis date.* Et ideo aliquis emendo, vel vendendo rem spiritualem, irreverentiam exhibet Deo, & rebus divinis; propter quod peccat peccato irreligiositatis „ „.

Simoniaca pravitas hæresis appellata.

III. Simoniacam pravitatem hæresim vocant Pontifices, & Concilia, *S. Gregorius magnus* lib. 4. Regesti, Epist. 55. „ „ Pervenit (*inquit*) ad nos, quod in illis partibus nullus ad sacrum Ordinem sine commodi datione perveniat. Quod si ita est, flens dico, gemens denuntio; quia cum sacerdotalis Ordo intus cecidit, foris quoque diu stare non poterit. Scimus quippe ex Evangelio, quid Redemptor noster per semetipsum fecerit; quia ingressus Templum cathedras vendentium columbas evertit. Columbas enim vendere, est de sancto Spiritu, quem Deus omnipotens consubstantialem sibi per impositionem manuum hominibus tribuit, commodum temporale percipere. Ex quo malo jam innuitur, quid sequatur, quia qui

in

in templo Dei columbas vendere præſumpſerunt, eorum Deo judice cathedræ ceciderunt. Qui videlicet error in ſubditis cum augmento propagatur. Nam ipſe quoque, qui ad ſacrum Ordinem perducitur, jam in ipſa provectus ſui radice vitiatus, paratior eſt aliis venundare, quod emit. Et ubi eſt, quod ſcriptum eſt: *Gratis accepiſtis, gratis date?* Et cum primo contra Eccleſiam *Simoniaca Hæreſis* ſit exorta; cur non perpenditur, cur non videtur, quia eum quem quis cum pretio ordinat, provehendo agit, ut hæreticus fiat „„. Idem repetit Epiſt. 56. ejuſdem libri, & libri 7. Epiſt. 111. 114. & 115. Simoniam *Hæreſim* pariter vocant *Greg. VII.* Epiſt. 34. libri 11. *Paſchalis II.* Can. *Altare*, cauſa 1. qu. 2. Conc. Turonenſe ſub Carolo magno, Can. 15. Remenſe Can. 21. Moguntinum ſub Rabano, Can. 12. & caput *Quoties*, quod *Adeodato* Papæ tribuitur, Ext. *De Simonia*, & Tharaſius Patriarcha Conſtantinopolitanus, in Epiſt. ad *Adrianum I.* Pontificem maximum, nec non *Goſſridus Vindocinenſis* in Opuſculo, quod *Calixto II.* nuncupavit, &c. Quamvis enim ſimoniaca pravitas per ſe non ſit hæreſis, cum aliquis ſimoniacus eſſe poſſit ex ſola depravatione voluntatis per avaritiam, remanente recto judicio intellectus circa ea, quæ fides tradit; poteſt tamen præſumptione juris, vel operis, ſimoniacus omnis in fide haberi ſuſpectus, ut *Gerſonius* loquitur in Tract. *De Simonia*. Sive, ut ait *S. Thomas*, Secunda ſecundæ qu. centeſima, art. 1. ad primum, Simonia hæreſis dicitur ſecundum exteriorem proteſtationem. Nam „„ Sicut religio conſiſtit in quadam fidei proteſtatione, quam tamen aliquis interdum non habet in corde; ita etiam vitia oppoſita religioni habent quamdam proteſtationem infidelitatis, licet quandoque non ſit infidelitas in mente. Secundum hoc ergo ſimonia hæreſis dicitur ſecundum exteriorem proteſtationem; quia in hoc quod aliquis vendit donum Spiritus ſancti, quodammodo proteſtatur ſe eſſe dominum ſpiritualis doni, quod eſt hæreticum „„. Paulo aliter id

explicat 4. *Sententiar.*, dist. 25. q. 3. art. 1. qu. 2. „„ Aliquid (*inquit*) attribuitur alteri dupliciter; uno modo simpliciter; alio modo propter similitudinem actus, sicut dicit Philosophus 7. Ethicorum, quod incontinentes quandoque dicuntur intemperati, quia faciunt, quæ intemperati, sed non eodem modo; sicut etiam dicit, quod Milesii stulti non sunt, sed operantur qualia stulti; & secundum hoc dicendum, quod simoniaci non sunt proprie, & per se loquendo hæretici, cum non habeant aliquam falsam opinionem; sed dicuntur hæretici propter similitudinem actus, quia ita operantur, ac si æstimarent donum Spiritus sancti pecunia possideri, quæ æstimatio esset hæretica „„. Unde *S. Greg.* lib. 9. Epistolarum, Ind. 4. Epist. 53. quæ refertur Canone *Cum omnis*, causa 1. qu. 1. ait; „„ Cum omnis avaritia sit idolorum servitus, quisquis hanc in ecclesiasticis dignitatibus dandis non præcavet, infidelitatis perditioni subjicitur, etiamsi fidem, quam negligit, tenere videatur „„.

Quo sensu simonia gravior dicatur, quam Macedonii hæresis.

Hoc sensu *Tharasius* Patriarcha Constantinopolitanus in Epist. ad *Adrianum I.* quæ refertur can. *Eos*, causa 1. q. 1. Simoniacam pravitatem hæresim esse Macedonianorum errore damnabiliorem asserit: „„ Illi enim (*inquit*) creaturam, & servum Dei Patris, & Filii Spiritum sanctum delirando fatentur; isti vero (*scilicet Simoniaci*) eumdem Spiritum sanctum efficiunt suum servum. Omnis enim dominus, quod habet, si vult, vendit, sive servum, sive aliquid aliud eorum, quæ possidet; similiter, & qui emit, dominus ejus volens esse quod emerit, per pretium pecuniæ illud acquirit. Ita & qui hanc iniquam actionem operantur, detrahunt Spiritui sancto, æqualiter peccantes his, qui blasphemaverunt, dicentes, Christus in Beelzebub ejicere dæmonia; atque, ut verius dicam, Judæ comparantur proditori, qui Judæis Christum vendidit „„. Quod sic explicat *S. Thomas* in 4. *Sententiarum*, loco supra citato, ad secundum: „„ Ratione falsæ æstimationis quam simoniacus in actu demon-

monſtrat, dicitur ſimonia eſſe gravior quam Macedonii hæreſis, qui poſuit Spiritum ſanctum eſſe Patris, & Filii ſervum; ſimoniaci autem in ſuo actu oſtendunt ſe æſtimare, quod ſit ſervus hominis, ſi ab homine poteſt emi, & vendi „ „.

Ethnicos Deorum, quos ſe colere profitebantur, revera contemptores, & illuſores fuiſſe *Tertullianus* probat *Apologetici* cap. 13. quia nimirum illos vendebant. „ „ Domeſticos Deos (*inquit*) quos Lares dicitis, domeſtica poteſtate tractatis, pignorando, venditando, demutando... Publicos æque publico jure fædatis, quos in haſtario vectigales habetis. Sic Capitolium, ſic olitorium forum petitur; ſub eadem voce præconis, ſub eadem annotatione quæſtoris divinitas addicta conducitur. Sed enim agri tributo onuſti, viliores; hominum capita ſtipendio cenſa, ignobiliora; nam hæ ſunt notæ captivitatis. Dii vero, qui magis tributarii, magis ſancti; imo qui magis ſancti, magis tributarii. Majeſtas quæſtuaria efficitur, circuit cauponas religio mendicans. Exigitis mercedem pro ſolo Templi, pro aditu ſacri. Non licet Deos noſſe gratis; venales ſunt „ „. Quanti ergo contemptus in Spiritum ſanctum rei ſunt, qui res ſpirituales vendunt, vel emunt? Ethnicos, qui Deos ſuos vendebant, ſimoniacus imitatur.

Simoniam crimen eſſe omnibus criminibus atrocius, ſacri Canones diſerte docent: „ Omnia crimina (*inquit Paſchalis II.*) ad comparationem ſimoniacæ hæreſis quaſi pro nihilo reputantur „. Refertur cauſa 1. qu. ultima, Canone ultimo Idemque repetit *Innocentius III.* cap. *Per tuas.* Ext. *De Simonia.* Simoniaca *peſtis ſui magnitudine alios morbos vincit;* (inquit *Lucius* Papa, cap. *Sicut*, Ext. *de Simonia.*) Quamobrem crimen illud ſenſu quodam inexpiabile *S. Ambroſius* dixit lib. 4. in Lucam; „ „ Inexpiabilis eſt (*inquit*) venditi culpa Myſterii, & gratiæ vindicta cœleſtis tranſit ad poſteros. Denique Moabitæ, & cæteri, non intrabunt in Eccleſiam Dei uſque ad tertiam, & quartam generationem. Tamdiu videlicet donec culpam auctorum multiplicis ſucceſſio ge- Simoniæ crimen atrociſſimum.

nerationis aboleret. Sed cum illi, qui in Deum idolatriæ errore deliquerunt, in quartam generationem videantur esse mulctati, profecto durior videtur esse sententia, qua Giezi semen usque in æternum pro cupiditate habendi, prophetica auctoritate damnatur, præsertim cum Dominus noster Jesus Christus per Lavacri regenerationem omnibus remissionem dederit peccatorum; nisi ut vitiorum magis quam generis semen intelligas. Sicut enim, qui filii promissionis sunt, æstimantur in semen bonum; ita etiam, qui filii erroris sunt, æstimantur in semen malum. Nam & Judæi ex patre diabolo, non utique carnis successione, sed criminis. Ergo omnes cupidi, omnes avari, Giezi lepram cum divitiis suis possident, male quæsita mercede, non tam patrimonium facultatum, quam thesaurum criminum, congregarunt æterno supplicio, & brevi fructu. *Hæc* S. Ambrosius, *qui & paulo superius ait*: Habes Domini præceptum, vatis exemplum, gratis accipere, gratis dare; nec vendere ministerium, sed offerre. Non enim pretio taxatur Dei gratia, nec vendere ministerium, sed offerre. Non enim pretio taxatur Dei gratia, nec in Sacramentis lucrum quæritur, sed obsequium Sacerdotis „ „.

V. Pecuniam igitur, vel quodlibet aliud pecunia æstimandum, dare, vel accipere non licet, neque pro Sacramentis, quæ sunt causa gratiæ, quæ pretio æstimari non potest, & cui repugnat, quod gratuito non detur; neque pro spiritualibus actibus, quales sunt administratio Sacramentorum, usus spiritualium donorum, ut prophetiæ, divini verbi prædicatio, ecclesiasticæ jurisdictionis usus, laudes divinæ, religiosa Professio, &c. Neque pro his, quæ sunt spiritualibus annexa, ut beneficia ecclesiastica, jus Patronatus, &c. Hæc enim omnia spectat sententia illa Christi Domini: *Gratis accepistis, gratis date.* Quam „ Diligenter, accurate, & ad literam observa„ re *debemus;* nec in iis, quæ technas sophisticas non „ admittunt, ut sophistica calliditate, nec aleam peri-

„ cu-

„ culosam jacere „ (*inquit Gennadius* Patriarcha Constantinopolitanus cum sua Synodo.) Nihil ergo refert, an pecunia pro beneficio, aut quavis alia re spirituali offeratur *Tanquam pretium*, vel incitamentum, seu *Motivum*; & flagitiosa, ac erronea illa opinio est, quæ *Simoniam juris divini* esse negat, quando datur spirituale propter temporale, solum tanquam *Propter motivum*, vel *titulo gratitudinis antidorali*, modo non detur, ut rei spirituali, v. gr. Ordinationi, vel beneficio *æquale pretium*, nec spirituale pro temporali *tanquam pro æquali* commutare quis velit, ut temporale pluris, vel tanti æstimet, quam ipsum spirituale. Distinctiuncularum enim hujusmodi vanitas ex eo patet, quod his admissis tam rarum esset simoniæ vitium, ut ab illo possent facile defendi, & excusari, vel *Balaam*, vel *Giezi*, vel ipse *Simon magus*. Nunquid enim *Balaam* confidenter asseverare non poterat, se munus a Rege Moabitarum accepisse non ut pretium, sed ut motivum? Neque enim vel Rex curabat, quonam ille titulo munus acciperet, dum quoquo modo ad maledicendum populo Israel ipsum promoveret; nec *Balaam* admodum curabat, quonam titulo oblatum munus sibi obveniret, modo suam inde avaritiam expleret. Nunquid profanus *Giezi* cum magna confidentia non obtenderet se immerito simoniæ insimulari, ob idque lepra percuti, cum non alio quam gratuitæ compensationis titulo munus a *Naaman* petierit, & impetraverit; nec sub ratione pretii, quasi divinum miraculum compensaturus, ipsi duo talenta *Naaman* obtulerit, sed gratiam tantum ei relaturus: *Obsecro* (inquit) *ut accipias benedictionem a servo tuo.* Unde nec *Elisæus* ipsum reprehendens ait: Accepisti argentum, accepisti vestes, ut pretium miraculi; sed simpliciter: *Accepisti argentum, & accepisti vestes, ut emas oliveta, & vineas, & oves, & boves, & servos, & ancillas.* Nunquid tandem & ipse *Simon magus* dicere non posset, se obtulisse Apostolis pecuniam non sub formali ratione pretii, sed tanquam motivum, quo

Error est asserere simoniam non esse, pecuniam offerre, pro beneficio, aut quavis alia re spirituali, tanquam motivum, tametsi dicatur non offerri tanquam pretium.

4. Reg. 5.

eo-

eorum voluntatem incitaret ad conferendam ſibi poteſtatem impertiendi Spiritum ſanctum per manuum impoſitionem ? Neque enim ille curabat modum, dum tamen ſpiritualem illam poteſtatem quoquo modo conſequeretur. Nec S. Petrus eum reprehendit, quod voluerit pecuniam pro æquali commutare; ſed: *Pecunia tua* (inquit) *tecum ſit in perditionem, quoniam donum Dei exiſtimaſti pecunia poſſideri.* Quod enim pecuniæ collatione per modum illecebræ permoventis, abſque pretii cogitatione, vel expreſſa comparatione rei ſpiritualis cum temporali obtinetur, nihilominus pecunia poſſidetur.

Præterea omnia Conciliorum decreta, omnia ſummorum Pontificum ſtatuta, omnes Patrum ſententiæ, quibus ſimonia proſcribitur, ita generales ſunt, ut nulla earum excipiatur illa ſpecies, in qua datur pecunia, non ut pretium, ſed ut motivum; licet hoc genus dandæ pro beneficiis pecuniæ ſemper frequentiſſimum fuerit; quinimo his verbis concepta ſunt multa Eccleſiæ decreta, ut vanas illas argutias penitus elidant. Nunc enim generatim negant fas eſſe per pecuniam ad Eccleſiæ dignitates pervenire. „ Si quis (*inquit Canon apoſtolicus* 30.) Epiſcopus, „ aut Presbyter, aut Diaconus per pecunias hanc ob„ tinuerit dignitatem, dejiciatur „. Nunc generatim vetant, ne quis ad Eccleſiæ munia conſequenda aliquid offerat: „„ Si quis (*inquit Concilium Toletanum* 8.) pro percipienda dignitate *Quodlibet præmium* detectus fuerit obtuliſſe, ex eodem tempore anathematis ſe noverit opprobrio condemnatum „„. Nunc decernunt nullo prorſus modo in conferendis Eccleſiæ honoribus utilitatis terrenæ rationem irrepere debere. „„ In nulla ordinatione (*inquit S. Gregorius lib. 4. Epiſt.* 8.) Fraternitati veſtræ commoda *Quodlibet modo* ſurrepant, ne laqueis ſimoniacæ (quod abſit) hæreſeos alligetur „„. Concilium Toloſanum anno milleſimo quinquageſimo ſexto, Can. 1. „„ Si quis Epiſcoporum (*inquit*) accepta *Quocunque modo* pecunia ordinaverit Epiſcopum, Abbatem, Presbyte-

terum, Diaconum, aut quemcunque alium, qui numeratur inter Clericos, ipſe gradus ſui ſubjaceat periculo; & qui ſic ordinatur, nullum habeat fructum ex hujuſmodi mercimonio, ſed ſit alienus ejus dignitatis, & ordinis, quem per pecunias acquiſivit „„.

Denique *Innoc. III.* deteſtandas illas aſtutias, quibus ſimoniæ vitium palliatur, diſerte damnavit in Epiſtola ad Archiepiſcopum Cantuarienſem. „„ In tantum (*inquit*) peccatis exigentibus, corda quorumdam ſimoniaca pravitas depravavit, ut in exterminium canonicæ Sanctionis, & in eluſionem quodammodo divini judicii, lucris turpibus inhiantes, ac dicentes in corde ſuo: Non eſt Deus, ſimoniam ſub honeſto nomine pallient, quaſi mutato nomine, culpa transferatur, & pœna. Verum nec Deus, ſecundum Apoſtolum, irridetur, nec tales Simonis ſectatores, etſi temporalem in præſenti forſan eludant, in futuro pœnam effugient ſempiternam, cum nec honeſtas nominis malitiam palliabit, nec vox poterit abolere reatum „„.

Merito itaque ab Academia Lovanienſi anno milleſimo ſexcenteſimo quinquageſimo ſeptimo, a ſacra Facultate Pariſienſi die decima ſexta Julii anni milleſimi ſexcenteſimi quinquageſimi octavi in Cenſura Apologiæ Caſuiſtarum, a pleriſque Galliarum Epiſcopis in cenſuris pernicioſi ejuſdem libri, & ab *Alexandro VII.* & *Innocentio XI.* Pontificibus maximis damnatæ ſunt Propoſitiones ſequentes: Propoſitiones damnatæ.

„„ Non eſt contra juſtitiam beneficia eccleſiaſtica non conferre gratis, quia Collator, conferens illa beneficia eccleſiaſtica pecunia interveniente, non exigit illam pro collatione beneficii, ſed veluti pro emolumento temporali, quod tibi conferre non tenebatur „„. Quæ propoſitio 22. eſt inter eas, quas damnavit *Alexander VII.* die 24. Septembris anno 1665.

„„ Dare temporale pro ſpirituali, non eſt ſimonia, quando temporale non datur tanquam pretium, ſed duntaxat tanquam motivum conferendi, vel efficiendi ſpirituale, vel etiam quando temporale ſit

ſo-

solum gratuita compensatio pro spirituali, aut econtra „„.

„„ Et id quoque locum habet etiamsi temporale sit principale motivum dandi spirituale; imo etiamsi sit finis ipsius rei spiritualis, sic ut illud pluris æstimetur quam res spiritualis „„. Quæ Propositiones sunt 45. & 46. inter eas, quas damnavit *Innoc. XI.* die secunda Martii, anno 1679.

De his Propositionibus ita judicavit Clerus gallicanus in generali Conventu anni 1700. „„ Hæ Propositiones temerariæ sunt, scandalosæ, pernicioſæ, erroneæ; hæresim simoniacam, sacra Scriptura, Canonibus, & pontificiis Constitutionibus reprobatam, mutato tantum nomine, per fallacem mentis, sive intentionis directionem inducunt „„.

S. Thomas hac in materia moralis Christianæ corruptoribus non favet.

Perperam vero *S. Thomæ* suffragio damnatas illas Propositiones defendere quidam moliti sunt, his illius verbis freti in 4. *Sentent.* dist. 25. qu. 2. art. 2. Quæstiunc. 1. „ Sacramenta non possunt licite vendi, aut emi; quia pretium emptionis ponitur quasi „ mensura adæquans illud, quod emitur „. Qui enim totum loci hujus contextum expenderit, statim agnoscet, secundum *S. Thomæ* mentem vere vendi Sacramenta, seu quaslibet res alias spirituales, cum gratis non dantur, quamvis pecuniam, quam dat aliquis, vel recipit, non spectet, ut pretium rei spiritualis, nec ipsam cum re spirituali æquare velit. „„ Cum (*inquit*) Sacramenta contineant, & causent gratiam, non possunt licite vendi, aut emi propter tria; primo, quia dispensator Sacramenti non est dominus, sed minister; emptio autem debet fieri a domino rei. Secundo, quia pretium emptionis ponitur quasi mensura adæquans illud, quod emitur; gratia autem non potest commensurari alicui corporali bono. Unde injuriam gratiæ facit, qui Sacramenta gratiæ vendit, aut emit. Tertio, quia gratia ex hoc nomen accepit, quod gratis datur; unde contra rationem gratiæ facit, qui Sacramenta gratiæ quasi venalia tractat „„.

Præ-

Præterea *S. Thomas* qu. 3. art. 3. rotunde asserit: „ Quicunque pro aliquo temporali commodo dat ali„ quod spirituale, vel annexum, simoniam commit„ tit „. Nec discernendum innuit, an detur tanquam pretium rei spiritualis, vel motivum seu incitamentum flectens alicujus animum ad conferendam rem spiritualem, vel spirituali annexam.

Tertio, si ad simoniam juris divini necesse esset, ut quis rem temporalem rei spiritualis pretium esse crederet, aut pluris, vel tanti valere, ac rem spiritualem, simonia esse non posset absque hæresi proprie dicta. Sed non ita se res habet secundum *S. Thomam*, qui simoniacos proprie, & per se loquendo hæreticos esse negat: „ „ Cum non habeant falsam opinionem: *Sed hæreticos dici ait* propter similitudinem actus, quia ita operantur, ac si æstimarent donum Spiritus sancti pecunia posse dari, quæ æstimatio esset hæretica „ „.

Perperam etiam venerabili *Gersonio* Parisiensis Academiæ Cancellario damnatus error tribuitur in Tractatu *De Simonia*, cum ibi duplex simoniacæ pravitatis genus expresse distinguat, unum, quo temporale bonum, ut motivum principale spiritualis actionis spectatur; alterum, quo consideratur ut pretium rei spiritualis. Sic enim habet: „ „ Prima Propositio; finis principaliter intentus recipiendi temporalia pro ministratione spiritualium reddit hominem proprie simoniacum in foro conscientiæ, & ad Deum. Etsi hanc intentionem apertis ad extra monstret indiciis, censendus est in ecclesiastico foro simoniacus, vel de simonia vehementer suspectus „ „. Nec illis patrocinatur Gersonius.

Secunda Propositio: Finis principaliter intentus accipiendi temporalia pro administratione spiritualium, tanquam ibi sit adæquatio vera pretii ad pretium, sicut est in commutatione temporalium ad invicem, reddit hominem proprie simoniacum „ „.

Et infra: „ „ Resolvendo (*inquit*) materiam de simonia, possumus invenire distinctionem quadruplicem de intuitu, vel respectu commodi temporalis pro spi-

ſpirituali. Poteſt enim intuitus ferri ad temporale commodum, primo tanquam ad pretium rei ſpiritualis, quaſi ſit adæquatio valoris unius rei ad alteram, ſicut ineſt in emptione, & venditione civilibus. Poteſt ſecundo ferri intuitus ad commodum temporale, tanquam ad motivum principale dandi ſpiritualia, vel ad finem ultimum in quo conſiſtit intuitus ſpirituale conferentis. Poteſt tertio ferri intuitus commodi temporalis tanquam ad motivum minus principale, vel ad finem ſubordinatum ſub ultimo fine. Poteſt quarto ferri intuitus commodi temporalis, tanquam ad rem debitam jure divino pro ſuſtentatione illius, qui ſpiritualia adminiſtrat. Tunc ad propoſitum dicimus, quod primus intuitus, & ſecundus, ſunt vere ſimoniaci de jure divino, & humano „„ Tertium vero, & quartum intuitum a ſimoniæ labe puros eſſe docet; modo illud Apoſtoli obſervetur: *Ab omni ſpecie mala abſtinete vos*„.

1. Theſſal. 5. 22.

Datio, vel acceptio nummorum pro beneficiorum collatione ſimoniaca eſt, etiamſi pactio expreſſa non intercedat.

Neque etiam neceſſe eſt ad ſimoniæ pravitatem, ut pactio aliqua expreſſa intercedat; ſed datio, vel acceptio nummorum, abſque expreſſa pactione, ſimoniaca cenſetur. Unde can. *Salvator*, cauſa 1. qu. 3. *Urbanus II.* ait: „„ Quiſquis res eccleſiaſticas (quæ dona Dei ſunt, quoniam a Deo fidelibus, & a fidelibus Deo donantur, quæ ab eodem gratis accipiuntur, & ideo gratis dari debent) propter ſua lucra vendit, vel emit, cum eodem Simone donum Dei poſſideri pecunia exiſtimat. Ideo qui eaſdem res non ad hoc, ad quod inſtitutæ ſunt, ſed ad propria lucra munere linguæ, vel indebiti obſequii, vel pecuniæ largitur, vel adipiſcitur, ſimoniacus eſt, cum principalis intentio Simonis fuerit ſola pecuniæ avaritia „„.

Idem confirmat *B. Petrus Damiani*, Opuſculo 31. cap. 5. „„ Et quia (*inquit*) ſunt nonnulli, qui vel antequam conſecrationis exhibeant miniſterium, vel ante deciſum cauſæ negotium, nullum pacti ſunt commodum; poſtmodum vero tanquam a debitoribus exigunt, & extorquendis remunerationibus vehementer

ter

ter insistunt; hi se Giezi non dubitent crimen incurrere, qui postquam Naaman curatus est, jamque revertens, de dono sancti Spiritus ausus est pecuniam postulare. Et sicut ille non alia quam lepræ plaga percussus est, quæ homines removebat a castris, sic iste non levi, sed illius labe perfunditur criminis, quod ab Ecclesiæ separat Sacramentis „ „.

ARTICULUS III.

Quotuplex Simoniæ genus.

I. Simonia triplex est, mentalis, conventionalis, & realis. Mentalis est, quæ solo animi consensu perficitur absque ulla conventione expressa, vel tacita. Conventionalis est, qua expresse, vel tacite initur contractus super re spirituali vendenda, vel emenda, sed ille contractus non est executioni mandatus ab utraque parte; ut si emptor recepit quidem beneficium, sed pretium conventum non solvit; aut si vice versa pretium quidem solvit, sed beneficium non recepit. Realis est, in qua tria hæc concurrunt actu, scilicet pactio expressa, vel tacita de re temporali pro spirituali, solutio pretii, & receptio rei sacræ. Nec tamen necesse est ad simoniam realem, ut totum temporale, quod promissum est, sit solutum, vel totum spirituale, quod promissum est, sit traditum; sed sufficit ad completam simoniæ realis rationem, quod utrinque aliquid sit traditum. Simonia triplex.

II. Dividunt alii simoniam in eam, quæ divini, & eam, quæ ecclesiastici juris est. Prima (inquiunt) prohibita est, quia mala, ut emptiones, aut venditiones Sacramentorum, sacramentalium, excommunicationis, absolutionis, prophetiæ, prædicationis, beneficiorum, juris Patronatus. Altera mala est quia prohibita. Hujus generis simoniam esse volunt in permutatione beneficiorum absque superioris auctoritate; neque enim hic datur spirituale pro temporale, ut fit in simonia prioris generis; sed datur spirituale pro spirituali, quod non est ex se malum,

siquidem auctoritate superioris fieri potest; sed propterea malum est, quia per Ecclesiam est prohibitum cap. *Quæsitum*, & cap. *Cum olim*, Ext. *de Rerum permutatione.* Similem simoniam esse ajunt, quando beneficiorum præsentationes, collationes, possessiones, institutiones fiunt cum pacto, modo, vel conditione, per se forte non malis, sed tamen ab Ecclesia prohibitis, cap. *Accepimus*, & cap. *Pactiones*, Ext. *de Pactis.* Ad id genus pertinere volunt venditionem, & emptionem rerum aliquarum, quæ nihil spirituale continent; sed solum sunt officia ad temporalium Ecclesiæ administrationem instituta, ut Oeconomatus, Vicedominatus, advocatio, &c. Quorum venditionem velut simoniacam prohibent Concilium Chalcedonense, & Canon *Salvator*, causa 1. qu. 3.

Divisio simoniæ in eam, quæ divini, & eam, quæ sit ecclesiastici juris, Patribus, Conciliis, Pontificibus, & S. Thomæ, incognita.

Verum hæc divisio simoniæ veteribus Patribus, Conciliis, Pontificibus, ipsique *S. Thomæ*, incognita, aut saltem ab iis non probata, mihi non placet. Cum enim simonia sit studiosa voluntas emendi, vel vendendi aliquid spirituale, vel spirituali annexum, & res spirituales sint indebita venditionis materia, ob triplicem rationem ex jure naturali, & divino petitam, quam exponit *S. Thomas*; fieri non potest Ecclesiæ decreto, ut res spiritualis, vel spirituali annexa, vendatur, aut ematur absque violatione divini juris; quamvis Ecclesia pactiones quasdam, permutationes, aut venditiones, emptionesque, propter simoniæ speciem, aut periculum prohibere possit, justeque prohibeat sub iisdem pœnis, quæ in simoniacos latæ sunt. Unde recte *Silvius* in Secundam secundæ, qu. 100. art. 1. quæsito 2. ubi hanc simoniæ duplicis distinctionem explicuit: „„ Sunt quidem (*inquit*) auctores, qui divisionem allatam non approbant, existimantes nullam esse simoniam, quæ jure tantum humano prohibeatur. Verum discordia videtur esse de nomine; non enim asseritur, quod aliqua sit simonia, in quam proprie, & perfecte competat ratio simoniæ, & tamen solum prohi-

hibeatur jure humano ; ſed dicitur eſſe aliquod vitium habens ſimilitudinem , & participans imperfectam rationem ſimoniæ ; quod ideo vocatur ſimonia , non naturali , ſed poſitivo jure prohibita „ „.

Id venerabilis *Gerſonii* verbis Tract. *De Simonia*, Conſideratione 1. confirmatur. „ „ Plane (*inquit*) nulla eſt proprie ſimonia , niſi quia prohibita jure divino , ubi ſcilicet convenit contractus iſte rerum ſpiritualium pro re commenſurabili nummiſmate , do , ſi des , vel , do , ut des. Nihilominus apponitur in aliquibus contractibus non de ſe ſimoniacis pœna ſimoniæ; ubi verum eſt , quod hoc ideo dicitur ſimoniacum , quia lege humana prohibitum , ſicut aliquis punitur tanquam hæreticus præſumptione juris poſitivi , vel operis , qui veraciter eſt catholicus „ „. Sed de nomine litigare nolim , modo ea diſtinctione ſimoniæ duplicis , unius , quæ divino , alterius quæ eccleſiaſtico tantum jure prohibita ſit , ad laxiores hac in materia opiniones aſſerendas non abutantur , qui illam uſurpant.

III. Celebrior eſt diviſio ſimoniæ ratione ſimoniaci muneris , quod pro re ſpirituali datur , ſcilicet muneris *A manu*, *ab obſequio*, & *a lingua*. Munus a manu eſt pecunia , vel res quæcunque pecunia æſtimabilis. Munus ab obſequio eſt obſequium ab aliquo exhibitum ea lege , vel intentione , ut beneficium ipſi conferatur ; ut ſi quis Epiſcopi ſit Capellanus , ſeu (ut loquimur) eleemoſynarius , aut notarius , aliave ratione illi miniſtret abſque ſtipendiis , ea lege , vel pactione expreſſa , vel tacita , ſive ea ſpe , & intentione , ut ei beneficium tribuatur ; vel ipſi beneficium detur ea conditione , ut abſque ſtipendiis miniſtret ; vel ſi nobilis Patronus filiorum ſuorum præceptori , aut ſuorum negotiorum procuratori ſtipendii loco beneficium conferat , vel promittat. Munus a lingua eſt favor , adulatio , preces in gratiam alicujus , maxime indigni , factæ.

Simoniacum munus triplex , 1. a manu 2. ab obſequio 3. a lingua.

Hæc diviſio traditur can. *Salvator*, cauſa 1. qu. 3. ex *Urbano II.* eamque antea expoſuerat *S. Greg.*

Hom. 4. in Evangelia, ex qua refertur Can. *Sunt nonnulli*, causa 1. qu. 1. „„ Sunt nonnulli (*inquit*) qui quidem nummorum præmia ex ordinatione non accipiunt, sed tamen sacros Ordines pro humana gratia largiuntur; atque de largitate eadem laudis solummodo retributionem quærunt. Hi nimirum, quod gratis acceptum est, gratis non tribuunt; quia de impenso officio sanctitatis nummum expetunt favoris. Unde bene cum justum virum describeret Isa. 33. Propheta, ait: *Qui excutit manus suas ab omni munere.* Neque enim dicit; qui excutit manus suas a munere; sed adjunxit, *ab omni*; quia aliud est munus ab obsequio, aliud munus a manu, aliud munus a lingua. Munus quippe ab obsequio, est subjectio indebite impensa; munus a manu, pecunia est; munus a lingua, favor. Qui ergo sacros Ordines tribuit, tunc ab omni munere manus excutit, quando in divinis rebus non solum nullam pecuniam, sed etiam humanam gratiam non requirit „„. Totam hanc sententiam repetit Concilium Aquisgranense sub *Ludovico Pio* Imperatore Canone 38. Sed & ante *S. Gregorium* eam divisionem non obscure innuit *S. Hieron.* in cap. 1. Epist. ad *Titum*, ex quo refertur Can. *Moyses*, causa 8. qu. 1. Eamdem divisionem tradit *Greg. VII.* lib. 6. Regesti, Epist. 34.

Et *B. Petrus Damiani* Epist. 2. lib. 2. explicans eumdem Isaiæ locum: „„ Munus a manu (*inquit*) pecunia; munus ab obsequio, obedientia subjectionis; munus a lingua, favor adulationis. Et cum ab unoquoque horum manus excutiendas Propheta denuntiet, omnibus his manus implicasse convincitur, qui nanciscendæ dignitatis ambitu potestatem sublimium castra sectatur. Nam dum in vehiculis acquirendis, diversorumque sumptuum apparatibus, non modica summa profunditur, hic procul dubio datæ pecuniæ obnoxius invenitur; qui etiam nulli dubium, quin ei, & obsequium præbeat, cui factus assecla sub tanto laboris, & itineris fasce desudat. Postremo dum Domino suo blandiri, ejusque voluntati congruere

per

per omnia nititur, ſæpe ſibi quibuſdam adulatoris favoribus aſſentatur. Porro autem quiſquis in dandis, accipiendiſve dignitatibus eccleſiaſticis una duntaxat earum, quæ prædictæ ſunt, peſte corrumpitur, ſimoniacæ hæreſeos teneri crimine judicatur. Quam ergo ſui afferent excuſationem, qui licet verbis non contraxerint venalis pacta commercii, operatione tamen non uno, ſed omnibus his probantur laqueis irretiti? Verumtamen jactant ſe, & eo gloriantur innoxios, quia nullam talenti ſummam pro ſuſcipiendis honoribus ſe pepigere daturos. Sed dic mihi, o Clerice, quiſquis es, ſi redempto quolibet aureo vaſe, vel prædio, diſtractor exigeret, ut retenti apud te vice pretii hujuſmodi ſibi ſedulitatis impendium exhiberes, nunquid non poſtmodum conſtanter aſſereres, te, quod acceptum eſt, juſto pretio comparaſſe? Non videlicet, quia pecuniam perſolviſti, ſed quia ſervitium præbuiſti... Nequaquam ergo ſibi innocentiam ſpondeant, & a ſimoniacæ hæreſeos maculis ſe mundos eſſe confidant, qui licet metalla vibrantia non appendunt, pretium tamen pro ſuſcipiendis honoribus ſubjectionis, & obſequii, quædam quaſi talenta perſolvunt „„.

Eamdem ſimoniæ diviſionem explicat *S. Thomas*, in 4. *Sentent.*, diſt. 25. qu. 3. art. 3. „ „ Simonia (*inquit*) conſiſtit in emptione, & venditione ſpiritualium, vel eorum, quæ ſunt eis annexa. Emptio autem, vel venditio conſiſtit non ſolum in datione, & acceptione pecuniæ, ſed omnium eorum, quorum poteſt pretium nummiſmate menſurari. Omnis autem temporalis commodi pretium poteſt nummiſmate menſurari. Et ideo quicunque pro aliquo temporali commodo dat aliquod ſpirituale, vel annexum, ſimoniam committit. Bonum autem temporale, quod poteſt aliquis ab alio expectare, vel eſt ex parte animæ, ſicut amicitia, aut favor aliquis; & quantum ad hoc eſt munus a lingua; vel ex parte corporis, ſicut aliquis actus corporaliter exercitus; & quantum ad hoc eſt munus ab obſequio; ſicut obſequium ali-

quod exhibitum; vel eſt aliquid exteriorum bonorum; & ſic eſt munus a manu, quod conſiſtit in exterioribus bonis. Quantum ad primum, committitur ſimonia per munus a lingua; quia lingua opinionem exprimit, & gratiam conceptam; quantum ad ſecundum, per munus ab obſequio; quantum ad tertium, per munus a manu „ „.

Et Secunda ſecundæ, quæſtione centeſima, art. 5. „ „ Nomine (*inquit*) pecuniæ intelligitur cujuſcunque pretium, quod pecunia menſurari poteſt. Manifeſtum eſt autem, quod obſequium hominis ad aliquam utilitatem ordinatur, quæ poteſt pretio pecuniæ æſtimari. Unde, & pecuniaria mercede miniſtri conducuntur. Et ideo idem eſt, quod aliquis det rem ſpiritualem pro aliquo obſequio temporali exhibito, vel exhibendo, ac ſi daret pro pecunia data, vel promiſſa, qua illud obſequium æſtimari poſſet. Similiter etiam, quod aliquis ſatisfaciat precibus alicujus ad temporalem gratiam quærendam, ordinatur ad aliquam utilitatem, quæ poteſt pecuniæ pretio æſtimari. Et ideo ſicut contrahitur ſimonia accipiendo pecuniam, vel quamlibet aliam rem exteriorem, quod pertinet ad munus a manu; ita etiam contrahitur per munus a lingua, vel ab obſequio „ „.

Fruſtra vero quis objiceret, beneficium duo complecti, unum ſpirituale, aliud temporale; hoc pecunia æſtimari, & commutari poſſe, non illud; adeoque ſe pecunia, obſequio, vel precibus temporale duntaxat, non ſpirituale obtinere velle.

Spirituale & temporale beneficiis indivulſa, adeo ut unum ſine altero vendi non poſſit.

Iſta namque duo eſſe prorſus indivulſa, & inſeparabilia, nec flexu mentis fieri poſſe, ut unum vendatur alio non vendito docet *Paſchalis* Papa, Can. *Si quis objecerit*. Cauſa 1. qu. 3. „ „ Si quis objecerit, non conſecrationes emi, ſed res ipſas, quæ ex conſecratione proveniunt, penitus deſipere probatur; nam cum corporalis Eccleſia, aut Epiſcopus, aut Abbas, aut tale quid ſine corporalibus rebus in nullo proficiat, ſicut nec anima ſine corpore corporaliter vivit; quiſquis alterum vendit, ſine quo, nec alte-

alterum provenit, neutrum invenditum relinquit. Nullus igitur emat Ecclesiam, vel præbendam, vel aliquid ecclesiasticum; nec pastellum antea, vel postea pro hujusmodi solvat „„.

Hinc Remense Concilium anno 1583. „„ Illi (*inquit*) imprimis, & proprie habeantur, prout sunt, simoniaci, qui beneficia, resque spirituales pecunia comparant, vel conferunt, vel certe rebus, quæ pecunia æstimari queant. Nam eorum imprudentissimum prætextum detestamur, qui de solo proventu, reque temporaria se pacisci dicunt, cum ea spirituali tam arcto sit annexa vinculo, ut non magis una ab altera divelli queat, quam in homine vivo manente corpus a sua anima „„.

Hinc *B. Petrus Damiani* in Epist. ad *Alex. II.* Clericos schismaticos refellit, qui simoniam committi negabant emptione Episcopatus, aut alterius beneficii, quia „„ Non emi Sacerdotium, sed possessionem prædiorum obtendebant. Nam quemadmodum ille pater dicitur, ex cujus femore sola caro est egressa, non anima: sic ille proculdubio dicendus est mercator Ecclesiæ, qui per terrena, quæ redimit, ad honoris culmen ascendit, & per temporalis commercium lucri, emptor efficitur nihilominus Sacramenti „„.

Verum (inquies) Calix consecratus licite venditur, modo pretium non augeatur propter consecrationem, ut colligitur ex Can. *Hoc jus*, causa 10. qu. 2. & jus Patronatus transfertur per venditionem feudi cum juribus temporalibus, quibus est annexum, ut habetur cap. *Cum sæculum*, & cap. *De jure*. Ext. *De jure Patronatus*. Quidni ergo & fructus, seu proventus beneficii licite vendi possunt, re spirituali minime vendita?

Respondetur, id intercedere discriminis inter Calicem, & jus Patronatus ex una parte, & beneficium ex altera, quod venditio calicis, aut feudi, non cadat super consecrationem, aut jus Patronatus feudo adhærens, sed super vas ipsum materiale, aut

bona temporalia, quibus jus Patronatus adnexum eſt, & quorum Patronus dominium habet. At in venditione beneficii, venditio non caderet in fructus, quorum collator non eſt dominus, ſed merus diſpenſator. Nemo enim vendere poteſt id, cujus dominium non habet; caderet itaque pretium pro beneficio datum, & receptum in ipſam beneficii collationem, ſive inſtitutionem ad divinum miniſterium, quæ plane ſpiritualis eſt. Præterea, in temporalibus, quæ antecedenter ſpiritualibus ſunt annexa, ut calix ſacer, & feudum jus Patronatus conjunctum habens, res ſacra eſt quid acceſſorium, res autem temporalis eſt ipſum principale; *acceſſorium naturam ſequitur principalis*, ut habet Regula juris in ſexto. In temporalibus vero conſequenter adnexis rei ſpirituali, qualia ſunt beneficia, res ſacra eſt ipſum principale, & res temporalis eſt acceſſorium; ſiquidem beneficium non datur niſi propter officium. Unde beneficii proventus vendi non poſſunt, ſicut nec ipſum officium, ſeu miniſterium ſacrum. Ita rem explicat *S. Th.*, 2. 2. q. 102. ar. 4. „„ Aliquid (*inquit*) poteſt eſſe annexum ſpiritualibus dupliciter; uno modo, ſicut ex ſpiritualibus dependens; ſicut habere beneficia eccleſiaſtica dicitur ſpiritualibus annexum; quia non competit niſi habenti officium clericale; unde hujuſmodi nullo modo poſſunt eſſe ſine ſpiritualibus; & propter hoc ea nullo modo vendere licet; quia eis venditis, intelliguntur etiam ſpiritualia venditioni ſubjici. Quædam autem ſunt annexa ſpiritualibus, in quantum ad ſpiritualia ordinantur; ſicut jus Patronatus, quod ordinatur ad præſentandum Clericos ad eccleſiaſtica beneficia; & vaſa ſacra, quæ ordinantur ad Sacramentorum uſum; unde hujuſmodi non præſupponunt ſpiritualia, ſed magis ea ordine temporis præcedunt; & ideo aliquo modo vendi poſſunt, non autem in quantum ſunt ſpiritualibus annexa „„. *Et in reſponſione ad ſecundum*: „„ Vaſa ſacra (*inquit*) ſunt ſpiritualibus annexa ſicut fini; & ideo eorum conſecratio vendi

non

non poteſt; tamen pro neceſſitate Eccleſiæ, & pauperum materia eorum vendi poteſt „ „. *Et ad tertium*: „ „ Jus autem Patronatus per ſe vendi non poteſt, nec in feudum dari; ſed tranſit cum villa, quæ venditur, vel conceditur. Jus autem ſpirituale accipiendi decimas non conceditur Laicis, ſed tantummodo res temporales, quæ nomine decimæ dantur „ „. *Quod expreſſius dixerat qu.* 87. *art.* 3. „ „ Jus accipiendi decimas ſpirituale eſt; conſequitur enim illud debitum, quo miniſtris altaris debentur ſumptus de miniſterio, & quo ſeminantibus ſpiritualia debentur temporalia... Res autem, quæ nomine decimarum dantur, corporales ſunt „ „. Ita de beneficiorum fructibus dicendum; jus percipiendi fructus ſpirituale eſt, & ab officio ſacro, ſeu divino miniſterio indivulſum; ideoque vendi non poteſt; ipſi vero fructus corporales ſunt, puta, certa quantitas frumenti, vini olei, &c. Quamobrem licite vendi poſſunt ab eo, qui beneficium jure poſſidet; quamvis promitti non poſſint, vel toti, vel ex parte ei, qui beneficium confert, aut collationem procurat, vel alteri quem indicaverint; aut ab ipſo collatore reſervari. „ „ Si ab eo, cui beneficium confert, requirat aliquid ſibi exhiberi de fructibus illius beneficii; idem eſt, ac ſi aliquod munus ab eo exigeret; & non caret vitio ſimoniæ „ „ (inquit *S. Thomas*, Secunda ſecundæ, quæſtione 100. articulo 3. ad 3.)

Non eſt, quod opponatur, beneficiorum curam animarum non habentium, quæ ſimplicia vocantur, inſtitutionem, ſeu præbendarum aſſignationem, eſſe juris eccleſiaſtici, non divini, aut naturalis; adeoque divino juri, atque naturali non repugnare beneficiorum hujuſmodi venalitatem, ſed juri tantum eccleſiaſtico, ſicque approbante romano Pontifice licentiam evadere poſſe.

Scite namque reſpondet Cardinalis *Cajetanus*, Tomo 2. Opuſculorum Tractatu 9... Iſtud eſſe Sophiſma non cauſæ, ut cauſæ. Nam dependentia beneficiorum ſimplicium a jure eccleſiaſtico non eſt

causa, cur licite vendi possint, sed ipsorum spiritualitas. Res enim spirituales, quantumvis a jure ecclesiastico pendeant, sunt extra humanum commercium, nec vendi absque simonia possunt. Tales sunt consecrationes Altarium, Ecclesiarum, Calicum, Virginum, &c. quæ positivo quidem jure sunt institutæ, sed tamen vendi non possunt sine violatione divini juris, & religionis, quia spirituales sunt. Ut igitur vim aliquam haberet objectio, necesse esset probare titulum beneficii rem profanam esse, & mere temporalem, non vero esse quid ecclesiastico jure institutum. Ita quamvis episcopalis Ordo sit a Deo institutus, numerus tamen Episcoporum, & Episcopatuum erectiones, & diœcesum limites, sunt ecclesiastici juris. Nemo enim nescit Ecclesiam posse diœceses multiplicare, dividere, unire, limites arctare, vel proferre, novos Episcopatus inter barbaras nationes erigere; nec tamen Episcopatum ullum etiam noviſſime erectum vendi posse quis dixerit.

Hinc *S. Thomas*, in 4. *Sententiar.* dist. 25. qu. 1. art. 3. hanc sibi secundo loco proponit objectionem: „ „ Papa potest munus a manu suscipere pro aliquo spirituali; sed (ut quidam dicunt) Papa non potest committere simoniam, maxime cum aliqua persona ecclesiastica, quia res Ecclesiæ sunt suæ; ergo non semper committitur simonia per munus a manu „ „. *Quam objectionem sic diluit*: „ „ Ad secundum, dicendum, quod opinio illa erronea est; si enim Papa pro aliquo spirituali munus acciperet, simoniam committeret, sicut & alius homo; quia sub Petro, cui Papa succedit, simoniæ vitium damnationem inchoavit in novo Testamento. Et quamvis res Ecclesiæ sint aliquo modo Papæ, non tamen sunt ejus omnibus modis habendi, sicut illud, quod ad manum habet. Non est autem dubium, quod simoniam committeret, si quis aliquod spirituale debitori suo daret, ut, quod suum est, recuperaret; & ita etiam in proposito Papa a simonia non excusaretur, si

(quod

(quod abſit) ſpiritualia pro temporalibus rebus Eccleſiarum daret „ „.

Et 2. 2. q. 100. art. 1. in Reſponſione ad ſeptimam Objectionem; „ „ Papa (*inquit*) poteſt incurrere vitium ſimoniæ, ſicut & quilibet alius homo; peccatum enim tanto in aliqua perſona eſt gravius, quanto majorem obtinet locum. Quamvis enim res Eccleſiæ ſint ejus ut principalis diſpenſatoris, non tamen ſunt ejus ut domini, & poſſeſſoris. Et ideo ſi reciperet pro aliqua re ſpirituali pecuniam de redditibus Eccleſiæ alicujus, non careret vitio ſimoniæ. Et ſimiliter etiam poſſet ſimoniam committere recipiendo pecuniam ab aliquo Laico non de bonis Eccleſiæ „ „.

ARTICULUS IV.

Quæ ſint Simoniacorum pœnæ canonicæ.

Simoniaci excommunicationem incurrunt Sedi apoſtolicæ reſervatam.

I. Excommunicationem latæ ſententiæ, & ſuſpenſionem ab Ordinum executione, & beneficiorum adminiſtratione ſacri Canones, & Conſtitutiones ſummorum Pontificum decernunt in eos, qui ſimoniam commiſerunt in collatione, aut ſuſceptione Ordinum; excommunicationem pariter latæ ſententiæ in eos, qui beneficium eccleſiaſticum per ſimoniam alicui conferunt, vel procurant, vel ab alio recipiunt; cujus pœnæ remiſſio, ſive abſolutio ab hujuſmodi Cenſuris Sedi apoſtolicæ reſervata eſt, ſecundum Conſtitutionem *Martini V.* in Conc. Conſtantienſi editam, quæ incipit, *Multæ*, & *Pauli II.* quæ incipit *Cum deteſtabile*, inter Extravagantes communes, Tit. *De Simonia*, quam *Sixtus IV. Leo X.* in Conc. Lateran. 5. & *S. Pius V.* Conſtitutione, quæ incipit, *Cum primum*, confirmarunt. In ſimilem excommunicationem incurrunt, quicunque ſimoniam commiſerunt in ingreſſu religionis, tam dantes, quam accipientes, ſecundum Extravag. *Sane.* Tit. *de Simonia*; quæ eſt *Urbani V.* Quin & ipſi ſacrilegæ nundinationis in ordinationibus, collatione beneficiorum,

rum, & receptione ad religiosam professionem mediatores, & sequestri eadem excommunicatione percelluntur Canone 2. Concilii Chalcedonensis, & Constitutionibus *Pauli II.* & *Martini V.*

Simoniacæ collationes invalidæ.

II. Beneficii, aut pensionis ecclesiasticæ collatio simoniace facta, penitus invalida est; ideoque tenetur, qui beneficium illud, aut pensionem ita suscepit, illis se absolute abdicare, omnesque fructus a se perceptos restituere, sub animæ suæ periculo, secundum Extravag. *Cum detestabile a S. Pio V.* confirmatam. Idem docet *S. Thomas*, 2. 2. q. 100. art. 6. „„ Nullus (*inquit*) potest licite retinere id, quod contra voluntatem domini acquisivit; puta, si aliquis dispensator de rebus domini sui daret alienis contra voluntatem, & ordinationem domini sui, ille, qui acciperet, licite retinere non posset. Dominus autem, cujus Ecclesiarum Prælati sunt dispensatores, & ministri, ordinavit, ut spiritualia gratis darentur, secundum illud Matth. 10. *Gratis accepistis, gratis date*, & ideo, qui muneris interventu spiritualia quæcunque assequitur, ea licite retinere non potest „„.

Et in Responsione ad tertium: „„ Quod aliquis privetur, eo quod accepit, non solum est pœna peccati, sed etiam quandoque est effectus acquisitionis injustæ; puta, cum aliquis emit rem aliquam ab eo, qui vendere non potest. Et ideo si aliquis scienter, & propria sponte simoniace accipiat ordinem, vel ecclesiasticum beneficium, non solum privatur, eo quod accepit, ut scilicet careat executione ordinis, & beneficium resignet cum fructibus inde perceptis; sed etiam ulterius punitur, quia notatur infamia „„.

Conc. Rothomagense anno 1581. Tit. *De Episcoporum officiis*, §. 13. Singulis diebus Dominicis in Pronao, & in omnibus concionibus declarari jubet: „„ Vivere in perpetuo statu damnationis, jure & ipso facto excommunicari, nec facere fructus suos, sed teneri ad restitutionem, & tituli cessionem, quicun-

cunque pecunia, aut alterius rei temporariæ pretio expresso, vel tacito beneficium ecclesiasticum adipiscuntur, vel alteri procurant, & ab ecclesiasticis viris irregularitatem incurri, quoties in eodem statu celebrarint divinum Missæ officium. In confessionibus de simonia diligenter inquirendum, ac confitenti se aliquod beneficium pecunia, aut alia re temporali sibi, aut alteri comparasse, absolutionem (sicut de casu summo Pontifici reservato) nisi in mortis articulo denegari statuimus „„.

Idem esto de electionibus simoniacis judicium.

Non solum collatio simoniaca beneficii, sed electiones, postulationes, confirmationes, provisiones, seu quævis aliæ dispositiones omnino irritæ sunt, si labe simoniaca sint infectæ, nec per illos actus jus ullum ad beneficia, dignitates, & officia ecclesiastica acquiri potest. Unde si in aliquo illorum actuum simonia intervenerit, in manibus collatoris beneficium ejurare tenetur, qui ad illud promotus est, & fructus Ecclesiæ restituere, secundum *Pauli II.* Constitutionem supra laudatam.

Pœna simoniæ inhabilitas ad alia beneficia obtinenda.

III. Simoniaci præterea inhabiles redduntur ad alia beneficia imposterum obtinenda, ex Concil. Trid. Sess. 24. cap. 18. & *S. Pii V.* Constitutione; quem tamen incapacitatis obicem removet absolutio a romano Pontifice impetrata.

Pretium simoniacum restituendum est, etiam ante sententiam judicis.

IV. Denique simoniacus tenetur ad restituendum pretium simoniace acceptum, etiam ante sententiam judicis, secundum probabiliorem opinionem, cum pretium illud sit injuste quæsitum, nulloque jure illud retinere possit, qui accepit; siquidem nec res spiritualis vendi poterat, nec illius rei dominus erat. Idque colligitur ex *Alexandro III.* cap. *De hac*, & *Innoc. III.* cap. *Audivimus*, Ext. *De Simonia*; quorum primum sic habet: „„ Regem autem, & Principes ejus debes inducere, ut si quæ receperint a præfacto Episcopo, ut ejus electioni præberent assensum, Ecclesiæ Oxomensi sine diminutione restituant; cum ea sine gravi suæ salutis periculo retinere non possint „„. Cui porro fieri debeat simoniaci pretii restitutio, postea dicemus.

A R-

ARTICULUS V.

Regulæ morales ad solutionem quæstionum circa simoniam emergentium.

REGULA PRIMA.

Quamvis aliqua munera modici valoris sponte oblata post Ordinationem recipere non sit absolute simoniacum, id tamen Episcopis, & eorum ministris non licet, gravisque peccati rei essent, si aliquid, vel sponte oblatum reciperent.

Id absolute simoniacum non esse, constat ex Can. *Sicut Episcopum*, causa 1. qu. 2. qui ex romana Synodo sub *Gregorio VII.* sumptus est, sive ex lib. 4. illius Regesti, Epist. 44. „ „ Is autem (*inquit*) qui ordinatus fuerit, si non ex placito, neque exactus, neque petitus post acceptas chartas, & pallium, aliquid cuilibet ex Clero, & gratiæ tantummodo causa dare voluerit, accipi nullo modo prohibemus; quia ejus oblatio nullam culpæ maculam ingerit, quæ non ex ambientis petitione processit „ „.

Idem confirmatur ex cap. *Etsi quæstiones*, Ext. *de Simonia*, quod est *Alexandri III.* rescriptum ad Archiepiscopum Strigonienſem.

Nihilominus *Paschalis II.* Can. *Si quis objecerit*, causa 1. qu. 3. & *Innoc. II.* in Synodo romana Canone secundo, aliquid dari, sive ante, sive post Ordinationem, etiam consuetudinis prætextu prohibuerunt, eamque prohibitionem ad omnem Simoniæ speciem, & occasionem penitus excidendam confirmavit Conc. Trid. Sess. 21. cap. 1. de Reformatione: „ „ Quoniam (*inquit*) ab ecclesiastico ordine omnis avaritiæ suspicio abesse debet; nihil pro collatione quorumcunque Ordinum, etiam clericalis Tonsuræ, nec pro literis dimissoriis, aut testimonialibus, nec pro sigillo, nec alia quacunque de causa, etiam sponte oblatum, Episcopi & alii Ordinum collatores, aut eorum ministri, quovis prætextu accipiant „ „. Decretum istud saluberrimum amplexa sunt,

sunt, & promulgarunt Concilia pleraque post Tridentinum celebrata. Mediolanense 1. tit. *De his, quæ ad Ordinis administrationem pertinent*, Burdigalense 1. tit. *de Sacramento Ordinis*, Tolosanum anno 1590. &c.

REGULA II.

Simoniæ vitium incurrunt examinatores, si munus aliquod occasione examinis ad Ordines suscipiendos, aut ad beneficia, ante, vel post recipiant.

Cum enim in eos Episcopi circa sacros Ordines potissima cura transmittatur, & ex eorum integritate Clericorum optima designatio maxime pendeat: „„ Cavere debent, ne aut favoris gratia, aut cujuscunque muneris cupiditate illecti, a vero devient, ut indignum, & minus idoneum ad sacros gradus suscipiendos Episcopi manibus applicent; quod si fecerint, & illicite, qui indigne accessit, & illi, qui Spiritus sancti donum vendere conati sunt, coram Deo condemnati ecclesiastica dignitate carebunt „„. Verba sunt Concilii Nannetensis can. 11. ex quo refertur hoc Decretum can. *Quando*, dist. 24.

Id confirmat sacra Synodus Tridentina sess. 24. *De Reformatione*, cap. 18. „„. Caveantque (*inquit*) ne quidquam prorsus occasione hujus examinis, nec ante, nec post, accipiant; alioquin simoniæ vitium tam ipsi, quam alii dantes incurrant, a qua absolvi nequeant, nisi dimissis beneficiis, quæ quomodocunque antea obtinebant, & ad alia imposterum inhabiles reddantur „„.

Et Concilium Mediolanense 5. p. 3. tit. De examinandi ratione: „„ Nec vero item, qui examinatores adsciscuntur, examinis occasione unquam quidquam, ne esculenta quidem, poculentave capiant; qui contra fecerit, cum indignus deinceps censeatur, qui id muneris gerat, tum alia pœna arbitrio Episcopi afficiatur „„.

RE-

REGULA III.

Episcoporum notarii pro literis dimissoriis, aut testimonialibus Ordinum susceptorum, aut beneficiorum provisionibus, &c. nihil exigere possunt, nisi forte pro charta, & labore moderatum stipendium ipsis ab Episcopo secundum Synodi Tridentinæ decreta constitutum. Contraria, si quæ sit consuetudo, simoniacæ pravitati favet.

Hanc Regulam firmat *S. Gregorius*, in Synodo romana, ex qua refertur can. *Sicut*, causa 1. qu. 2. „ „ Antiquorum Patrum (*inquit*) Regulam sequens, nulli quidquam de Ordinationibus accipiendum esse constituo, neque ex traditione palii, neque ex traditione chartarum, &c. Quia enim in ordinando Episcopo Pontifex manum imponit, Evangelicam vero lectionem minister legit, Confirmationis autem ejus epistolam Notarius scribit; sicut Pontificem non decet manum, quam imponit, vendere, ita minister, vel Notarius ejus non debet in Ordinatione ejus vocem, vel calamum venundare. Ex quibus prædictis rebus si quis aliquid commodi appellatione exigere, vel petere forte præsumpserit, in districto Dei omnipotentis examine reatui subjacebit „ „.

Eadem verba sub *Urbani II.* in Concilio Melphitano nomine referuntur can. *Nullus*, causa 1. qu. 2. nec multum immutata leguntur in Synodo romana sub *Gregorio VII.* ex qua referuntur cap. *In ordinando*, Ext. *De Simonia*.

Conc. Palentinum auctoritate *Guilelmi* Sabinensis Episcopi Sedis apostolicæ Legati in Hispania celebratum sub *Joannis XXII.* Pontificatu, tit. *De Simonia*, ita ea de re decernit: „ „ Ordinati, si post receptionem ordinis pro scriptura, labore, charta, & cera aliquid offerre voluerint, hoc accipi minime prohibetur; ita tamen, quod hæc gratuita oblatio summam quinque Marabetinorum usualis monetæ aliquatenus non excedat; a pauperibus autem, aut nihil, aut minus accipiat pro prædictis... Nec Notarius,

rius, seu scriptor quidquam nisi moderatum exigat pro collationis litera, & sigillo „ „.

Conc. denique Trid. sess. 21. *De Reform.* cap. 1. antiquorum Patrum exempla servari, & decreta in usu esse optavit, laudabilem consuetudinem vocans, cum notarii nihil acciperent, sed eis pro officio exercendo salarium constitutum esset, vel e publico, vel ab Episcopo, nihilque supra decimam aurei partem, nequidem gratis oblatum pro literis dimissoriis, aut testimonialibus accipere eis quovis prætextu permisit. „ „ Notarii vero in iis tantum locis, in quibus non viget laudabilis consuetudo nihil accipiendi, pro singulis literis dimissoriis, aut testimonialibus decimam tantum unius aurei partem accipere possint, dummodo eis nullum salarium sit constitutum pro officio exercendo; nec Episcopo ex notarii commodis aliquod emolumentum ex eisdem ordinum collationibus directe, vel indirecte provenire possit. Tunc enim gratis operam suam eos omnino præstare teneri decernit; contrarias taxas, ac statuta, & consuetudines etiam immemorabiles quorumcunque locorum, quæ potius abusus, & corruptela simoniacæ pravitatis faventes nuncupari possunt, penitus cassando, & interdicendo; & qui secus fecerint, tam dantes, quam accipientes, ultra divinam ultionem, pœnas a jure inflictas ipso facto incurrant „ „.

Conc Trident Decretum de notariis Episcoporum.

Idem lege civili in Galliis constitutum est, Edicti Blesens. art. 20.

REGULA IV.

Nulla statuta, aut consuetudines a simoniaca pravitate purgant, quæ in institutionibus, collationibus, confirmationibus, vel aliis provisionibus, aut admissionibus ad possessionem beneficiorum exiguntur.

Hæc Regula nititur Canone Conc. Lateran. sub *Innoc. III.* ex quo refertur cap. *Sicut*, Ext *de*

Simonia, cujus hæc ſunt verba: „„ Sicut pro certo didicimus, in pleriſque locis, a pleriſque perſonis, quaſi columbas templi vendentibus, fiunt exactiones, & extorſiones turpes, & pravæ pro conſecrationibus Epiſcoporum, benedictionibus Abbatum, & Ordinibus Clericorum; eſtque taxatum quantum ſit iſti, vel illi, quantumve alteri, vel alii perſolvendum; & ad cumulum majoris damnationis quidam cupiditatem, & pravitatem hujuſmodi nituntur defendere per conſuetudinem longo tempore obſervatam. Tantum igitur abolere volentes abuſum, conſuetudinem hujuſmodi, quæ magis dicenda eſt corruptela, penitus reprobamus, ſimiliter ſtatuentes, ut pro his, ſive conferendis, ſive collatis, nemo aliquid quocunque prætextu exigere, aut extorquere præſumat „„.

Simile Decretum ediderat anterius Conc. Lateran. ſub *Alex. III.* ex quo refertur cap. *Cum in Eccleſia*, Ext. *De Simonia*, cujus hæc ſunt verba: „„ Horribile nimis eſt, quod in quibuſdam Eccleſiis locum venalitas perhibetur habere; ita ut pro Epiſcopis, vel Abbatibus, vel quibuſcunque perſonis eccleſiaſticis in Sedem, ſeu introducendis Presbyteris in Eccleſiam... ſeu aliis Sacramentis, aliquid requiratur. Putant autem plures ex hoc licere, quia legem moris de longa invaluiſſe conſuetudine arbitrantur; non attendentes, quod tanto graviora ſunt crimina, quanto diutius infelicem animam tenuerunt alligatam; ne igitur hæc de cætero fiant, vel pro perſonis eccleſiaſticis deducendis in Sedem, vel Sacerdotibus inſtituendis... ſeu aliis Sacramentis conferendis, ſeu collatis aliquid exigatur, diſtrictius prohibemus. Si quis autem contra hoc venire præſumpſerit, portionem cum Giezi ſe noverit habiturum „„.

Rurſus *Innoc. III.* cap. *In tantum.* Ext. *De Simonia.* Cantuarienſi Archiepiſcopo ſcribit, ut „„ Pravam illam conſuetudinem de ſua provincia ſtudeat abolere, per quam pro Eccleſiarum inveſtitura Archidiaconi marcam argenti; minores vero Decani

vac-

vaccam albam sibi dari postulant, vel certam solvi pecuniæ quantitatem „ „.

Eamdem Regulam confirmat S. Synodus Trid. sess. 24. *De Reform.* cap. 14. „ „ In pluribus (*inquit*) Ecclesiis, tam cathedralibus, quam collegiatis, & parochialibus, ex earum constitutionibus, aut ex prava consuetudine observari intelligitur, ut in electione, præsentatione, nominatione, institutione, confirmatione, collatione, vel alia provisione, sive admissione ad possessionem alicujus cathedralis Ecclesiæ, vel beneficii canonicatuum, aut præbendarum, vel partem proventuum, seu ad distributiones quotidianas, certæ conditiones, seu deductiones ex fructibus, solutiones, promissiones, compositionesve illicitæ, aut etiam, quæ in aliquibus Ecclesiis dicuntur Turnorum lucra, interponantur; hæc cum S. Synodus detestetur, mandat Episcopis, ut quæcunque hujusmodi in usus pios non convertuntur, atque ingressus eos, qui simoniacæ labis, aut sordidæ avaritiæ suspicionem habent, fieri non permittant; ipsique diligenter de eorum constitutionibus, sive consuetudinibus super prædictis cognoscant, & illis tantum, quas ut laudabile probaverint, exceptis, reliqua ut pravas, ac scandalosas rejiciant, & aboleant. Eos vero, qui adversus hæc in præsenti Decreto comprehensa, quavis ratione commiserint, pœnis contra simoniacos editis, sacris Canonibus, & variis summorum Pontificum constitutionibus, quas omnes innovat, teneri decernit; non obstantibus quibuscunque statutis, constitutionibus, consuetudinibus etiam immemorabilibus, etiam apostolica auctoritate confirmatis; de quorum surreptione, obreptione, & intentionis defectu Episcopus tanquam apostolicæ Sedis delegatus, cognoscere possit „ „.

Et Conc. Remense anno 1583. „ „ Rerum exactio, quæ pro Canonicorum, & aliorum beneficiariorum ingressu in plerisque locis suspicione simoniæ, vel sordidæ avaritiæ non caret, fieri nullo modo permittatur. Quamvis laudabiles consuetudines in Con-

cilio Tridentino non damnatas approbemus eorum; quæ in pios usus conferre solent „ „.

REGULA V.

Fundatio, vel dotatio canonicatus, alteriusve beneficii a Clerico, eo pacto, ut illud sibi conferatur, vel ut illud cum altero beneficio sibi permutare liceat, simoniaca est.

Hæc Regula nititur cap. *Sua nos*, Ext. *De Simonia*, quod *Innoc. III.* responsum est Decano Bellovacensi datum: „ „ Si quis Clericus (*inquit*) cum conditione, vel pacto largiatur, aut offerat bona sua, ut illa postmodum pro præbenda retineat, & in Canonicum admittatur; hujusmodi oblatio, vel receptio fieri non poterit sine vitio simoniæ; cum in talibus omnis pactio, aut conventio cessare debeat; juxta canonicas sanctiones. Si vero pure, ac sine pacto, vel conditione qualibet offerat, rogans humiliter, ut in Canonicum admittatur, & bona sua retinere sibi liceat pro præbenda & Clerici ejusdem Ecclesiæ pure consentiant, hujusmodi receptio fieri poterit absque scrupulo simoniacæ pravitatis. Licet autem taliter duximus respondendum, quia nobis datum est de manifestis tantummodo judicare; si tamen is, qui talem donationem facit, ea intentione ducatur, ut per temporalia bona, quæ offert, spiritualia valeat adipisci; & Clerici, qui eum in fratrem admittunt, non essent eum, nisi commoda temporalia perciperent, admissuri; sine dubio tam ille, quam isti, apud districtum judicem, qui scrutator est cordium, & cognitor secretorum, culpabiles judicantur. „ „.

REGULA VI.

Simoniæ reus est, quisquis confert alteri beneficium ea conditione, vel pacto, ut ille sibi, aut alteri aliud beneficium conferat.

Hæc

Hæc Regula nititur c. *Quæsitum*, quod responsum est *Urbani III.* Ext. *De Rerum permutatione*, quo beneficiorum, quæ privata auctoritate fiunt, permutationes pactione præmissa, velut simoniacæ damnantur. „ „ Generaliter itaque teneas (*inquit*) quod commutationes præbendarum de jure fieri non possunt, præsertim pactione præmissa, quæ circa spiritualia, vel connexa spiritualibus labem semper continet simoniæ „ „.

Et cap. *Pactiones*, Ext. *De Pactis*, quod est Gregorii IX. „ „ Pactiones factæ a vobis pro quibusdam spiritualibus obtinendis, cum in hujusmodi omnis pactio, omnisque conventio debeat omnino cessare, nullius penitus sunt momenti „ „.

Et Concilii Remensis a *Gregorio XIII.* approbati Decreto, cujus hæc sunt verba: „ „ Si quis aliud beneficium in compensationem collationis etiam alteri conferendum exigat, vel aliam quamlibet pactionem a Sede romana non approbatam fecerit, simoniacus esse censeatur „ „.

Hinc *S. Th.* 2. 2. q. 100. art. 1. ad 5. „ „ Nomine (*inquit*) emptionis, & venditionis intelligitur omnis contractus non gratuitus. Unde nec permutatio præbendarum, vel ecclesiasticorum beneficiorum fieri potest auctoritate partium absque periculo simoniæ, sicut nec transactio, ut jura determinant. *Et in* 4. *Sententiarum*, *dist.* 25. *qu.* 3. *art.* 3. *ad* 8. In permutatione (*inquit*) est simonia, si pro aliquo terreno commodo utriusque, vel alterius, talis commutatio fiat „ „.

REGULA VII.

Simoniæ rei sunt, qui dum beneficium resignant sub annuæ pensionis onere, de illa ipsa pensione redimenda paciscuntur, vel eam extinguunt conferendo, aut procurando beneficium ecclesiasticum.

Cum enim pensiones rei cujusdam temporalis naturam induant, utpote quæ cum licentia sum-

mi Pontificis redimi possunt & cum pensionis extinctio sit commodum temporale illius, qui ad ejus solutionem tenetur; pactio de pensione redimenda in beneficii resignatione sub pensionis onere interveniens, aut conventio de beneficio conferendo, aut procurando cum pacto, & conditione expressa, vel tacita, ut pensio extincta maneat, æquivalet pacto, aut conventioni de re spirituali conferenda pro temporali.

Resignationes simoniacæ.

Quamobrem Concilium Rothomagense an. 1581. tit. *De Episcoporum officiis*, §. 17. ita statuit: „„ Resignationes quorumcunque beneficiorum, cum retentione fructuum vel pensione, quæ postea ab his, qui resignationes illas acceptaverint, præfertim pretio, sine Sedis apostolicæ auctoritate redimitur, pro simoniacis habendas judicamus. Præterquam enim, quod mentalem saltem simoniam, aut etiam pactum illicitum antecessisse frequentius deprehenditur, experientia docet, hoc unum esse velamen ad contegendam simoniæ turpitudinem, & malitiam.

REGULA VIII.

Pensiones quælibet absque Sedis apostolicæ auctoritate super beneficiis constitutæ ab iis, qui ipsa resignant, simoniacæ censentur.

Hanc Regulam tradit Concilium Rothomagense mox laudatum: „„ Omnes (*inquit*) pensiones, pactiones super beneficiis, in quibus non intervenit Sedis apostolicæ approbatio, illicitas, & simoniacas declaramus „„.

Et Concilium Remense anno 1583. „„ Si quis beneficium propter obsequium, vel impensæ servitutis mercedem conferat, vel de retinenda pensione sibi, vel alteri paciscatur. vel aliam quamlibet pactionem a Sede romana non approbatam fecerit, simoniacus esse censeatur „„.

Solus autem resignationis titulus non est ratio legitima, & canonica pensionis imponendæ, ut supe-

perius a nobis probatum est; quia beneficiarius post renuntiationem nihil juris habet, vel ad minimam partem fructuum beneficii, quod dimittit; ipsa vero renuntiatione nullum jus ad fructus acquirit. Tenetur enim vel rite ministrare, ut fructibus potiatur; vel si beneficio cedere velit, gratis cedere tenetur, nisi titulum proferat aliquem, quo portionem fructuum retinere possit, puta paupertatem, nimiumque dispendium ex renuntiatione proveniens, quia scilicet, nec aliunde ex Ecclesiæ bonis, neque ex patrimonio proventum habet, qui ad honestam sustentationem sufficiat. Si vero nullum hujusmodi titulum vere proferre possit, & tamen fructuum partem sibi securam velit, vel pro pretio beneficii id depoſcit, est simoniacus coram Deo, etiamsi pontificiam dispensationem obreptitie impetratam ostendat.

REGULA IX.

Resignationes incognitis, & obscuris hominibus factæ, de simonia vehementer suspectæ sunt, nec ab Ordinario facile admitti debent.

Hanc Regulam tradit idem Concilium Rothomagense „ „ Resignationes (*inquit*) factæ prius incognitis, aut his, quos nulla virtus, aut singularis eruditio, aut alia honesta causa commendat, suspectæ de simonia redduntur, præsertim si quid illicite actum fama proclamet. Tales igitur resignationes non debent ab Ordinario absque purgatione canonica, ex Decreto Innocentii III. renovato, cum de Canonicis cathedralium Ecclesiarum tractatum est, admitti „ „. Innoc. III. c. Quoties &c. Inter solicitudines, Ext. de purgatione canonica.

REGULA X.

Simoniæ reus est, qui beneficium resignat ea conditione, ut resignatarius emat bona, vel immobilia, vel mobilia, eo præsertim pretio, quod ipse ultra legitimam æstimationem præfixerit; vel ex lege, ut expensas restituat, quas ad instauran-

das, vel amplificandas ædes ſacerdotales fecit. Ejuſdem criminis reus eſt, qui ea pactione, & conditione beneficium obtinet.

REGULA XI.

Simoniæ rei ſunt, qui mutuo dant pecuniam, aut locant ædes, aut prius mutuo datum, commodatum, locatum, aut quomodocunque debitum remittunt, aut relaxant, ea conditione, & pactione, tacita, vel expreſſa, vel ea intentione, ut ipſis beneficium conferatur; vel qui beneficium accipiunt, cum pacto expreſſo, vel tacito debitum proprium, vel alienum remittendi. Idemque judicium eſto de illis, qui ſimili conditione, vel intentione beneficium conferunt, aut procurant.

REGULA XII.

Simoniæ rei ſunt Clerici, qui clericalis Status pertæſi, ad nuptias convolant, & beneficia ſua futuræ conjugis fratri, aut nepoti reſignant, aut conferri procurant, eo pacto expreſſo, aut tacito, ut puellæ dos augeatur. Simoniacus pariter eſt, qui confert alicui beneficium, aut reſignat, ut ſoror, vel neptis ejus fratri, vel nepoti collatoris, aut reſignantis nubat.

In caſibus enim, qui proximis tribus Regulis exponuntur, vel pecunia, vel commodum aliquod temporale pretio æſtimandum, pro re ſpirituali promittitur, datur, recipitur; nec gratis datur beneficium, ſed ſub pacto oneroſo, quod cedit in temporalem conferentis, aut reſignantis utilitatem; quod ad ſimoniacam nundinationem pertinere minime dubium eſt. Hinc Mediolanenſe Concilium 1. ſub *S. Carolo*, in juramento ad purgandam ſimoniam beneficiariis præſcripto, nullos ex iſtis caſibus complectitur. „„ Neminem (*inquit*) vel præſentatum, vel nominatum, vel electum, vel ab inferioribus proviſum prius admittant, aut inſtituant Epiſcopi, quam in-

infra ſcriptum jusjurandum ab eo exegerint. Ego Præſentatus, vel Electus, &c. ad beneficium N. juro per ſacroſancta Dei Evangelia, quæ meis manibus tango, neque me beneficii obtinendi cauſa, aut ut ad id præſentaret, vel nominarer, &c. neque quemquam alium meo nomine, aut conſentiente, vel ſciente me, quidquam collatori, Patrono, ſeu alii cuiquam ea de cauſa promiſiſſe, aut dediſſe, aut compenſaſſe, aut prius datum confirmaſſe, vel apud quemquam depoſuiſſe; neque mutuo dediſſe, vel locaſſe; vel prius mutuo datum, commodatum, locatum, aut quocunque modo debitum remiſiſſe, aut relaxaſſe; nec de domibus, terris, prædiis, redditibus ejus Eccleſiæ, fructibuſve decimis, aut oblationibus ejuſdem præteritis, præſentibus, aut futuris, donationem, remiſſionem, locationemve feciſſe, promiſiſſe, aut iniviſſe, aut alium, mandante, vel conſentiente me, promiſiſſe, feciſſe, aut iniviſſe. Ita me Deus adjuvet, & hæc ſancta Dei Evangelia „„.

REGULA XIII.

Simoniæ reus eſt Patronus, qui aliquem ad beneficium præſentat ea lege, ut decimas a ſe, vel ab alio non exigat.

Hæc Regula nititur cap. *Veniens*, quod eſt *Alexandri III.* Reſponſum, Ext. *De Teſtibus, & atteſtationibus*, quo ſimoniæ damnatur Presbyter: „„ Qui promiſerat unicuique Parochianorum quinque barilos vini remittere, qui Sacerdoti ibi pro tempore ſervienti conſueverant pro beneficio dari „„. Simonia Patronorum.

REGULA XIV.

Simoniæ rei ſunt, qui renuntiant liti ſuper beneficio, aliquod temporale, etiam expenſarum nomine exigentes; aut qui reſignant beneficium, cum onere reſtituendi expenſas, quas in eo acquirendo fecerunt.

Nititur hæc Regula c. *Cumpridem*, Ext. *De pactis*, quod eſt *Alexandri III.* reſponſum. „„ Cum Cle- Simonia liti dubiæ ſuper benefi.

eio renuntiatis.

Clericus (*inquit*) & Monachi pro causa, quæ inter eos vertebatur super Ecclesia, & Capella ad nostram præsentiam accessissent, inter se convenerunt, quod eidem Clerico pro expensis, quas fecerat, tres marchæ argenti solverentur, & idem liti cederet. Cumque compositionem ipsam auctoritate apostolica peterent confirmari, nos eam non duximus admittendam, pro eo, quod videbatur pravam illicitæ pactionis speciem continere „ „.

Certe *Simonia est pecunia parare sibi viam ad rem spiritualem obtinendam* (inquit *S. Th.* 2. 2. qu. 100. art. 2. ad 5.) Ille porro, cui resignatur beneficium cum onere restituendi expensas in ejus acquisitione factas, pecunia parat sibi viam ad beneficium obtinendum; siquidem ipsi beneficium non resignaretur, nisi pecuniam daret; simoniæ itaque reus est.

REGULA XV.

Simoniam incurrunt, qui ex pacto ad finiendam litem dubiam ob aliquod beneficium intentatam, dant, vel accipiunt pecuniam, aut aliquod pretio æstimandum. Ejusdem sunt criminis rei, qui de quocunque spirituali jure transigunt.

Ita declaravit *Alexander III.* c. *Super eo*, Ext. *De Transactionibus*, cujus hæc sunt verba: „„ Super eo, quod quæsivisti, utrum de ecclesiastico beneficio in litigium deducto possit fieri transactio; tale damus responsum: Quod transigi super re sacra, & litigiosa non potest. Etenim res sacræ, ut possideantur, aliquo dato, vel retento, sive promisso, speciem credimus habere simoniæ „„.

Idem confirmatur ex c. *Constitutus*, eodem titulo, quod ejusdem Pontificis resp. est. „„ Constitutus (*inquit*) in nostra præsentia G. Clericus sua nobis assertione monstravit, quod cum inter ipsum, & A. Clericum super Capella de Stratis controversia emersisset, tandem per transactionem sopita fuit; & licet hinc inde fide præstita firmata fuisset, eam ta-

men

men præfatus A. ſervare recuſat. Quia igitur hujuſmodi tranſactiones ſpeciem continent ſimoniæ, mandamus, quatenus revocata tranſactione in irritum, cauſam audiatis „ „.

Idem confirmatur ex c. *Præterea*, eodem Decretalium titulo. Monaſterium quoddam, ſeu Cella eximi voluit a ſubjectione, qua Eccleſiæ matrici, ſive principali domui tenebatur. Oblato libello, & litecontestata, Fratres illius monaſterii confeſſi ſunt, ſe olim Eccleſiæ matrici fuiſſe ſubjectos, & quæſtionem de hac ſubjectione olim motam, & tranſactione ſopitam fuiſſe: „ Eatenus, ut quemdam annuum cen„ ſum Eccleſiæ matrici reddendo, eſſent a ſubjectione „ principalis Domus exempti „. Prior pro majori Eccleſia proponebat: *Quod de ſpirituali ſubjectione tranſigere non liceret.* Reſpondet *Cœleſtinus III.* ferendam contra Fratres ſententiam; & nulla habita ratione tranſactionis, Cellam Eccleſiæ matrici, ſive principali Domui ſubjectam manere debere: *Cum illa tranſactio iniquitatem ſimoniacam continuiſſe putetur.*

REGULA XVI.

Simonia eſt, redimendæ vexationis ſpecie, pecunias dare, ut removeantur impedimenta, quibus aliquis prohibetur, aut retardatur a conſecutione beneficii, in quo nullum jus habet. Poſtquam vero jus acquiſitum eſt, licet per pecuniam injuſta impedimenta removere.

Pecuniam dare vexationis redimendæ cauſa non licet niſi illi, qui jus acquiſitum, & indubitatum habet ad beneficium.

Primam hujus Regulæ Propoſitionem firmavit auctoritate ſua *Lucius III.* c. *Matthæum*, Ext. *De Simonia*, cujus hæc ſunt verba: „ „ Cum fuiſſes ad Eccleſiæ tuæ regimen de voluntate majoris partis Fratrum electus, paucis tibi contradicentibus; quidam amicus tuus de conſcientia tua, & voluntate turbata, ei, qui magiſter diſcordiæ videbatur, certæ quantitatis munus exſolvit, & ſic contradictio conquievit. Nunc autem dubitas, quod non ſis a labe ſimoniæ prorſus immunis, donec in adminiſtratione

volueris remanere. Quia igitur consilium requisisti, quid tibi sit faciendum; respondemus, quod tibi multum consulis, si administrationem celeriter, ac sponte dimittas, illius verbi memor existens: *Nihil prodest homini, si universum mundum lucretur, animæ vero suæ detrimentum patiatur* „ „. Neque vero, merum consilium hic dari putes, ut cedat beneficio, vel ecclesiasticæ dignitati, aut muneri, qui pecuniam dedit, aut dari consensit antequam per institutionem canonicam, aut confirmationem jus in eo haberet, quia Pontifex utitur eo verbo, *Consulis*. Ideo enim eo usus est (ut observat Glossa.) „ „ Quia peccatum occultum erat, unde illum expresse non poterat prohibere, nisi consulendo. Et licet dicatur, *Consulis*, necessitatem tamen importat, si vult salvari, quia nisi renuntiet, salvari non potest „ „.

Mat. 16.

Alias specie redimendæ vexationis pecuniam dare, vel offerre simonia est.

Idem confirmat *S. Th.* simul & secundam Regulæ Propositionem, 2. 2. q. 100. art. 2. ad 5. „ „ Antequam (*inquit*) alicui acquiratur jus in Episcopatu, vel quacunque dignitate, vel præbenda, per electionem, vel provisionem, seu collationem, simoniacum esset adversantium obstacula pecunia redimere; sic enim per pecuniam pararet sibi viam ad rem spiritualem obtinendam. Sed postquam jus alicui jam acquisitum est, licet per pecuniam injusta impedimenta removere „ „. Quamobrem Jacob non peccasse respondet; cum primogeniti jura emisse visus est ab Esau, quamvis ille peccaverit vendens, quia „ Jus primogenituræ debebatur Jacob ex divina ele- „ ctione, & suam vexationem redemisse intelligitur „.

Et in 4 *Sententiar.* dist. 25. qu. 3. art. 2. qu. 1. ad septimum: „ „ Si (*inquit*) non est sibi acquisitum jus per electionem, nullo modo potest pecuniam dare adversario, ut desistat; si autem est ei acquisitum jus, quod aliquid dare, non ut pretium prælationis, sed ut redemptionem vexationis propriæ „ „. Justam tamen vexationem redimere non licet, ut si juste accusaretur, (inquit *S. Antoninus* part. 2. tit. 1. cap. 4. §. 2.)

Justam vexationem redimere non licet.

§. 2.) Idem docet *S. Raymundus* lib. 1. tit. 1. *de Simonia*, §. 20.

Quod autem ad redimendam injuſtam vexationem pecuniam dare poſſit, qui certum jus habet in beneficio, abſque ſimoniæ nota, imo abſque peccato; ſed tamen injuſte recipiat ille, qui vexat, adeoque ad reſtitutionem teneatur, maxime ſi a vexatione non deſtiterit, etiam accepta pecunia, colligitur ex cap. *Dilectus filius*, 1. Ext. *De Simonia*, quod eſt *Cæleſtini III.* Reſponſum. „„ Dilectus filius R. Præpoſitus nobis expoſuit, quod cum Eboracenſis Archidiaconus eum multis gravaminibus afficere non ceſſaret, promiſit ei certam quantitatem pecuniæ ſe daturum, ut ab ipſius deſiſteret læſione; verum dictus Archidiaconus poſt receptionem pecuniæ, ſuper dignitatibus & beneficiis ejus, ab ejus moleſtia non quievit. Ideoque diſcretioni veſtræ mandamus, quatenus ſi res ita ſe habet, Archidiaconum reſtituere, quod accepit, (ſi eum contra promiſſionem ſuam veniſſe conſtiterit) compellatis „„. Verba parentheſi incluſa ſic Gloſſa exponit, ut ſupplendum ſit, maxime: „ Quia ſi conſtiterit, quod injuſte acceperit, compelleretur ad reſtituendum, & crimine concuſſionis puniretur „ „.

Ad reſtitutionem tenetur, qui pecuniam accepit, ut ab injuſta vexatione deſiſteret.

In hac denique redimendæ vexationis ſpecie obſervare convenit Regulam a Concilio Mediolanenſi 1. ſub *S. Carolo Borromæo* traditam, tit. quæ pertinent ad collationem beneficiorum: „„ Ne (*inquit*) redimendæ vexationis ſpecie in cauſis beneficiorum ſimoniacæ pactiones intercedant, nemini licere volumus ad redimendam vexationem, ne in caſibus quidem jure permiſſis, pecuniam dare, quidquam ve paciſci, aut tranſigere; niſi Epiſcopi conſenſus acceſſerit, cujus partes erunt, & perſpicere diligenter an ſubſit aliqua fraus; & ubi rem fraude carere, & jure permiſſam eſſe cognoverit, non denegare ei, qui petierit, facultatem ſe a vexatione liberandi. Qui contra quam decretum a nobis eſt, fecerit, Epiſcopi ar-

Ad juſtam vexationem hac in materia redimendam, obtinendus Epiſcopi conſenſus.

arbitrio plectatur, & quod actum fuerit, irritum sit; ac nullum „ „.

REGULA XVII.

Litigantes super alicujus beneficii possessorio inter se convenire absque simonia non possunt, ut pacis causa beneficium alter, pensionem alter super beneficio habeat.

Collitigantium super beneficii possessorio conventiones simoniacæ.

Hujusmodi enim pensiones sedandæ litis causa tunc solum tolerantur, & a simoniæ labe sunt immunes, quando constituuntur: *Non ex pactione partium, sed ex justione judicum, pro bono pacis, & utilitatis*, (non privatorum, sed Ecclesiæ,) illisque non beneficium, sed persona beneficiarii manet onerata, ita ut defuncto beneficiario, successor ipsius ad solutionem pensionis minime teneatur. Nec judices quoscunque, sed arbitros duntaxat, in quos compromissum est, id posse decernere, jus canonicum docet; alioqui enim judicare præter jus non possunt, sed causa diligenter discussa, beneficium adjudicare debent illi, qui jus habet, absque ulla prorsus imminutione; nec vero sic ab arbitris constitutam pensionem Sedes apostolica simpliciter probat; quia per se *Valde suspect. est propter exempli perniciem;* sed *tolerat*, (ut respondet *Innocentius III.* De præbendis, cap. *Nisi essent.*

Præterea jus illud, quod litigantium alter collitiganti cedit, vel est certum, vel incertum, aut nullum est; si certum, ad hujusmodi juris, quod spirituale est, siquidem per se beneficii titulum respicit, cessione promitti, darive non potest pensio, quæ res temporalis est, absque simoniæ nota; si jus dubium, aut nullum est, qui juri illi cedit, & pro illius cessione pensionem percipit, furti reus est, & nihilominus simoniacus, quia rem spiritualem, scilicet beneficium, aut præsumptitium jus ad illud nundinatur.

Si-

Simoniæ pariter rei sunt collitigantes, quorum alter dubio, & quod in lite versatur jure ad beneficium cedit, ea conditione, ut alterum beneficium ipsi conferat collitigator.

REGULA XVIII.

Pessimum simoniæ genus est confidentia, seu fiduciaria conventio tacita, vel expressa, ut qui beneficium recipit, illud ipsum posthac in aliam certam personam transferat, aut beneficii fructus, vel partem fructuum ab alio percipi sinat.

Fiduciariæ conventionis, seu confidentiæ pestis.

Ad illud simoniæ genus extirpandum *Pius IV.* Constitutionem edidit, quæ incipit, *Romanum Pontificem*, & *S. Pius V.* alteram, quæ incipit, *Intolerabilis*; qua decernit: „„ Ut si quis quacunque auctoritate, Ecclesiam, vel monasterium, aut aliud beneficium ecclesiasticum qualecunque ex resignatione, vel cessione cujuscunque personæ, simpliciter, aut cum circuitu retrocessionis, cum regressu, vel accessu, etiam sola dimittentis intentione receperit, ut illa, vel illud etiam in eventum regressus, vel accessus, eidem dimittantur, vel alteri postea conferantur; aut illius fructus, vel eorum pars alii, vel aliis concedantur, vel pensiones solvantur ex eisdem, hæc confidentia censeatur „„.

Item: „„ Si Ordinarius, vel alius collator contulerit antehac, aut conferat in futurum beneficium ecclesiasticum quovis modo vacans, ea conditione tacita vel expressa, ut postea in alterum pro arbitrio collatoris, seu alterius cujuscunque contra juris communis ordinationem disponatur, sive ut de eo provisus, fructus illius, vel partem ad utilitatem, vel libitum conferentis, vel decedentis, aut alterius relinquat, & remittat, seu pensionem illi, vel illis, quem, vel quos idem collator, aut cedens, aut alius, per se, vel alium, scripto, aut verbo jusserit, seu significaverit, persolvat; & pariter si a Patrono etiam lai-

laico, vel altero præsentatore, seu electore contigerit, aut contingat id fieri „ „.

Item: „ „ Si Clericus post resignationem alicujus extranei, de Ecclesia, monasterio, vel alio beneficio ecclesiastico in se, apostolica, vel alia auctoritate factam, & admissam illam, vel illud, etiam confectis literis apostolicis, & possessione apprehensa, in eumdem resignantem, vel cedentem, modico spatio interjecto, veluti duorum, vel trium mensium retrocesserit, aut retrocedat in futurum, & ex illa retrocessione fructus Ecclesiæ, seu monasterii, aut beneficii, vel eorum pars, seu pensio, seu quid aliud super his reservatum; aut regressus, seu accessus, & ingressus ad illam, vel illud, ipsi Clerico sit, fuerit ve concessus „ „.

Postremo: „ „ Si quis crimine aliquo absolutus, aut eum, quo super irregularitate dispensatum est, denuo receperit quacunque auctoritate Ecclesiam, monasterium, vel aliud beneficium ecclesiasticum, quod ante, vel post commissum delictum, aut contractam irregularitatem dimiserit „ „.

Præsumptiones, & conjecturæ ex quibus probatur in foro exteriori.

Plures autem præsumptiones, & conjecturas profert *S. Pius I.* ex quibus vult probatum haberi, & judicari in externo foro fiduciariæ mancipationis beneficiorum abusum. Videlicet

„ „ Si quis post cessam a se Ecclesiam, vel monasterium aut beneficium, & publicatam resignationem, seu cessionem, captamque a successore possessionem, sese in illa, vel illo, seu rebus illius, per se, vel alium, seu alios, de facto ingesserit, aut fructus perceperit; aut quicunque successor illi, vel ejus propinquis, ipsos, aut partem aliquam remiserit eorumdem „ „.

„ „ Si recipiens beneficium constiterit dimittentem, vel ejus parentes, aut propinquos, procuratores ad percipiendum, vel locandum fructus beneficii dimissi, & illi, vel illis de fructibus perceptis, aut percipiendis donationem fecerit „ „.

„ „ Si

„ „ Si vel sola procuratoris depositione, vel libris rationalibus mensariorum, ex parte dimittentis, expeditio, quæ personam recipientis concernit, prosecuta sit, simulque expensæ pro ea necessariæ ab illo factæ fuerint „ „.

„„ Denique si quis pro concessione alicui facta, quacunque auctoritate, de beneficio ecclesiastico, per se, vel alium, seu alios interceserit, vel alias in negotio concessionis se immiscuerit quoquo modo, deinde aliquid de fructibus talis beneficii de facto, etiam per manus possessoris, ac etiam simplicis donationis titulo perceperit, seu de illo postmodum ad voluntatem interceforis fuerit dispositum quandocunque „„.

Illæ porro multiplicis simoniæ fiduciariæ præsumptiones ad forum duntaxat exterius referuntur. Unde si quis beneficium recipiat ab eo, qui cum intentione, atque conditione fiduciaria, verbis expressa, sibi resignat; neque tamen verbo, nec animo, nec ipso facto annuat voluntati dimittentis, sed mentem gerat a simoniaca illa fiducia omnino alienam, eoque duntaxat animo beneficium suscipiat, ne resignans aperta in contrarium declaratione repulsus, alium quærat, inveniatque, qui pravæ illius voluntati præbeat assensum, reus ille non est simoniæ fiduciariæ. Neque contrarium colligi potest ex his verbis *S. Pii V.* in Constitutione contra confidentiam beneficialem: *Etiamsi sola dimittentis intentione receperit;* nec non ex illis: *Conscientia tantum unius partis.* Id enim vult unum, ubi prava offerentis intentio perspecta fuerit, de pravo suscipientis affectu præsumendum esse in foro externo. Cæterum in foro interiori pœnitentiæ, præsumptione agendum non est, & judicandum, sed secundum confessionem pœnitentis, qui testis simul, & reus, & actor adversus seipsum est. Si tamen recipiens beneficium fiduciarii Mangonis pravitati assensum præbuit, aut se assentiri verbo, nutu, vel facto per se, vel per interpretem; seu mediatorem significavit, quamvis non in-

tendat exequi nefaria promissa, fiduciariæ simoniæ reus est, & pœnas incurrit hac *S. Pii V.* Constitutione decretas: „ „ Omnes *scilicet*, & singulos, qui Ecclesias, monasteria, beneficia, fructus, pensiones, aliasve res, intercedente hoc confidentiæ vitio receperunt, ac retinent, etiam omnibus, & singulis aliis Ecclesiis, monasteriis, dignitatibus, administrationibus, officiis, & beneficiis obtentis, nec non fructibus, pensionibus, & aliis rebus ecclesiasticis privatos, & ad futura inhabiles decernit; & excommunicationis sententia percellit, a qua nullus, nisi in mortis articulo constitutus, ab alio, quam a romano Pontifice, absolutionis beneficium valeat obtinere „ „. Collatio itaque fiduciaria beneficii nulla est ipso jure, teneturque renuntiare beneficio, qui illud in confidentiam accepit, & fructus quoscunque de illo perceptos restituere. Sedi autem apostolicæ reservatur sic vacantium beneficiorum collatio extra Galliam; in Galliis enim *S. Pii V.* Constitutio, quoad hoc caput, non est usu recepta, collationemque Ordinariis, etiam hoc in casu præscripta consuetudo vindicat; & alioquin *Sixtus V.* Constitutione 61. quæ incipit, *Pastoralis*, Constitutiones *Pii IV.* & *S. Pii V.* quoad hoc caput in gratiam hujus regni moderatus est, & beneficia occasione confidentiæ vacantia, seu vacatura, ab ordinariis collatoribus libere conferri voluit, modo criminis participes non sint.

Confidentiariorum pœnæ.

Quamquam vero omnes huius criminis rei, & conscii pœnis generalibus a jure communi in simoniacos latis obnoxii sint; privatio tamen beneficiorum omnium, & pensionum, etiam simoniaca fiducia non quæsitorum, & inhabilitas in futurum perpetua, soli recipienti, non autem resignanti, aut conferenti infligitur; & id quidem nisi statim ad se reversus, & resipiscens, celeri dimissione male parti beneficii sibi prospexerit, ut decernit sanctus idem Pontifex *Pius V.*

Adversus fiduciariam beneficiorum mancipationem Concilium Rothomagense anno 1581. tit. *De Episco-*

po-

rum officiis, §. 21. 22. & 23. sic decernit: „„ Non levius malum nostris temporibus, aut exortum, aut longius propagatum Ecclesiam affligit, ac perdit, per aliorum beneficiorum clitellarios asinos, & custodes, qui confidentiarii vocantur, quorum nomine, ac ministerio viri laici, ac mulieres hæreditate possident Sanctuarium Domini, ac profanant. Tam illos custodes, quam eos, quorum cupiditati deserviunt, denuntiari quoque in pronao, & concionibus pro excommunicatis, & teneri ad restitutionem fructuum, atque eorumdem hæredes, ex Bulla SS. Domini nostri Papæ Pii V. per omnes dies Dominicos jubemus. Quamvis autem, sicut simoniaci vix detegi, ita custodes illi vix latere possint, attamen a Confessariis in foro conscientiæ de his quoque volumus inquiri, & confitentibus laicis viris, & mulieribus, se hujus sacrilegii participes esse, minime absolutionem dari, nec ad Communionem admitti quocunque modo compertos, præterquam in mortis articulo, nisi prius restituerint pro viribus fructus perceptos pauperibus, aut fabricis Ecclesiarum, & a tanto crimine abstinuerint, atque a sanctissimo romano Pontifice absolutionem obtinuerint „„.

„„ Eodem crimine tenentur, & eisdem pœnis subduntur omnes Patroni, sive ecclesiastici, sive laici, qui colore Patronatus beneficia ecclesiastica in servitutem redigunt, dum per suppositas Clericorum personas, aut ex pacto tacito, vel expresso cum ipsis inito in præsentatione suorum beneficiorum, seu quacunque arte, aut quocunque quæsito colore, jura, aut fructus eorumdem, aut partem ipsorum in usus proprios convertunt; alii vero sine jure Patronatus, atque etiam sine ullo titulario, aut per aliquem suppositum aliena beneficia vi occupant, eorumque jura, aut fructus deprædantur; contra utrosque prædicto modo procedatur, qui etiam ex Decreto Concilii Tridentini dictis Patronatibus ipso jure privati existunt „„.

„„ Quicunque vero Clerici tam nefandæ fraudis, & usurpationis fabricatores, seu consentientes, atque alieni sacrilegii fautores fuerint, eisdem pœnis per generalia Concilia & decreta Pontificum subjacent, nec non quibuscunque beneficiis privantur, & ad quæcunque beneficia inhabiles efficiuntur, atque a divinis Ordinibus suspensi, nec in foro conscientiæ possunt absolvi, aut suorum Ordinum executioni per Ordinarium restitui, nisi post integram satisfactionem, & absolutionem prædictam. Celebrantes vero in eo statu irregularitatem superincurrunt, & multiplicem damnationem, tam in præsenti, quam in futuro sæculo sibi acquirunt „„.

Concilium Remense anno 1583. tit. *De Simoniacis, & Fiduciariis*, easdem pœnas contra fiduciarios beneficiorum custodes decernit, sicque simoniacam fiduciam explicat: „„ Quisquis (*inquit*) acceptat beneficium, ut ei postea cedat in favorem cujuscunque personæ capacis, vel incapacis, Sæcularis, vel Regularis, laicæ, vel alicujus ex Clericis, fiduciarius esse censeatur. Idemque esto judicium de eo, qui per resignationem ejus beneficium recipit, cujus prius erat illi facta promissio „„.

„ Qui eamdem confidentiam verbo, vel facto juverit, vel procuraverit, ejusdem criminis particeps habeatur „.

„„ Qui beneficium acceptat, non ut cedat, sed ut alius fructibus, vel eorum portione, sub ipsius nomine gaudeat, fiduciarius esse judicetur „„.

„„ Patroni etiam, seu ecclesiastici, seu laici, qui Clericorum personas interponunt, ut ex pacto, vel expresso, vel tacito, fructus beneficiorum, quæ præsentent, vel eorum partem aliquam in proprios usus convertant; vel qui aliquo suppositio, vel etiam nullo titulario existente, fructus beneficiorum occupant, non solum hujus criminis rei, sed etiam injustissimi raptores censeantur, & jure Patronatus ipso facto privati existant „„.

Ex

Ex his colligitur, simoniacam, ac fiduciariam esse conventionem, qua collator beneficium insigne, & pingue confert Clerico, ob gradus academicos ipsi debitum, ea lege, ut eo cedat in manibus ejusdem collatoris, tertiæ personæ conferendo; ipse vero collator impleta conditione, beneficium aliud minoris proventus illi graduato conferat, qui juribus suis cessit.

REGULA XIX.

Simoniæ fiduciariæ reus non est, qui beneficio renuntiat simpliciter, & absolute in manibus collatoris, nullo pacto inito, nulla promissione ab ipso, per se, aut per mediatorem exacta, & facta; quamvis confidat, & speret, collatorem idem beneficium collaturum illi, quem ad illud promoveri desiderat, aut supplicat; vel Patronum illum præsentaturum.

Simonia enim fiduciaria nulla est absque conventione, & pactione tacita, vel expressa; quamobrem si pactio quæcunque prorsus absit, non est confidentiæ crimen, quamvis absque pactione committi possit simonia mentalis.

REGULA XX.

Simoniæ reus est, qui preces pro indigno ad obtinendum illi beneficium ecclesiasticum interpositas exaudit; vel qui preces pro digno quidem factas, sed tamen favoris humani, non meritorum rationem habet; vel qui pro seipso rogat, ut obtineat curam animarum; vel qui spe alicujus commodi temporalis, aut favoris ad dignitatem aliquam ecclesiasticam, aut insignius beneficium obtinendum conducibilis, confert beneficium ad alicuius viri principis, aut nobilis commendationem, si spes illius commodi, ac favoris magis moveat, quam Clerici commendati merita.

Qui rei sint simoniæ ratione muneris a lingua.

Hanc Regulam tradit *S. Th.* 2. 2. q. 100. art. 5. ad 3. „„ Munus (*inquit*) a lingua dicitur, vel ipsa laus pertinens ad favorem humanum, qui sub pretio cadit, vel etiam preces, ex quibus acquiritur favor humanus, vel contrarium evitatur. Et ideo si aliquis principaliter ad hoc intendit, simoniam committit. Videtur autem ad hoc principaliter intendere, qui preces pro indigno porrectas exaudit. Unde ipsum factum est simoniacum. Si autem preces pro digno porrigantur, ipsum factum non est simoniacum; quia subest debita causa, ex qua illi, pro quo preces porriguntur, spirituale aliquid conferatur. Tamen potest esse simonia in intentione, si non attendatur ad dignitatem personæ; sed ad favorem humanum. Si vero aliquis pro se rogat, ut obtineat curam animarum, ex ipsa præsumptione redditur indignus, & sic preces sunt pro indigno. Licite tamen potest aliquis, si sit indigens, pro se beneficium ecclesiasticum petere sine cura animarum „„.

Et in 4. *Sententiarum*, dist. 25 qu. 3. art. 3. ad 4. „„ Quando (*inquit*) fiunt preces pro indigno, vel ab aliquo potente, qui periculum comminatur, quæ dicuntur preces armatæ, manifeste simonia committitur, si propter hoc beneficium ecclesiasticum datur. Si autem pro digno fiant, quantum ad judicium hominum probabile est, quod dans magis moveatur intuitu dignitatis personæ, quam favore precum; & ideo non reputatur simonia; si tamen principaliter moveatur favore precum, vel timore rogantis, quantum ad divinum judicium simoniam committit, & rogatus, & rogans, si hoc intendat, sive aliquis pro se roget, sive pro alio „„.

Et *S. Raymundus* lib. 1. tit. De Simonia. §. 7. „„ Aut eligitur quis, vel ordinatur suis precibus (*inquit*) aut alienis. In primo casu, quantumcunque sit dignus, est simonia. 8. *Quæst.* 1. *in Scripturis*, *qu.* 1. *Ordinationes*. In secundo casu, aut illæ preces sunt carnales, aut spirituales. Si carnales, & sunt pro indigno, simonia est. 1. *Quæst.* 1. *De Ordinatio-*

tionibus. Tunc enim preces succedunt loco pretii. 1. *Quæst.* 1. *Sunt nonnulli.* Si vero sunt carnales, pro digno, non committitur simonia, dummodo ordinator, vel elector non habeat respectum ad preces, sed ad Deum, & ad merita personæ „„. Extra, de ætate, & qualitate Ordin. *Tuam.* 1. Quæst. 1. *Latorem.*

REGULA XXI.

Simoniæ rei sunt, qui fœdis adulationibus Principum, nobiliumque virorum gratiam ad obtinenda beneficia aucupantur.

Hinc *S. Joan. Chrysostomus.* Homilia 3. in Acta Apostolorum, ait: „ Cogita, quid acciderit Simoni. „ Quid enim refert, si non das pecuniam, sed pecuniæ „ loco adularis, subornas, multaque machinaris „?

REGULA XXII.

Simoniæ reus est, qui beneficium alicui se collaturum, aut procuraturum pollicetur, ea lege, ut commendationem, vel preces viri principis, aut potentis, cujus in gratiam vult irrepere, & cujus patrocinium ambit, apud se interponat.

Preces enim illæ sunt munus a lingua, quo veluti pretio beneficium emitur. Porro „„ Quod aliquis satisfaciat precibus alicujus ad temporalem gratiam quærendam, ordinatur ad aliquam utilitatem, quæ potest pecuniæ pretio æstimari. Et ideo sicut contrahitur simonia accipiendo pecuniam, vel quamlibet aliam rem exteriorem, quod pertinet ad munus a manu; ita etiam contrahitur per munus a lingua „„ (inquit *S. Thomas* 2. 2. qu. 100. art. 10.)

Et in 4. *Sentent.* dist. 25. q. 3. art. 3. ad 4. „„ Munus linguæ (*inquit*) duplex est; vel quod in ipso actu linguæ consistit, sicut laus; vel quod ex lingua initium sumit, sicut cum quis ex hoc, quod precibus alicujus satisfacit, favorem expectat; qui enim dat aliquod spirituale pro favore, vel laude acquirenda, non est dubium, quin simoniam committeret „„.

REGULA XXIII.

Simoniæ rei sunt duo Monachi, qui sibi invicem sua, suarumque partium suffragia pollicentur, ut alter ad provincialis munus, alter ad prioratum, vel similem aliam præfecturam monasticam provehatur.

Monachorum simonia.

Hæc Regula nititur c. *De hoc autem*, Ext. *De Simonia*, quod est *Alexandri III.* Responsum Toletano Archiepiscopo datum. „ „ De hoc autem (*inquit*) quod Episcopus Oxomensis Archidiacono beneficium, & cuidam Clerico ante electionem suam Prioratum dicitur promisisse, ut uterque consentiret eidem; tuæ prudentiæ respondemus, quod si manifestum est, eumdem Archidiaconum, & Clericum ob causam illam, promissa recepisse; aut exinde confessi fuerunt in jure, vel legitime convicti, ab altaris ministerio sunt perpetuo deponendi „ „.

Propositio damnata.

Merito itaque sacra Facultas Parisiensis hanc propositionem ex apologia Casuistarum excerptam 16. Julii anno 1658. damnavit ut falsam, & juri canonico contrariam: „ Simoniæ rei non sunt viri duo „ religiosi, qui hunc in modum paciscuntur: Suffra„ gare mihi, ut sim Provincialis; & tibi suffraga„ bor, ut fias Prior „.

REGULA XXIV.

Si pecunia persoluta sit, aut pactio aliqua, vel promisso facta fuerit de altero beneficio ecclesiastico, aut monastica præfectura, alicui procurandis, aut de suffragio in electione ad hujusmodi beneficium, aut præfecturam ferendo; simoniaca est, adeoque ipso jure nulla collatio, vel præsentatio, electio, confirmatio, &c. Etiamsi is, cui collatum est beneficium, qui electus est, aut confirmatus, pactionis hujus conscius non fuerit; nisi forte a malevolis data pecunia, aut pactio, vel promissio facta fuisset ad collationem, aut electionem in irritum mittendam.

Hæc

Hæc Regula nititur c. *Nobis*, Ext. *De Simonia*, quod est *Cœlestini III.* resp. „„ Nobis (*inquit*) fuit ex parte tua intimatum, quod cum quatuor essent e capitulo constituti, qui debebant quemdam eligere in plebanum, amici ejus, de cujus electione spes habebatur, uni, vel omnibus eligentium promiserunt se pecuniam soluturos, eo tamen ignorante, qui hujusmodi promissione interveniente postmodum est electus... Quia igitur super hoc consulere nos voluisti; consultationi tuæ breviter respondemus. Quod nisi constaret illos, qui promissum tale fecerunt, per fraudem in dispendium illius, qui eligendus erat, id malitiose fecisse; quamvis ipse promissionis conscius non fuerit, ejus tamen electio, tanquam simoniaca pravitate præsumpta, est penitus reprobanda „„.

REGULA XXV.

'Simoniæ rei sunt, qui pro obsequio temporali, vel sibi, vel suis exhibito, vel exhibendo, nec ad Ecclesiæ utilitatem, aut ministrorum ejus auxilium ordinato, beneficia vel conferunt, vel promittunt.

Idem constat ex c. *Cum essent*, Ext. *De Simonia*, quod est *Alexandri III.* resp. „„ Cum (*inquit*) ab ore præfati R. intellexerimus, quod memoratus miles promiserat ei dare Ecclesiam, si quoddam negotium ejusdem in nostra posset præsentia promovere, ac per hoc promissionem ipsam continere simoniacam pravitatem; eidem R. super eadem Ecclesia silentium duximus imponendum „„.

Qui rei sint simoniæ ratione muneris ab obsequio.

Idem confirmat *S. Th.* 2. 2. qu. 100. art. 5. „„ Manifestum est (*inquit*) quod obsequium hominis ad aliquam utilitatem ordinatur, quæ potest pretio pecuniæ æstimari; unde & pecuniaria mercede ministri conducuntur. Et ideo idem est, quod aliquis det rem spiritualem pro aliquo obsequio temporali exhibito, vel exhibendo; ac si daret pro pecunia data, vel promissa, qua illud obsequium æstimari posset „„.

Et in responsione ad primum, explicans verba illa ex *S. Gregorio* objecta; „„ Ecclesiasticis utilitatibus deservientes, ecclesiastica dignum est remuneratione gaudere, *ait*: Si aliquis Clericus alicui Prælato impendat obsequium honestum, & ad spiritualia ordinatum (puta, ad Ecclesiæ utilitatem, vel ministrorum ejus auxilium,) ex ipsa devotione obsequii redditur dignus ecclesiastico beneficio, sicut & propter alia bona opera. Unde non intelligitur esse munus ab obsequio. Et in hoc casu loquitur Gregorius. Si vero sit inhonestum obsequium, vel ad carnalia ordinatum, (puta, quia servivit Prælato ad utilitatem consanguineorum suorum, vel patrimonii sui, vel ad aliquid hujusmodi;) erit munus ab obsequio, & est simoniacum „„.

Idem docet *S. Raymundus*, lib. 1. tit. 1. §. 6. „„ In munere (*inquit*) ab obsequio, distingue; quia aut est corporale, aut spirituale. In primo casu, si obsequium est honestum, potest; ut si eat Romam pro Ecclesia, vel serviat alicui Episcopo, vel Ecclesiæ in licitis, & honestis; dum tamen sine pactione. Si inhonestum, non potest, ut supra eod. prox. vers. *Munus* ab obsequio est servitus indebite impensa; si spirituale, non debet facere tale obsequium pro beneficio, vel alio sibi dando, nisi cum tale obsequium fuerit impositum ipsi beneficio; v. gr. alicui præbendæ est impositum hoc onus, ut qui eam habuerit, cantet quotidie de B. Virgine Maria Missam „„. Ext. de Præbendis, *Significatum.*

Quamobrem Concilium Mediolanense 1. tit. *Quæ pertinent ad collationem beneficiorum*, ita decrevit: „„ Ut omnis ad simoniam aditus intercludatur; monemus, & obtestamur Episcopos, alioque, quibus est jus conferendi beneficia, ut familiaribus suis certam mercedem constituant, ne illi hoc subsidio destituti, beneficia ecclesiastica, tanquam suæ operæ, & laboris pretium præcipue sibi proponant. Fraudari tamen Ecclesias nolumus probatorum hominum ministerio, si qui sint in eorum familia, quorum do-

doctrinæ, & pietati ſacrum munus utiliter committi poſſit „„.

Et Concilium Remenſe anno 1588. tit. 23. „„ Si quis (*inquit*) beneficium propter obſequium, vel impenſæ ſervitutis mercedem conferat. . . Simoniacus eſſe cenſeatur „„.

REGULA XXVI.

Simoniæ rei ſunt, qui ſe principum virorum, & procerum obſequio mancipant, aut in eorum clientelam ſe conferunt, ut eccleſiaſtica beneficia ſibi, vel ſuis obtineant.

Ita docet *B. Petrus Damiani*, Opuſculo 22. cap. 2. „„ Nequaquam (*inquit*) diffiteantur ſe dediſſe pecuniam; qui prælationis ambitione Principibus exhibent clientelam; qui nimirum dominationis deſiderio ſerviunt; & ut divitiis affluant, cum facultatibus ſuis & ſemetipſos expendunt. Humiliantur, ut poſtmodum impune ſuperbiant; ſe pediſſequos exhibent, ut præcedant; laboribus atteruntur, ut gaudeant; affliguntur inopia, ut nuptialis edulii continua poſtmodum epulatione turgeſcant; & velut propoſita venalitatis menſa, fœnerando ſervitium, mercantur imperium. . Dent alii inſenſibilis metalli ſummam, trutinent ſtolidæ pecuniæ quantitatem, numerentur æra, vaſa ponderentur anaglypha: Dent, *inquam*, alii nummos, iſti dant pretium ſemetipſos. An non eſt pretium ſedulum ſubjectionis obſequium?... Sicut ergo Laban filias vendidit, pretium comedit, non quia recondidit pecuniæ lucrum, ſed quia laborioſæ ſervitutis percepit impendium; & ſicut Saul nupturæ filiæ non auri, vel argenti dona quæſivit, ſed laborem belli, vel inſigne triumphi vice dotis accepit; ſic ille neceſſario venditor eſſe convincitur, qui ſubjectionis obſequium de male ſperata ejus largitione mercatur. Et cum is, qui pretium accipit, aſſeratur Eccleſiam vendere; iſte congruentius dicitur venditare; quia venale commercium, quod ille ſemel iniit,

hic longa, ut ita loquar, & diuturna negotiatione protraxit; & infelix Clericus quot servitia fucatæ humilitatis exhibuit, quasi tot pecuniarum summas appendit „„.

REGULA XXVII.

Simoniæ rei non sunt, qui parva aliqua munera beneficiorum collatoribus, aut ecclesiasticis judicibus largiuntur, reverentiæ, aut amicitiæ colendæ causa, aut in grati animi pignus.

Hæc Regula nititur c. *Et si Quæstiones*, quod est *Alexandri III.* Responsum Strigonienſi Archiepiscopo datum; Ext. *De Simonia.* Frater istius Archiepiscopi Legato apostolico pallium illi afferenti obviam profectus, ejusque præsciens necessitatem, quoniam per mare veniens nullas, aut paucas secum equitaturas adduxit, equum transmisit ignorante Archiepiscopo fratre suo. Id ubi novit conscientiæ delicatioris Archipræsul, *Alexandrum III.* consuluit, metuens, ne forte simoniæ labem contraxisset. Pontifex scrupulum ejus responso suo discussit: „„ In accipiendis (*inquit*) vel dandis muneribus tria sunt maxime attendenda; persona scilicet dantis, accipientis qualitas, quantitas muneris, & donationis tempus. Qualitas personarum, ut a quo, & cui, videlicet an a paupere diviti, vel e converso, sive a divite locupleti datum fuerit; æstimatio muneris, & donationis tempus; si magni, vel minoris pretii res data existat, & an instante necessitate, seu alio tempore conferatur. Si ergo prædictorum Cardinalis, & fratris tui personam, & qualitatem pensamus; non fuit magnum ab eodem fratre tuo Cardinali equum unum transmitti, quem etiam joculatori non petenti vir tantus, & tam abundans forte donaret; verum si temporis necessitatem perpendimus; non alia necessitate hoc constat factum fuisse, quam ut subveniretur Cardinali in articulo prænotato. Quod autem scriptum est: *Beatus qui excutit manus suas ab omni*

Isaiæ 33.

mu-

munere; de illis donis dictum est, quæ accipientis animum allicere, vel pervertere solent; quoniam si ipsa etiam persona electi offerat Ordinatori, vel Consecratori suo electuarium, aut de vino, sive de aliis hujusmodi, quæ modici pretii fuerint, & quæ voluntatem recipientis inclinare, vel movere non debeant; non tamen Ecclesia romana in his interpretari consuevit, accipientem in his delinquere, vel donantem „„.

Eamdem Regulam confirmat *S. Th.* in 4. *Sentent.* dist. 25. qu. 3. art. 3. ad 1. „„ Ecclesiæ judicium, *inquit*, est quantum ad exteriora; & quia non est probabile, quod animus judicis spiritualis flectatur ad aliquid faciendum pro parvo munere, ideo in parvis muneribus judici datis non judicat simoniam committi; sed apud Deum, qui cor videt, simonia est in parvis, & in magnis muneribus, si animus judicis ex eis flectatur „„.

REGULA XXVIII.

Jus Patronatus vendere, aut propter illud pluris vendere villam, cui est annexum, simoniacum est.

Venditio juris Patronatus simoniaca.

Hanc Regulam tradit *Alexander III.* c. *De jure*, Ext. *De jure Patronatus*, cujus hæc sunt verba: „„ Mandamus, quatenus si R. illud comparavit, cum inconveniens sit vendi jus Patronatus, quod est spirituali annexum, contractum illum irritum esse decernas „„.

Id confirmat Concil. Mediolan. 1. tit. De his, quæ pertinent ad collationem beneficiorum: „„ Episcopi munus, *inquit*, erit cavere, ne propter juris Patronatus occasionem, pluris aliquanto res, cui illud jus annexum est, vendatur, aut transferatur; si qui vero nihilominus ita vendiderint, pœnas contra simoniacos editas incurrant „„.

Idem confirmat *S. Th.* in 4. *Sentent.* dist. 25. qu. 3. art. 2. quæst. ad 3. „„ Jus Patronatus (*inquit*) per se vendi non potest, nec in feudum dari. Si autem villa vendatur, & in feudum detur, cui annexum est

est jus Patronatus, transit cum universitate ad illum, cui villa datur, vel qui eam emit, non quasi jus Patronatus sub venditione cadat „ „.

Et 1. 2. qu. 100. art. 4. ad 3. „ Jus Patronatus per „ se vendi non potest, nec in feudum dari, sed transit „ cum villa, quæ venditur, vel conceditur „ „.

REGULA XXIX.

Omnis conventio, & pactio de contributione pecuniaria pro ingressu in religione, sive admissione ad Professionem religiosam, tam in monasteriis pauperibus, quam divitibus, simoniaca est.

Simonia in receptione ad religiosam Professionem.

Hæc Regula nititur Concilii 7. generalis, scilicet Nicæni 2. can. 19. „„ In tantum (*inquit*) invalevit avaritiæ facinus in rectores Ecclesiarum, ut etiam quidam eorum, qui dicuntur religiosi viri, atque mulieres, obliti mandatorum Domini decipiantur, & per aurum introitus accedentium tam ad sacrum Ordinem, quam ad monasticum efficiant. Unde fit, ut quorum initium improbabile est, omnia sint projicienda, ut magnus ait Basilius. Neque enim Deo per Mammona servire licet. Si quis ergo inventus fuerit hoc faciens, siquidem Episcopus, vel Abbas extiterit, aut quilibet de sacrato Collegio, aut desinat, aut deponatur, juxta Regulam secundam sancti Chalcedonensis Concilii; Abbatissa vero ejiciatur de monasterio ad subjectionem; similiter & Abbas qui non habuerit manus impositionem Presbyterii „ „.

Concilii Oecumenici Lateranensis sub *Alexandro III.* can. 10. „ „ Monachi non pretio recipiantur in monasterio. Si quis autem exactus pro sua receptione aliquid dederit, ad sacros Ordines non ascendat. Is autem, qui acceperit, officii sui privatione mulctetur. *Et can.* 19. Putant plures ex hoc sibi licere, quia legem mortis longa invaluisse consuetudine arbitrantur; non satis, quia cupiditate excæcati sunt, attendentes quod tanto graviora sunt crimina, quan-

quanto diutius animam infelicem tenuerint alligatam „ „.

Cap. *Non ſatis*, Extr. *De Simonia*, quod eſt *Alex. III.* in Conc. Turonenſi: „ „ Quia, *inquit*, non ſatis utiliter avaritia in populo redarguitur, ſi ab his, qui in Clero conſtituti videntur, & præcipue qui contempto ſæculo religioſorum nomen profitentur, & regulas, modis omnibus non cavetur; prohibemus, ne ab iis, qui ad religionem tranſire voluerint, aliqua pecunia requiratur, neve Prioratus, vel Capellania quælibet, vel Monachorum, vel Clericorum, annua diſtrictione vendatur; neque ab eo, cui regimen ipſarum committitur, ex earum commiſſione pretium exigant. Hoc ſimoniacum eſſe SS. Patrum auctoritas manifeſte declarat. Unde quiſquis de cætero hoc attentare præſumpſerit, tam qui dederit, quam qui acceperit, partem ſe cum Simone non dubitet habiturum.. Neque ſub obtentu hujus conſuetudinis reatum ſuum aliquis tueatur; quia diuturnitas temporis non minuit peccatum, ſed auget „ „.

Cap. *Veniens*, Ext. *De Simonia*, quod ejuſdem Pontificis reſponſum eſt: „ „ Veniens, *inquit*, ad nos frater Presbyter propoſuit, quod Abbas, & frater ſancti R. noluerunt eum in monachum ſuſcipere, quouſque triginta ſolidos dare convenerit. Conventione autem facta, ſequenti die eum monaſticum habitum induerunt; & iidem monachi triginta ſolidos, Abbas vero decem, & familia duodecim propaſtu, aſſerentes hoc eſſe de conſuetudine monaſterii, poſtularunt. Quoniam ergo factum hujuſmodi pernicioſum videtur, mandamus, quatenus, ſi ita eſſe invenias, Abbatem, & monachos ad reſtituendam pecuniam tam indigne acceptam compellas; & Abbatem, & majores perſonas monaſterii pro tanto pravitatis exceſſu ab officii executione ſuſpendas; præcipias dicto fratri, ut in alio monaſterio in habitu monaſtico Domino ſtudeat deſervire „ „.

Cap. *De Regularibus*, Ext. *De Simonia*, quod eſt *Clementis III.* reſponſum: „ „ De Regularibus cano-

ni-

nicis, seu monachis nos consulere voluisti, qui per simoniam ingressum ipsis scientibus habuerunt. Unde cum super hoc auctoritates multæ reperiantur expressæ, non aliud, quam statutum est, respondemus, ut locum, quem taliter adepti sunt, omnino dimittant, & solitudines, vel alia monasteria districtiora adeant, in quibus tam execrabilem excessum sine intermissione deplorent. Si autem ignorantibus illis pecunia data fuerit, cogas eos ad renuntiandum loco eidem, & postmodum in ipsum reducere, si ibi absque scandalo fuerint, vel in alio, qui sit de Ordine ipso, ad serviendum Deo poteris collocare „„.

Cap. *Quoniam simoniaca*, Ext. *De Simonia*, qui est Concilii Lateranensis sub *Innoc. III.* canon 64. „„ Quoniam simoniaca labes adeo pleraque moniales infecit, ut vix aliquas sine pretio recipiant in sorores, paupertatis prætextu volentes hujusmodi vitium palliare, ne id de cætero fiat, penitus prohibemus. Statuentes ut quæcunque de cætero talem commiserint pravitatem, tam recipiens quam recepta, sive sit subdita, sive prælata, sine spe restitutionis de suo monasterio expellatur, in locum arctioris regulæ ad agendam perpetuam pœnitentiam retrudenda. „ Hoc etiam circa monachos, & alios Regulares decernimus observandum. Verum ne per simplicitatem, vel ignorantiam se valeant excusare, præcipimus, ut diœcesani Episcopi singulis annis hoc faciant per suas diœceses publicari „„. Huic Decreto consonum est cap. *Dilectus* 2. Ext. *De Simonia*, quod est *Innoc. III.* & cap. *Mandato*, quod est ejusdem Pontificis.

Eadem Regula confirmatur ex Concilio Francofordiensi, can. 16. Londinensi tempore *Innoc. III.* celebrato per *Aubertum* Cantuariensem Archiepiscopum; ex Conventu Aquisgranensi Abbatum anno 817. cap. 75. & Concilio Oxoniensi anno 1222. tempore *Honorii III.* sub *Stephano* Archiepiscopo Cantuariensi, ex Melfitano in Apulia sub *Urbano II.* anno 1090. can. 7. Senonensi 1528 tit. *De Decretis morum*, cap.

cap. 28. Trevirensi 1549. tit. *De Religiosis, Monachis, & Monialibus.* Mediolanensi 1. p. 1. *Constitutionum*, cap. *De Novitiis ad Professionem recipiendis.* Mediolanensi 2. Tit. 3. p. 1. Remensi anno 1583. tit. *De Simoniacis, & Fiduciariis.* Turonensi, eodem anno, cap. *De Monachis, & monasteriis.* Cameracensi anno 1569. tit. *De Monasteriis virorum, ac mulierum*, cap. 12. Aquilejensi 1596 tit. *De Monialibus.*

Idem confirmat *Urbanus V.* Constitutione lata Romæ apud S. Petrum, secundo nonas Aprilis, Pontificatus anno primo, cujus hic est tenor: „ „ Universis Prioribus, Abbatibus, Abbatissis, Priorissis, &c. tenore præsentium, auctoritate apostolica, quamvis sit eis a jure prohibitum, districtius inhibemus, ne tam a maribus, quam a mulieribus volentibus ingredi eorum religionem, monasteria, Prioratus, domos, seu loca, in earumdem personarum receptione, vel ante, vel post illam, quoscunque pastus, seu prandia, seu cœnas, pecuniam, jocalia, aut res alias, etiam ad usum ecclesiasticum, seu quemlibet aliunt pium usum deputatas, vel deputandas, directe, vel indirecte petere, vel exigere quoquo modo præsumant, sed eas potius cum omnimoda pietate recipiant. Illa duntaxat, quæ personæ illæ ingredientes plene, & sponte, & plena libertate, omnique pactione cessante, dare, vel offerre Ecclesiis, monasteriis, Prioratibus, & locis hujusmodi voluerint, cum gratiarum actione licite recepturi. Nos enim, qui secus egerint, si sint singulares personæ, tam dantes, quam accipientes hujusmodi excommunicationis; si capitulum, vel conventus fuerit, suspensionis sententiis eo ipso decernimus subjacere, a quibus præterquam in mortis articulo absolvi nequeant absque Sedis apostolicæ licentia speciali; &c „ „.

REGULA XXX.

Pensiones vitalitiæ, & consuetæ, legitimæque eleemosynæ non solum recipi, sed exigi possunt a monasteriis inopibus, & tenuibus.

Pensiones vitalitiæ, aut dotales, eleemosynæ recipi & exigi possunt a monasteriis inopibus, & tenuibus ita tamen ut gratis recipiantur postulantes, & novitii, ac novitiæ.

Ita declarat Conc. Senonense anno 1528. tit. *De Decretis morum*, cap. 28. Si quæ enim puella ultra numerum constitutum in monasterium recipi petat, id permittit: *Dummodo congruam secum afferat pensionem, qua cum cæteris Religiosis numerariis alatur.* Mediolanense 1. sub *S. Carolo*, quod præscriptum monialium numerum augeri vetat: *Nisi facta monasterio annua, quæ satis sit, fructuum accessione.* Turonense 1583. tit. *De Monialibus*, decretum illud Mediolanensis Concilii, totidem verbis repetens, & suum faciens.

Sententia S. Thomæ.

Eamdem Regulam confirmat *S. Th.* in 4. *Sentent.* dist. 23. qu. 3. art. 3. quæst. 3. ad 7. „„ Cum (*inquit*) possessiones alicujus loci religiosi non sufficiunt ad sustentandum plures, tunc potest exigi ab eo, qui in loco illo vult Deo servire, non quasi pretium religionis, sed ut habeat monasterium, unde ei possit providere; & ideo non committitur simonia. Si autem sine gravamine Ecclesiæ potest recipi, simoniacum est aliquid pro receptione exigere „„.

Et *Secunda secundæ.* Quæst. 100. art. 3. ad 4. „„ Pro ingressu (*inquit*) monasterii non licet aliquid exigere, vel accipere quasi pretium. Licet tamen, si monasterium sit tenue, quod non sufficiat ad tot personas nutriendas, gratis quidem ingressum monasterii exhibere, sed accipere aliquid pro victu personæ, quæ in monasterio fuerit recipienda, si ad hoc non sufficiant monasterii opes. Similiter etiam licitum est, si propter devotionem, quam aliquis ad monasterium ostendit, largas eleemosynas faciendo, facilius in monasterio recipiatur. Sicut etiam licitum est, aliquem econverso provocare ad devotionem monasterii per temporalia beneficia, ut ex hoc inclinetur ad monasterii ingressum: licet non sit licitum ex pacto aliquid dare, vel recipere pro ingressu monasterii, ut habetur *causa* 1. *qu.* 2. *can. Quam pio* „„.

Sententia S. Bonaventuræ.

S. Thomæ concordat *S. Bonaventura*, in Apologetico adversus illos, qui Ordini FF. Minorum adversan-

fantur, q. 18. „„ Quadruplex est forma (*inquit*) recipiendi ad ordinem qualemcunque. Prima, quando aliquis recipitur nec pro pecunia, nec cum pecunia, sed pure pro Deo; & ista est puriſſima coram Deo, & hominibus. Secunda, quando aliquis recipitur non pro pecunia, sed cum pecunia; ita ut si nihil afferret, tamen reciperetur pro Deo; & similiter hoc purum est coram Deo, sed caute agendum est coram hominibus, ne detur eis occasio scandali, & ne sit ibi affectus avaritiæ infectus ex spe lucri. Tertia, quando quis recipitur non pro pecunia, nec tamen reciperetur sine pecunia, eo quod non habent aliter ei, qui eum recipiunt, providere, cum tenues facultates domus vix sufficiant jam receptis; nec ad eas audeant plures recipere, & istos suis neceſſitatibus spoliare; ita quod ista persona, quæ sic recipitur, si abundaret locus, sine pecuniis reciperetur. Similiter aliquis duxit uxorem propter divitias, & nobilitatem ejus, quæ habet nasum; nec tamen propter hoc ducit eam, quia nasum habet, quam tamen, si naso careret, nullatenus duxisset. Et hoc non est impurum, licet non appareat forsitan pulchrum. Quarta, cum aliquis recipitur amore pecuniæ, ita quod si possent illam pecuniam habere sine persona, non reciperent personam; sed ut habeant pecuniam, personam recipiunt. Et hoc penitus impurum est, & simoniacum, quia sic pecunia est causa receptionis personæ, & non econverso. Ubi ergo recipitur persona propter pecuniam, simonia est; quia ibi venditur spirituale, id est, consortium spiritualis societatis, pro temporali, scilicet pecunia. Et hoc plerique faciunt etiam ex mera inopia, optantes aliquem venire cum pecunia, quem reciperent, ut eorum inopia repararetur, vel debita contracta solverentur, vel bona concupita emerentur, vel ædificia construerentur. De talibus dicit Ecclesiasticus *cap.* 27. *Propter inopiam multi deliquerunt.* Ubi vero pecunia recipitur propter personam, quam alias libenter reciperent, si haberent, unde eam pa-

ſcerent, non videtur eſſe ſimonia, dummodo forma cum intentione concordet. Et hoc modo ſuſtinemus, quod ſorores ſanctæ Claræ recipiunt pecuniam cum perſonis, quando oportet eas plures perſonas recipere, quam de facultatibus monaſterii congrue valeant ſuſtentari „„.

Sententia Petri Cantoris Pariſ.

Angelicus, & ſeraphicus Doctor cum *Petro Cantore* Pariſienſis Eccleſiæ conſentiunt. *Verbi abbreviati* cap. 38. „„ Sit (*inquit*) quod aliquis accedens ad Eccleſiam, vel monaſterium, dicat: Offero me, & mea huic Eccleſiæ, vel monaſterio ad ſerviendum in eo perpetuo, ſi ſine diſtinctione recipitur, ſanus erit ingreſſus ejus. Si autem plura quam oblata ab eo exigantur, vel ſi diſtinguatur inter ſua, & illum, ut ſua ſcilicet ſint cauſa, cur recipiatur, vitioſus erit ingreſſus. Si autem inter ſua, & illum diſtinguatur, ut ſcilicet ille ſit cauſa, cur ſua cum ipſo recipiantur, ſanus, & licitus erit ingreſſus. Si autem monaſterium eguerit, ita quod offerentem ſe illi ſine pecunia recipere non poſſit, vel ſuſtentare, ſpiritualem fraternitatem ei concedat, non corporalem; vel in exceptionem paupertatis ſuæ, & ſuſtentationem vitæ illius exigere poteſt ab eo, ut eum recipiat, & temporales redditus, quibus tantum ſuſtentetur, dum vixerit. Quod ſi perpetuos exegerit, jam manifeſta cupiditas vitioſum facit ingreſſum „„.

Sententia Raymundi.

Eamdem Regulam confirmat *S. Raymundus*, lib. 1. tit. 1. §. 22. „„ Si monaſterium (*inquit*) eſſet adeo tenue, vel paupertate depreſſum, quod redditus, vel vix, vel non ſufficerent perſonis præſentibus, non ſolum intentionem poſſent habere; ſed etiam credo, quod poſſent dicere; non ſufficiunt nobis, libenter ſuſcipimus ad ſpiritualia, ad temporalia non poſſumus, niſi habeamus plures poſſeſſiones; & tunc ille offerat ſe, & ſua *Ext. De Simonia.* Cap. *Tua.* Quod autem dicitur in Conſtitut. *Ext.* eod. *Quoniam* Verſ. *Paupertatis prætextu*, intelligitur, cum hoc dicebant in fraudem; unde conſulendum eſſet ingredientibus, quod in hoc fundarent intentionem ſuam, aut prin-

principaliter darent propter Deum; & ne essent oneroſi domui „„. Arg. 16. qu. 4. *De lapſis.*

S. Antoninus hanc ſimul, & ſuperiorem Regulam approbat, 2. p. cap. 5. §. 18. ubi recenſitis juris canonici peritorum ſententiis, duas concluſiones ſtatuit. Prima eſt: „„ Nulla pactio de temporalibus debet intervenire pro ingreſſu monaſterii, etiamſi monaſterium ſit tenue, ſecundum communiorem, & tutiorem opinionem, & pene ſecundum omnes „„. S. Antonini ſententia.

Secunda eſt: „„ Si monaſterium ſit abundans, nullus debet ibi eſſe tractatus de temporalibus in receptione. Et hoc eſt contra communem abuſionem; quia quanto monaſterium eſt abundantius, tanto volunt majores dotes. Sponte tamen oblata poſſunt recipere. Et ſiquidem haberent intentionem ad temporalia, principaliter, nulla tamen interveniente pactione, vel conventione, ſeu exactione, erit ſecundum Raymundum ſimonia mentalis, quæ per ſolam pœnitentiam aboletur, nec incurrunt pœnas eccleſiaſticas „„.

„„ Quod ſi gratis recepta eſt puella, & parentes ejus poſt receptionem nil volunt dare monaſterio, cum tamen ſit tenue, dicit Oſtienſis, quod poſſunt moniales agere contra patrem pro alimentis filiæ; vel, ſi eſt mortuus pater, agere poſſunt ad partem ſuæ hæreditatis, ut in authentica *De ſanctiſſimis Epiſcopis. Nulla.* Non enim privari poteſt legitima per ingreſſum religionis, niſi ipſa ſponte juri ſuo renuntiaſſet „„. 19. *quæſt.* 3. *cap. penult.* Addenda eſt & alia exceptio; ſcilicet, niſi principum legibus viri religioſi, monialeſque ſolemni ritu profeſſæ ab hæreditate capeſſenda excludantur.

Cum his convenit Reſponſum ſacræ Facultatis Pariſienſis ea de re interrogatæ, quod refert *Dionyſius Carthuſianus* lib. 2. De Simonia: „„ Dicimus (*inquiunt Theologi Pariſienſes*) quod a fœmina recipienda in monaſterio, oblatis gratis ſpiritualibus, non licet exigere temporalia pro ipſis ſpiritualibus, Sententia ſacræ Facultatis Pariſ.

tanquam pretium ſpiritualium, vel annexorum ſpiritualibus, faciendo commutationem unius pro altero „ „ „ „ Diçimus ulterius, quod ubi monaſterium eſt ita tenue, quod fœmina, quæ recipi petit, non poſſet de bonis ipſius monaſterii ſuſtentari ſine pecunia oblatis gratis ſpiritualibus, & receptione perſonæ libere facta ad ſpiritualia, ſi perſona illa ſic recepta habeat bona temporalia, de quibus juxta conſuetudinem regionis poteſt diſponere, & ea monaſterio conferre, tunc poteſt ab ea aliquid peti ſolum pro neceſſitate ſui victus, ſine fraude, ut habeat monaſterium, unde ipſi providere poſſit, & hoc non intelligendo de exactione coactoria ita quod ejiciatur, ſi non dederit „ „ Solo igitur eleemoſynæ nomine pecunia recipi poteſt ad alimenta virginis, quæ profeſſionem emittit; ſolo nomine alimentorum, aliorumque onerum, quæ hoc vocabulo pariter ſignificantur, penſio exigi. Dotalis vero eleemoſynæ ſumma, penſioniſque modus Epiſcopi judicio, publiciſve legibus definiuntur, habita ratione locorum, facultatum monaſterii, numerique monialium. Ut vero monaſterii ſecuritati, & indemnitati conſulatur, abſque pactione, & conventione, decernere poſſunt Epiſcopi, & Superiores, ut „ „ Quod profeſſione facta, eleemoſynæ gratia ad profeſſam ſuſtentandam monaſterio datur id, quo tempore puella religionis habitum ſuſcipiet, apud virum monialibus, & earum ſuperiori probatum deponatur; ut nullo impedimento monialibus tum præſto eſſe poſſit „ „; ut ſtatutum eſt in Concilio Mediolanenſi 1. ſub *S. Carolo Borromæo*, p. 3. cap. 6. & in Concilio Mediolanenſi 2. ſub eodem, in capitibus ad moniales pertinentibus Cap. 2. Eleemoſynam porro dotalem, numerata pecunia monaſterio collatam a parentibus Virginis, operæ pretium eſt *ſuper fundo ſtatuere, cujus ſors principalis non poſſit, aut debitis ſolvendis, aut quotidianis uſibus inſumi*; ut decernit Concilium Avenionenſe anno 1594. cap. quinquageſimo. De hoc argumento copioſe tractat juris conſultiſſimus

Cautio S. Caroli Borromæi.

Dotalis eleemoſyna ſuper fundo ſolido conſtituenda.

Fa-

Fagnanus in cap. *Non amplius*, Ext. *De Institutionibus*, sive in 1. p. 3. Decretalium, part. 216.

REGULA XXXI.

Pro victu, & vestitu Novitiorum, & Novitiarum toto probationis anno congrua pensio exigi, & recipi potest.

Non enim jus habent, ut ex communibus monasterii bonis alantur, nisi professione solemni fiant religiosæ Societatis membra. Unde Concilium Tridentinum, sess. 25. ita decernit: „ „ Sed neque ante professionem, excepto victu, & vestitu novitii, vel novitiæ, illius temporis, quo in probatione est, quocunque prætextu, a parentibus, vel propinquis, aut curatoribus ejus, monasterio aliquid ex bonis ejusdem tribuatur „ „.

REGULA XXXII.

In monasteriis, & domibus quibuscunque religiosis tam virorum, quam mulierum, is tantum numerus ad professionem religiosam recipiendus est, qui vel ex redditibus ipsorum monasteriorum, vel ex consuetis eleemosynis commode possit sustentari.

Monachorum, & monialium numerus in singulis monasteriis definiendus.

Ita decernunt Conc. Moguntinum sub *Leone III.* anno 813. Can. 19. Arelatense 6. eodem anno celebratum, Can. 8. Turonense, eodem anno, Can. 31. Remense, eodem anno, Can. 28. Oxonience, anno 1221. Can. 64. *Bonifacius VIII.* Constitutione quæ incipit, *Periculoso*. Concil. Senonense, anno 1528. Tit. *De Decretis morum*, cap. 28. cujus hæc sunt verba: „ „ Constituimus, ut in monasteriis monialium tot instituantur moniales, quot de facultatibus eorumdem monasteriorum, reparationibus Ecclesiæ, clausuræ; & aliarum regularium domorum, necnon & processuum expensis deductis, commode, & sine penuria sustentari possint, &c „ „. Colonience, anno 1531. p. 10. cap. 12.

Concilium Trid. Seſſ. 25. c. 3. „„ In monaſteriis (*inquit*) & domibus tam virorum, quam mulierum, bona immobilia poſſidentibus, vel non poſſidentibus, is tantum numerus conſtituatur, ac imposterum conſervetur, qui vel ex redditibus propriis monaſteriorum, vel ex conſuetis eleemoſynis commode poſſit ſuſtentari „„. Idem a *S. Pio V.* decretum eſt, Conſtitutione quæ incipit *Circa Paſtoralis*, & a *Clemente VIII.* in Conſtitutione edita de reformatione Regularium. Idemque *Paulus V. Urbanus VIII.* & *Innocentius X.* ſanxerunt. *Innocentii X.* Conſtitutionem refert, & explicat *Fagnanus* in 1. p. lib. 3. Decretalium, ad cap. *Non amplius*, Extr. *De Inſtitutionibus.*

Hic Objectionem occupat *Fagnanus*, quæ adverſus dotes monialium ex his Decretis peti poteſt. „ Sed dices: Si monaſteria habent, prout habere debent, redditus ſufficientes ad alendas moniales numerarias; ergo dotis delatio illicita eſt, & ſimoniaça, per textum in cap. *Quoniam*, infra, *De Simonia*, ubi ſimoniaça labes dicitur uſque adeo pleraſque moniales infeciſſe, ut vix aliquas ſine pretio recipiant in ſorores, paupertatis prætextu volentes hujuſmodi vitium palliare. Et ſacra Congregatio Cardinalium Concilii Tridentini interpretum olim conſulta, an monaſteriis monialium, in quibus juxta Decretum cap. 3. Seſſione 25. *De Regularibus* Epiſcopus certum numerum conſtituit, liceat Abbatiſſæ in locum monialium deficientium alias recipere, pacta certa eleemoſyna pro dote; & quatenus non liceat, quæ proviſio ſit per Epiſcopum adhibenda. Reſpondit: Si ex redditibus monaſterii, vel ex conſuetis eleemoſynis tantum ſuppetat monialibus, ut ad ipſarum veſtitum, & ad fabricam Eccleſiæ, aliaſque neceſſitates commode ſufficiat, minime licere; ſecus ſi monialium numerus augeatur. Cum autem hujuſmodi theorica ad praxim difficulter deduci poſſit, referendum viſum eſt Sanctiſſimo, qui probavit ſententiam Congregationis, confirmans, augendum nu-

„ me-

„ merum, si dos augeatur. „ „ Verum (*inquit*) hanc difficultatem postea sustulit sacra Cong. super negotiis Episcoporum, & Regularium; quæ animadvertens sanctimonalium monasteria sine dotium subsidio diu sustineri non posse, & propter ingruentes necessitates, & casus inopinatos, plerumque ad inopiam redigi; summis Pontificibus approbantibus prudenter sanxit, ut dotales eleemosynæ a monialibus numerariis persolverentur, tametsi numerus esset taxatus ad mensuram reddituum monasterii. Ex penuria enim multa proveniunt mala, præsertim in monasteriis Dominarum, inquit Hostiensis hic, in fine „ „.

„ Subdit idem auctor pag. 218. nu. 45. Cum Placentiæ fere in omnibus monasteriis, definitus esset „ numerus monialium, qui ex redditibus, & consuetis eleemosynis commode sustentari valeret; „ cumque multæ puellæ instarent, ut supra numerum reciperentur, dicentes se non fore onerosas „ monasterio; tum quia solvent dotem solitam, quæ „ poterit converti in emptionem alicujus annui redditus; tum quia parentes se obligabunt ad solvendum pro qualibet ipsarum, donec vixerit, aliquid „ pro sustentatione vitæ illius; & cum difficile esset cohibere cives, ut exspectarent mortem multarum, „ quæ tunc erant, monialium; Episcopus anceps „ quid agendum esset, consuluit sacram Congregationem Concilii.

Dubia sacræ Congregationi Concilii hac in materia proposita.

Primo: „ An durante tempore probationis satis „ consultum sit, si puellæ alimenta a parentibus subministrentur „.

Secundo: „ „ An adveniente tempore emittendæ Professionis, satis sit solvere dotem ex pactione, ut inde emantur annui redditus, vel res stabiles, vel ut redimatur aliquis ager monasterii, ita ut augeantur redditus monasterii, licet inspectis omnibus monialibus in communi, adhuc non possint commode sustentari „ „

Tertio: „ „ An satis consultum sit menti Legislatoris, si ultra dotem in solidum dandam certa pro-

missio fiat a parentibus alicujus annuæ pensionis, vita durante illius puellæ, quæ sufficiat ad victum illius „„.

Quarto: „ An promissio facienda sit monasterio „ vel puellæ „.

Responsa S. C. Ad primum sacra Congregatio respondet: *Satis esse consultum.*

Ad secundum: „„ Satis esse, si pecunia quæ nomine dotis dabitur, convertatur vere in emptionem tanti annui redditus, vel in redemptionem tot bonorum monasterii oppignoratorum, ut sic redditus monasterii tantum augeatur, quantum sufficiat victui puellarum in moniales recipiendarum; quod tamen augmentum non privatim vertatur in utilitatem ipsarum puellarum, sed in totius monasterii communem usum, ex quo, & ipsæ puellæ una cum aliis ali poterunt „„.

Ad tertium: „„ Debere Episcopum id curare omnino, ut propinqui publico, validoque instrumento se obligent ad certam annuam præstationem, quæ minor non sit duodecim aureis pro necessitatibus puellarum, dum vixerint „„.

Ad quartum respondit: „„ Promissionem hanc faciendam esse monasterio, non autem puellis ipsis. Minime permittendum, ut pecunia hæc detur eis, ne alioquin contra votum suum solemne fiant proprietariæ, sed recta deferatur ad manus Abbatissæ, quæ imprimis ex ea subveniet arbitrio suo necessitatibus earum monialium, pro quibus persoluta fuerit. Si quid reliquum erit, convertet in communem usum monasterii „„. Quæ omnia (inquit *Fagnanus*) „ Sanctissimus in consistorio approbavit, non tamen „ ad eum finem, ut fiat nova Bulla super hac decla„ ratione, sed ut singulis Episcopis petentibus, prout „ nunc petit Placentinus, ita respondeatur.

Ex his id unum colligi velim, dotalium eleemosynarum solutionem, & receptionem, pensionumque vitalitiarum, a simoniæ labe immunem esse illis etiam monasteriis, in quibus definitus est monialium numerus, qui ex redditibus, & consuetis eleemo-

mosynis ali possit. Sed tamen diœcesani mores, legesque municipales, & edicta in dotium, & pensionum hujusmodi constitutione etiam servanda sunt.

REGULA XXXIII.

Pro Baptismo pecuniam solvere non licet, etiam urgente necessitate, & in vitæ discrimine.

Quamobrem, si Sacerdos absque pretio baptizare nolit, ejus ministerio minime utendum est, ut docet *S. Th.* 2. 2. qu. 100. art. 2. ad 1. „„ In casu necessitatis (*ait*) quilibet potest baptizare. Et quia nullo modo est peccandum, pro eodem est habendum, si Sacerdos absque pretio baptizare non velit, ac si non esset, qui baptizaret. Unde ille, qui gerit curam pueri, in tali casu, licite potest eum baptizare, vel a quocunque alio facere baptizari. Posset tamen licite aquam a Sacerdote emere, quæ est purum elementum corporale. Si autem esset adultus, qui Baptismum desideraret, & immineret mortis periculum, nec Sacerdos eum vellet sine pretio baptizare, deberet, si posset, per alium baptizari. Quod si non posset ad alium habere recursum, nullo modo deberet pretium pro Baptismo dare, sed potius absque Baptismo decedere. Suppleretur enim ei ex Baptismo flaminis, quod ei ex Sacramento deesset „„. Hinc Can. *Emendari*, caus. 1. q. 1. qui est illiberitani Conc. Can. 48. decretum est, ut qui baptizarentur, non mitterent nummos in concham, id est, in vas aquæ baptismatis (ut antea fieri solebat) ne ex hac fidelium pietate Sacerdotes Spiritum sanctum, quem gratis acceperant, pretio distrahere viderentur. „„ Emendari placuit, ut hi, qui baptizantur (ut fieri solebat) nummos in concham non mittant, ne Sacerdos, quod gratis accepit, pretio distrahere videatur „„. Simonia in Sacramentorum administratione.

Eamdem Regulam confirmat *Gelasius I.* Epist. ad Episcopos per Lucaniam, & Brutios, & Siciliam constitutos. „„ Baptizandis, *inquit*, consignandisque fide-

fidelibus pretia nulla præfigant; nec illationibus quibuslibet impositis exagitare cupiant renascentes; quoniam quod gratis accepimus, gratis dare mandamur; & ideo nihil a prædictis prorsus exigere moliantur, quod vel paupertate cogente deterriti, vel indignatione revocati, redemptionis suæ causam adire despiciant; certum habentes, quod qui prohibita deprehensi fuerint admisisse; vel commissa non potius sua sponte correxerint, periculum subituri proprii sint honoris „ „.

Et Conc. Bracarense 2. Can. 7. „ „ Placuit, ut unusquisque Episcopus per Ecclesias suas hoc præcipiat; ut hi, qui infantes suos ad Baptismum offerunt, si quid voluntarie pro suo offerunt voto, suscipiatur ab eis; si vero per necessitatem paupertatis aliquid non habent, quod offerant, nullum eis pignus violenter tollatur a Clericis. Nam multi pauperes hoc timentes, filios a Baptismo retrahunt; qui si forte, dum differuntur, sine gratia Baptismi de hac vita recesserint, necesse est, ut ab illis eorum perditio requiratur, quorum spolia pertimescentes, a Baptismi gratia se retraxerunt „ „.

Nec refert, utrum ante, vel post Baptismum aliquid a Sacerdotibus, qui illud Sacramentum administrarunt, exigatur; utrumque enim simoniacum est. Unde cum prava consuetudine in Mediolanensi provincia receptum esset, baptizatos infantes in altari collocare, ut muneribus compatrum inde redimerentur, Concilium Mediolanense 1. Præside *S. Carolo Borromæo* hanc sustulit corruptelam.

REGULA XXXIV.

Pro Chrismate sacro, vel oleo catechumenorum, aut infirmorum, pretium exigere citra simoniæ crimen nemo potest.

Hanc Regulam tradit *Alexander III.* cap. *Ea, quæ de Avaritia*, Ext. *De Simonia*, cujus hæc sunt verba: „ „ Audivimus, quod nummos pro Chrismate ab

ab Ecclesiis extorquetis; quos nunc cathedraticum, aliquando paschalem præstationem, interdum episcopalem consuetudinem appellatis. Quia vero hoc simoniacum esse cognoscitur; mandamus, quatenus prætextu alicujus consuetudinis, vel prælationis, præscriptos denarios nullatenus exigatis; pro certo sciturí, quod si hoc præsumpseritis, periculum ordinis; & dignitatis poteritis non immerito formidare „„.

Idem confirmatur ex cap. *In tantum;* quod *Innocentii III.* Reiponsum est, eod. tit. „„ Sane, *inquit*, pervenit ad audientiam nostram, quod cum olim quidam suffraganei tui pro Chrismate certam consueverint accipere pecuniæ quantitatem, non metuentes pœnam canonicam, & correctionem tuam eludere cupientes, tempus faciendæ solutionis anticipant, recipientes in media Quadragesima, quod recipere consuevere post Pascha; & ut causam recipiendi dissimulent, nomen denariorum variant; denarios, quos prius chrismales, secundo paschales dicebant, consuetudinem mediæ Quadragesimæ nuncupantes. Cum vero expressius exprimat venditionis speciem, qui prius recipit pretium, quam rem conferat pretiosam, & gratis sit gratia conferenda; mandamus, quatenus taliter excessus corrigas, supra dictos suffraganeos tuos, & officiales eorum a tam illicita exactione compescens, quo aliorum culpa tibi ob tuam negligentiam non imputetur ad pœnam „„.

REGULA XXXV.

Pactio quælibet pro Missarum celebratione illicita, & simoniaca est.

Quamobrem Tridentina Synodus Sess. 22. in decreto *De observandis, & vitandis in celebratione Missæ*, monet Episcopos, ut „„ Imprimis, quod ad avaritiam pertinet, cujusvis generis mercedem, conditiones, pacta, & quidquid pro Missis novis celebrandis datur; necnon importunas, atque

Pactiones quælibet pro celebratione Missarum illicitæ, & simoniacæ.

que illíberales eleemoſynarum exactiones potius quam poſtulationes, aliaque hujuſmodi, quæ a ſimoniaca labe, vel certe a turpi quæſtu non longe abſunt, omnino prohibeant „„.

Et Conc. Remenſe anno 1585. „„ Sacerdotes, qui de pretio paciſcuntur, ut Miſſas celebrent, & Paræci, qui pro Sacramentorum adminiſtratione, vel funere, vel ſepulturis exigunt, præter ea, quæ de jure, vel conſuetudine laudabili conferuntur, habeantur ſimoniaci, non autem ſi ſponte oblata recipiant „„.

Id conſonum eſt antiquioris Conc. Toletani, ſcilicet anno 1324. celebrati Can. 6. quo Presbyteri perſtringuntur, qui pro Miſſis pecunias exigunt: „„ Æſtimantes, ut ex eorum facto pernicioſo videtur; gratiam Dei, quæ in Miſſæ Sacramento confertur, vel verius ipſum Deum, qui nobis ſub ſpecie dicti Sacramenti ſe exhibet, pecunia poſſe vendi. Verum (*inquit*) cum dictum Sacramentum ſuper omnia pretioſum ſit, liberaliter ſicut cætera Sacramenta celebrandum, diſtrictius prohibemus, ne aliquis Presbyter pro Miſſis celebrandis pecuniam exigat, vel rem aliam temporalem; ſed grate accipiat, ſi aliquid per facientem Miſſas celebrari oblatum ſibi charitative fuerit, abſque pacto, & conventione quacunque. Qui vero contrarium fecerit, a celebratione Miſſæ per annum noverit ſe ſuſpenſum, & alias pro tam gravi exceſſu ad arbitrium proprii Epiſcopi puniendum „„.

Eamdem Regulam confirmat *S. Th.* in 4. *Sentent.* diſt. 25. qu. 3. art. 2. Quæſtiunc. 1. ad 4. „„ Facere (*inquit*) pactionem de Miſſa celebranda eſt ſimoniacum ſemper; ſi tamen non habet alios ſumptus, & non tenetur ex officio Miſſam cantare; poteſt accipere denarios (ſicut conducti Sacerdotes faciunt) non quaſi pretium Miſſæ, ſed quaſi ſuſtentamentum vitæ „„.

Et 2. 2. qu. 100. art. 2. ad 2. „„ Sacerdos non accipit pecuniam quaſi pretium conſecrationis Eucha-

chariſtiæ, aut Miſſæ decantandæ (hoc enim eſſet ſimoniacum;) ſed quaſi ſtipendium ſuæ ſuſtentationis „„.

Et rurſus in 4. *Sentent.* quæſtione, & articulo mox indicatis Quæſtiuncula 2. Actum aliquem ſpiritualem dici poſſe notat, vel quantum ad ſuum principium, quia competit alicui ex aliquo ſpirituali dono, vel officio; vel quantum ad ſui finem; ut quando per actum ad aliquod ſpirituale donum pervenitur: „„ In actibus (*inquit*) qui primo modo ſpirituales ſunt, quia ſpirituale eſt ex parte agentis, nullo modo ſine ſimonia poteſt aliquis locare actus ſuos; ſed poteſt aliquid accipere in ſuſtentationem vitæ. In ſecundis autem actibus, quia ſpiritualitas non eſt ex parte agentis, poteſt etiam vendere operas ſuas; ſed non vendere hoc ſpirituale, quod ex ejus actu acquiritur „„. Unde quia docere artes liberales eſt actus ſpiritualis ſecundo modo, licet magiſtris artium vendere labores ſuos, ſed non ſcientiam, ſive veritatem, quæ ſpiritualis eſt. Sed quia „„ Anniverſarium celebrare eſt ſpiritualis actus primo modo, nullo modo licet paciſci pro eo celebrando. Si tamen cum devotione aliquid detur Eccleſiæ, Eccleſia tenetur celebrare pro illis, pro quibus rogatur „„, (inquit *S. Thomas* in Reſponſione ad 1.)

Contra hoc ſimoniæ genus ſcribit *Petrus Cantor* in *Verbo abbreviato*, cap. 27. „„ Ut (*inquit*) inſiſtamus radici, id eſt, cupiditati ſimoniacæ extirpandæ: *Sic benedicam te in vita mea*, ſcilicet: *In nomine tuo*, non nummi, non cupiditatis: *Levabo manus mea;* quas in honore, & gloria Domini levat, qui bonis inſiſtens, non ſuam, vel mundi, ſed Domini gloriam quærit. Quaſi diceret: A me incipio, quia me cum vitiis, & concupiſcentiis crucifigo; Crucifixum prædico, Crucifixum adoro; & quod plus eſt Crucifixum ſincere conficio, ſumo, aliis manducandum diſtribuo. Quomodo ergo manus mundo crucifixas, te Chriſte, conficientes, levabo ad alium, quam ad te, pretium mundi? Quomodo ad quæſtum; ma- Pſal. 62. 5.

xime

xime ad peccatum? Simon magus, qui christianus esse, & miracula facere voluit propter quæstum, repulsam passus est a Simone Petro; ob quam ulciscendam quasi dixit ei: Tu repellis me, & ego triumphabo de te, imo de toto corpore Ecclesiæ. In ipsis etiam altaribus ponam solium, & cubile, & thronum, & dominium meum; ut etiam præsentibus Angelis, & quasi coadunatis in uno angulo altaris conficere Corpus Domini, ego in alio cum ministro altaris, imo cum meo potius, illud pro pretio conficiam „„.

Hinc *Arnulfus* Lexoviensis Episcopus Epist. 54. „„ Oportet (*inquit*) offerentem puras manus inferre, ne quod impretiabile est, omnique veneratione dignissimum, vel sub pretii recidat utilitatem, vel causis indignioribus expendatur „„.

Et Robertus Cardinalis *Pullus*, pat. 8. cap. 17. „„ Quid est (*inquit*) Missarum solemnia contuitu temporalis commodi celebrare, nisi cum Juda Christum vendere, tanto nequius quanto resurgendo est sublimatus „„?

Certe cum Missarum honorarium in locum antiquarum oblationum panis, & vini successerit, sicut Laici illud tanquam Deo acceptam oblationem Sacerdoti offerre debent, ita quoque illud Sacerdos non tanquam pretium Missæ, sed ut voluntariam oblationem grato animo accipere tenetur, atque ostendere se velle Deo voluntarie sacrificare. Et si quando nihil, aut aliud minus liberali animo honorarii loco ordinatum fuerit, non contristetur, nec aliquod indignationis det indicium; quin potius ut ostendat se magno, liberalique animo gratis dare, quod gratis accepit, ab omni cogitatione, & desiderio muneris, & honorarii se semper contineat; & si quando aliquid offeratur, illud quamvis exiguum lætiori, lubentiorique animo accipiat, quam paupercula illa vidua æra minuta duo, quæ sola habebat, in Gazophylacium mittebat. Cavendum denique & privatis Sacerdotibus, & Communitatibus, ne con-

ven-

ventiones directe, vel indirecte super hisce honorariis ineant, ne & hisce temporibus locum habeat, quod deplorabat olim Ecclesiæ malum Alvarus Pelagius, Silvensis Episcopus ex Ordine S. Francisci assumptus, lib. 2. de planctu Ecclesiæ, art. 5. „ „ Tot hodie dicuntur Missæ quasi quæstuarie, vel consuetudinarie, vel ad complacentiam, vel ad scelera cooperienda, vel propriam justificationem, quod apud populum, vel Clerum sacrosanctum Corpus Domini jam vilescit. Unde, & almus Franciscus voluit, quod in quocunque loco fratres contenti essent una Missa, præsciens fratres se velle justificare per Missas, & ad quæstum eas reducere, sicut videmus hodie fieri. Unde & dicebat, quod una Missa cœlum, & terram implebat „ „.

REGULA XXXVI.

Quamvis pœnitentibus in utroque foro imperari possint eleemosynæ, & excommunicatis indici possint mulctæ pecuniariæ, cum in foro externo absolvuntur, nihil tamen exigi pro absolutione potest citra simoniæ crimen.

Pro Sacramentis enim, & pro ministerio ecclesiastico exercendo aliquid exigere, simoniacum est. Hanc Regulam confirmat *Lucius III.* cap. *Ad aures*, Ext. *De Simonia*, scribens, *Indignum* esse, & *Ecclesiasticæ rationi contrarium, ut absolutionis beneficium redimatur.*

Eamdem confirmat *S. Th.* 2. 2. qu. 100. art. 2. ad 3. „ „ Pecunia (*inquit*) non exigitur ab eo, qui absolvitur, quasi pretium absolutionis; (hoc enim esset simoniacum) sed quasi pœna culpæ præcedentis, pro qua fuit excommunicatus „ „.

REGULA XXXVII.

Simoniæ rei sunt ecclesiastici judices, qui pretio, vel favore celant peccatorem; aut digne pœnitenti, ac satisfactionem condignam offerenti, absolutionis beneficium negant. Item confessarii, qui pretio pariter, vel favore non pœnitentem absolvunt, levioremve, quam par sit, pœnitentiam imponunt.

Simonia ecclesiasticorum judicum, & Confessariorum.

Hæc Regula nititur cap. *Nemo*, Ext. *De Simonia*, quod *Alexandri III.* Responsum est: „„ Nemo *inquit*, Presbyterorum xenium, vel emolumentum quodlibet temporale, imo spirituale detrimentum a quocunque publice peccante accipiat, ut Episcopo vel ministris ejus peccatum illius celet; nec pro respectu cujusque personæ consanguinitatis, aut familiaritatis, alienis communicans peccatis hoc Episcopo innotescere detrectet; nec quemquam pœnitentem, vel minus digne pœnitentem, gratia, vel favore ad reconciliationem adducat, & testimonium reconciliationis ferat eidem; vel quocunque livore, digne pœnitentem a reconciliatione removeat; quia simoniacum est utrumque „„.

Eamdem Regulam confirmat *S. Th.* in 4. *Sententiarum*, dist. 25. qu. 3. art. 2. Quæstiuncula 2. ad 6. „„ Correctio, *inquit*, est spiritualis actus; unde simoniam committit, qui pecuniam accipit, ut peccatum, quod tenetur revelare, aut punire, non revelet, nec puniat „„.

REGULA XXXVIII.

Pro benedictionibus nubentium, sicut & pro cæterorum Sacramentorum administratione pretium exigere, aut quovis modo pacisci, crimen simoniæ est; cogi tamen possunt Fideles, quos paupertas non excusat, ad solvendum Ecclesiæ ministris honorarium, quod pia consuetudine constitutum est.

Honoraria Ecclesiæ ministris pia consuetudine debita.

Hanc Regulam tradit Conc. Lateran. 4. sub *Innoc. III.* celebratum, Can. 66. & refertur cap. *Ad Apostolicam*, Ext. *De Simonia*, cujus hæc sunt verba: „„ Quidam Clerici pro exequiis mortuorum, & benedictionibus nubentium, & similibus pecuniam exigunt, & extorquent, & si forte eorum cupiditati non fuerit satisfactum, impedimenta fictitia fraudulenter opponunt. Econtra vero quidam Laici laudabilem consuetudinem erga sanctam Ecclesiam

fiam pia devotione Fidelium introductam, ex fermento hæreticæ pravitatis nituntur infringere, sub prætextu canonicæ pietatis. Quapropter super his pravas exactiones fieri prohibemus, & pias consuetudines præcipimus observari; statuentes, ut libere conferantur ecclesiastica Sacramenta; sed per Episcopum loci, veritate cognita, compescantur, qui malitiose nituntur laudabilem consuetudinem immutare „ „.

Idem antea decreverat Concilium Oecumenicum *Lateranense* sub *Alexandro III.* ut refertur cap. *Eum in Ecclesia*, Ext. *De Simonia;* cujus hæc sunt verba: „ „ Ne vel pro personis ecclesiasticis deducendis in Sedem, vel Sacerdotibus instituendis, aut sepeliendis mortuis, seu benedicendis nubentibus, seu aliis Sacramentis aliquid exigatur, districtius prohibemus. Si quis autem contra hoc venire præsumpserit, portionem cum Giezi se noverit habiturum „ „.

Idem confirmatur ex Conc. Turonensi anno 1236. Can. 4. „ „ Innovamus, ut Sacramenta ecclesiastica gratis exhibeantur; inhibentes, ne pro eis, antequam fiant, aliquid petatur, seu etiam exigatur. Quibus gratis exhibitis, poterit peti, quod de pia consuetudine exigi consuevit, subditos ad hoc per Prælatos Censura ecclesiastica compellendo „ „.

Præclarum est ea de re Conc. Rothomagensis anno 1581. Decretum, Tit. *De Curatorum, & aliorum Presbyterorum, ac Parœcianorum officiis*, cap. 26. „ „ Quamvis (*inquit*) nefaria sit simoniaca pro Sacramentorum administratione pactio, & licitatio; nihilominus, qui catechizatur, debet in omnibus ministrare ei, qui catechizat, & rependere temporalia seminanti spiritualia. Proinde sicut damnamus Curatorum, & Presbyterorum exactiones; ita non tantum ingrati animi, sed contra naturæ debitum, & jus divinum nitentis, & corrupti esse judicamus, dispensanti Sacramenta ad salutem requisita non suppeditare victui necessaria, & operæ pretium, & salutis mercedem non reddere; scriptum est enim: *Non alligabis os bovi trituranti.* Et: *Quis pascit gre-* 1. Cor. 9.

gem, & de lacte gregis non manducat? Quis plantat vineam, & de genimine vitis non bibit? Ita & his, qui altari deserviunt, de altari vivere constituit Deus. Proinde noverint omnes Christiani, non liberalitatis esse, sed debiti, ministranti Sacramenta, atque alia spiritualia, stipendium aliquod solvere, unde vivat. Sed cum pretio nummario Sacramenta nequeant æstimari, nec quanti sit cuique necessarium ad victum, possit, nisi ex ratione temporum, locorum, & personarum, definiri; recte majores nostri ad laudabiles consuetudines, ad evitandum avaritiæ, & sordium suspicionem, occurrendum duxerunt, quæ cum hominum malitia intermittantur, obtestamur in Domino Curatos, & Parœcianos de his amice inter se convenire pro temporum varietate, & difficultate. Quod si Parœciani in contumacia contra jus naturæ, & divinum perstiterint, volumus eos vocari a Curatis coram Episcopis, & circumspectis omnibus, quod rationi videbitur, constituatur, præsertim in civitatibus, & oppidis, ubi refrigescit charitas & abundat iniquitas, nec Curatis ullæ decimæ, aut alii suppetunt proventus „„.

Eamdem Regulam confirmat *S. Th.* qu. 100. art. 2. „„ Sacramenta (*inquit*) novæ legis sunt maxime spiritualia, in quantum sunt causa spiritualis gratiæ, quæ pretio æstimari non potest, & ejus rationi repugnat, quod non gratuito detur. Dispensantur autem Sacramenta per Ecclesiæ ministros, quos oportet a populo sustentari, secundum illud Apostoli 1. ad Cor. 9. *Nescitis quoniam, qui in Sacrario operantur, quæ de Sacrario sunt, edunt; & qui Altario deserviunt, cum altario participant?* Sic ergo dicendum est, quod accipere pecuniam pro spirituali Sacramentorum gratia, est crimen simoniæ, quod nulla consuetudine potest excusari; quia consuetudo non præjudicat juri naturali, vel divino. Per pecuniam autem intelligitur omne illud, cujus pretium potest æstimari. Accipere autem aliqua ad sustentationem eorum, qui Sacramenta Christi ministrant, secundum ordinationem

nem Ecclesiæ, & consuetudines approbatas, non est simonia, neque peccatum. Non enim sumitur tanquam pretium mercedis, sed tanquam stipendium necessitatis. Unde *S. Augustin.* lib. *De Pastoribus ait*: Accipiant necessitatem sustentationis a populo, mercedem dispensationis a Domino „ „.

Et in Responsione ad 4. „ „ Consuetudo (*inquit*) non præjudicat juri naturali, vel divino, quo simonia prohibetur; & ideo si aliqua ex consuetudine exigantur quasi pretium rei spiritualis cum intentione emendi, vel vendendi, est manifeste simonia, & præcipue si ab invito exigantur. Si vero exigantur quasi quædam stipendia per consuetudinem approbata, non est simonia, si tamen desit intentio emendi, vel vendendi, sed intentio referatur ad solam consuetudinis observantiam, & præcipue quando aliquis voluntarie solvit. In his tamen omnibus solicite cavendum est, quod habet speciem simoniæ, vel cupiditatis secundum illud Apostoli 1. ad Thessal. ult. *Ab omni specie mala abstinete vos* „ „.

Et ad Sextum: „ „ Dare pecuniam pro matrimonio in quantum est naturæ officium, licitum est; in quantum vero est Ecclesiæ Sacramentum, est illicitum; & ideo secundum jura prohibetur, ne pro benedictione nuptiarum aliquid exigatur „ „.

Item art. 3. „ „ Vendere, quod spirituale est, aut emere, simoniacum est; sed accipere, aut dare aliquid pro sustentatione ministrantium spiritualia, secundum ordinem Ecclesiæ, & consuetudinem approbatam, licitum est; ita tamen quod desit intentio emptionis, vel venditionis; & quod ab invitis non exigantur per spiritualium subtractionem, quæ sunt exhibenda; hoc enim haberet quamdam venditionis speciem. Gratis tamen spiritualibus prius exhibitis, licite possunt statutæ, & consuetæ oblationes, & quicunque alii proventus exigi a nolentibus, & valentibus solvere, auctoritate superioris interveniente „ „.

REGULA XXXIX.

Statutum de proceſſione ad funus non facienda, aut de mortuorum officio non canendo, niſi certa pecuniæ ſumma ſolvatur, ſimoniacum eſt.

Id conſtat ex *S. Th.* 2. 2. qu. 100. art. 3. ad 2. „„ Aliqua (*inquit*) temporalia dantur Deum laudantibus in celebratione eccleſiaſtici officii, ſive pro vivis, ſive pro mortuis, non quaſi pretium, ſed quaſi ſuſtentationis ſtipendium. Et eo etiam tenore pro proceſſionibus faciendis in aliquo funere aliquæ eleemoſynæ recipiuntur. Si autem hujuſmodi pacto interveniente fiant, aut etiam cum intentione emptionis, vel venditionis ſimoniacum eſſet. Unde illicita eſſet ordinatio, ſi in aliqua Eccleſia ſtatueretur, quod non fieret proceſſio in funere alicujus, niſi ſolveret certam pecuniæ quantitatem; quia per tale ſtatutum præcluderetur via gratis officium pietatis aliquibus impendendi. Magis autem licita eſſet ordinatio, ſi ſtatueretur, quod omnibus certam eleemoſynam dantibus talis honor exhiberetur; quia per hoc non præcluderetur via aliis exhibendi. Et præterea, prima ordinatio habet ſpeciem exactionis, ſecunda autem habet ſpeciem gratuitæ compenſationis „„.

REGULA XL.

Pro verbi divini prædicatione pretium exigere, ſimonia eſt; ſtipendia tamen ſuſtentationis Concionatoribus evangelicis debentur.

Evangelii namque prædicatio, cum ſit miniſterium ſpirituale, pretio æſtimari non poteſt; at ſtipendia ſuſtentationis Concionatoribus divino jure debentur, ut docet Apoſtolus 1. ad Cor. 9. *Quis militat ſuis ſtipendiis unquam? Quis plantat vineam, & de fructu ejus non edit? Quis paſcit gregem, & de lacte gregis non manducat? Scriptum eſt in Lege Moyſi: Non alligabis os bovi trituranti. Nunquid de bobus cura eſt Deo? Au propter nos utique hoc dicit? Nam propter*

nos

nos scripta sunt. Quoniam debet in spe, qui arat, arare; & qui triturat, in spe fructus percipiendi. Si nos vobis spiritualia seminavimus, magnum est, si nos carnalia vestra metamus? ... Nescitis quoniam, qui in Sacrario operantur, quæ de Sacrario sunt, edunt; & qui altari deserviunt, cum altari participant? Ita & Dominus ordinavit iis, qui Evangelium annuntiant de Evangelio vivere.

Idem confirmat *S. Augustin.* lib. *De Opere Monachorum*, cap. 26. „ „ Qui propter hoc (*inquit*) Evangelium prædicat, ut habeat, unde manducet, & unde vestiatur, simul se putet, & Deo servire, quia Evangelium prædicat; & mammonæ, quia propter ista necessaria prædicat; quod Dominus dicit fieri non posse. Ac per hoc ille, qui propter ista Evangelium prædicat, non Deo, sed mammonæ servire convincitur; etsi Deus illo ad aliorum provectum, quomodo ipse nescit, utatur „ „.

Et *S. Greg.* lib. 19. *Moralium*, cap. 10. explicans hæc verba Job cap. 29 *Quando lavabam pedes meos butyro.* Pedes Domini prædicatores Evangelii interpretatur, butyrum vero sustentationem, quæ ipsis a fidelibus debetur. „ „ Butyro (*inquit*) pedes lavantur, dum sanctis prædicatoribus debita ab audientibus stipendia conferuntur; & quos fatigat injunctus prædicationis labor, exhibita a discipulis pinguedo boni operis fovet; non quod ideo prædicent, ut alantur, sed ideo alantur, ut prædicent, id est, ut prædicare subsistant; non ut intentionem sumendi victus transeat actio prædicatoris, sed ad utilitatem prædicationis deserviant ministeria sustentationis. Unde a bonis prædicatoribus non causa victus prædicatio impenditur, sed causa prædicationis accipitur victus. Et quoties prædicantibus necessaria ab audientibus conferuntur, non solent de rerum munere, sed de conferentium gaudere mercede. Unde per Paulum dicitur: *Non quæro datum, sed requiro fructum.* Phil. 1, 17. Datum quippe est res ipsa, quæ impenditur; fructus vero dati est, si benigna mente futuræ mer-

cedis ſtudio aliquid impendatur. Ergo datum in re accipimus, fructum in corde „ „.

Idem docet *S. Thomas*, in 4. *Sentent.* diſt. 25. qu. 3. art. 2. Quæſtiuncula 2. ad quintum: „ „ Stipendia (*inquit*) debentur prædicantibus ad ſuſtentationem victus, ne cogantur relinquere verbum Dei, & circa procuranda ſibi neceſſaria occupari, non autem debentur eis quaſi pretium prædicationis „ „.

Et 2. 2. q. 100. art. 3. ad 2. „ „ Prædicantibus (*inquit*) temporalia debentur ad ſuſtentationem prædicantium; non autem ad emendum prædicationis verbum. Unde ſuper illud 1. ad Tim. 5. *Qui bene præſunt Presbyteri*, &c. dicit Gloſſa (*ex S. Auguſt. ſumpta lib. de Paſtor.*) Neceſſitatis eſt accipere, unde vivitur, charitatis eſt præbere; non tanquam venale ſit Evangelium, ut illud ſit pretium ejus, quod ſumunt, qui annuntiant, unde vivant. Si enim ſic vendunt, magnam rem vili vendunt. Accipiant ſuſtentationem neceſſitatis a populo, mercedem diſpenſationis a Domino... Non exſpectent illi mercedem, niſi unde & iſti ſalutem „ „.

REGULA XLI.

Simoniæ rei ſunt Canonici, qui chorum frequentant propter diſtributiones, tanquam propter finem præcipuum.

Hanc Regulam adſtruit *S. Th.* Quodlibeto 8. qu. 6. art. 1. „ „ Celebrare divinum Officium in Eccleſia (*inquit*) eſt actus ſpiritualis ex parte principii; competit enim alicui ex hoc, quod eſt Clericus. Et ideo ſimoniam committit, qui hujuſmodi actum vendere intendit; in qualibet enim venditione pretium accipitur quaſi finis. Et ideo in prædicto caſu diſtinguendum eſt; ſi enim hujuſmodi diſtributiones recipit quaſi finem ſui operis principaliter intentum, ſimoniam committit; & ita mortaliter peccat; ſi autem habet principalem finem Deum, in tali actu, ad hujuſmodi autem diſtributiones reſpicit ſecunda-

rio,

rio, non quasi in finem, sed sicut in id, quod est necessarium ad suam sustentationem, constat, quod non vendit actum spiritualem; & ita simoniam non committit, nec peccat; si enim acceptio distributionum non erit causa, quare ad Ecclesiam vadat, sed proprie hujusmodi determinationis, quare nunc vadat, & non alia vice „ „.

Triplici ex causa fiunt spiritualia (inquit *Petrus Cantor* in *Verbo abbreviato*, c. 25.) „ „ Causa propter quam, quæ debet esse solus Deus; & causa sine qua non possent fieri; & causa sine qua non fierent. Si spirituale fit ob temporale tantum, & non propter Deum, istud execrabile est, & diabolicum. Si vero causa Dei, & causa terreni emolumenti, sine qua non fierent, cum possent, jam causa sine qua vertitur in causam propter quam. *Pallium enim meum breve est*, &c. *Et stratum meum angustum est*, &c. *Non potestis Deo servire, & Mammonæ. Quousque claudicatis in duas partes? Non potestis ingredi terram duabus viis.* Tertiam vero causam necessitas humanæ fragilitatis excusat, *Dignus est enim operarius cibo suo* „ „. Haiæ 28. Matth. 6. 3. Reg. 18. Eccl. 2.

REGULA XLII.

Simonia mentalis, & conventionalis excommunicationem, aliasque pœnas canonicas non inferunt, sed sola simonia realis, cum scilicet ita de pecunia, seu re pretio æstimabili pro spirituali danda conventum est expresse, vel tacite, ut ex una saltem parte conditio impleta sit.

Ita docet *S. Th.* 2. 2. qu. 100. art. 6. ad 6. „ „ Quoad Deum (*inquit*) sola voluntas facit simoniacum; sed quoad pœnam ecclesiasticam exteriorem non punitur, ut simoniacus, ut abrenuntiare teneatur, sed debet de mala intentione pœnitere „ „.

Id consonum est capiti *Mandato*, Ext. *De Simonia*, quo *Gregorius IX.* Legato quærenti, utrum acceptum ab eo mandatum dispensandi cum Mona-

chis simoniace receptis ad ipsos etiam Abbates pertineret, respondit: „„ Mandatum apostolicum etiam ad Abbates extendi, & ad resignationes spiritualium, & temporalium, quæ nullo pacto, sed affectu animi præcedente, utrinque taliter acquiruntur (in quo casu delinquentibus sufficit per solam pœnitentiam suo satisfacere Creatori) eos pro simonia hujusmodi non teneri „„.

REGULA XLIII.

Qui pro re spirituali aliquid pretio æstimabile dedit, vel accepit, seu munus a manu, aut ab obsequio, aut a lingua, quamvis nullo pacto præcedente; ad renuntiandum beneficio, & ad restitutionem tenetur, si animo proposuerit rem temporalem pro spirituali dare, vel accipere.

„„ Nullus *enim* potest licite retinere id, quod contra voluntatem Domini acquisivit (*inquit S. Thomas 2. 2. qu.* 100. *art.* 6.) Puta, si aliquis dispensator de rebus domini sui daret alicui contra voluntatem, & ordinationem domini sui, ille, qui acciperet, licite retinere non posset. Dominus autem, cujus Ecclesiarum Prælati sunt dispensatores, ministri, ordinavit, ut spiritualia gratis darentur, secundum illud Matth. 10. *Gratis accepistis, gratis date.* Et ideo, qui muneris interventu spiritualia quæcunque assequitur, ea licite retinere non potest „„.

Nititur eadem Regula Can. *Si quis neque*, causa 1. q. 1. qui *S. Gregorio* tribuitur; „„ Si quis fraudulento munusculo Episcopalem, seu Sacerdotalem, non lucro animarum, sed inanis gloriæ avaritia fultus dignitatem acceperit, & in vita sua non sponte reliquerit, cumque insperata mors pœnitentem non invenerit, procul dubio in æternum perit „„. Fraudulentum munusculum intelligitur, quod nulla conventione prævia, quasi ex mera, gratuitaque liberalitate datum est; cum tamen eo donatum, vel acceptum sit animo, ut per illud ad spiritualem digni-

ta-

tatem, seu beneficium ecclesiasticum perveniretur, sive ut illius intuitu beneficium conferretur.

Tandem qui lucrum solo mutui nomine percepit, nullo etiam pacto intercedente, ad ejus restitutionem obligatur, ut colligitur ex cap. *Consuluit*, tit. *De Usura*. Pari ergo jure simoniacus, qui turpe lucrum ex re spirituali, vel ei annexa percepit, ad restitutionem tenetur, etiamsi nullum pactum interceſſerit, sed solo animi proposito pretium intenderit.

REGULA XLIV.

Qui per simoniam ordinati sunt, quamvis ipsi criminis istius conscii non fuerint, ab executione tamen ordinum ipso jure sunt suspensi.

Simoniace ordinatorum irregularitas.

Id constat ex cap. *Quoties*, & cap. *De hoc*, quod est *Alexandri III.* Responsum, Ext. *De Simonia*. Ex *Pauli II.* Constitutione, quæ incipit, *Cum detestabile*; & ex *S. Th.* 2. 2. qu 100. art. 6. ad 1. „„ Ille (*inquit*) qui simoniace recipit sacrum Ordinem, recipit quidem caracterem Ordinis propter efficaciam Sacramenti: non tamen recipit gratiam, neque Ordinis executionem, eo quod quasi furtive susceperit caracterem contra principalis Domini voluntatem. Et ideo est ipso jure suspensus, & quoad se, ut scilicet de executione sui Ordinis se non intromittat; & quoad alios, ut scilicet nullus ei communicet in Ordinis executione. *Et ad tertium*: Si vero eo nec volente, nec sciente, per alios alicujus promotio simoniace procuratur, caret Ordinis executione „„.

REGULA XLV.

Cum iis, qui simoniace sunt ordinati, nec tamen simoniæ conscii fuerunt, dispensare potest Episcopus, ut ordinis ita suscepti functiones obeant; si vero ipsi simoniam commiserint, aut hujusmodi criminis participes fuerint, necessaria est summi Pontificis dispensatio. Idem esto judicium de simoniaca beneficiorum impetratione. Qui enim aliena simonia, nec scientes, nec volentes, beneficium ecclesiasticum consecuti sunt, illud retinere possunt cum Episcopi dispensatione; qui vero simoniæ participes, seu conscii fuere, non possunt, nisi summi Pontificis dispensatione, & indulgentia in integrum restituantur.

Quis dispensare possit cum iis, qui simoniace sunt ordinati.

Prima pars constat ex cap. *De simoniace Ordinatis*, Ext. *De Simonia*, quod est *Lucii III.* Responsum: „ „ Certum (*inquit*) tibi dare non possumus responsum, nisi plenius cognoscamus, qualiter fuerint ordinati; cum quidam, licet secundum quamdam speciem simoniæ, utpote ipsis ignorantibus, simoniace ordinentur, possunt (quia simoniaci non sunt) in suis ordinibus remanere „ „. Idem confirmatur, ex cap. *Post translationem*, Ext. *De Renuntiatione*, quod est *Innocentii III.* Archiepiscopo Ravennati electo scribentis: „ „ Si quis per cupiditatem parentum (eo tamen penitus ignorante) fuerit Episcopatum adeptus, & hoc comperto, Episcopatum ipsum de licentia superioris dimittens, observantiam elegerit regularem; etsi ad Episcopatum eumdem redire postmodum nequeat, juxta canonicas Sanctiones, ad alium tamen poterit licite reassumi „ „. Cujus capitis Glossa hæc habet in rem nostram: „ Papa „ potest dispensare cum simoniacis, qui caracterem „ habent vitiosum, qui scienter simoniam commise„ runt „: Quod probat ex cap. penultimo, *De Simonia*, quod *Gregorii IX.* Responsum est: „ „ Si quis (*inquit*) ordinaverit, seu ad Ordinem præsentaverit aliquem, promissionem, vel juramentum ab illo

illo recipiens, quod ſuper proviſione ſua non inquietet eumdem; Ordinator a collatione, præſentator vero ab executione ordinum per triennium, & Ordinatus ab ordine ſic ſuſcepto, donec diſpenſationem ſuper hoc per Sedem apoſtolicam obtinere meruerint, noverint ſe ſuſpenſos „„. Pergit Gloſſa: „„ Sed inferiores Prælati non poſſunt diſpenſare cum ſciente, ſed Papa; hoc ideo, quia bene purgatur vitium furti, re furtiva apud furem remanente de voluntate Domini, *ff. De Uſur. L. Si fur. & cauſ.* 1. *qu.* 1. *C. quod quidam, verſ. Si forte malitiæ caracterem, &c.* Sed cum ſimonia commiſſa eſt ignorante illo, cui acquiſitum eſt beneficium, vel qui ordinem, vel dignitatem adeptus eſt ignoranter, poſſunt Epiſcopi diſpenſare poſt liberam reſignationem. Sed in hoc diſtinguo: Si beneficium etiam ſimplex eo modo eſt adeptus, ſtatim poſt reſignationem poteſt reſumi ad illud diſpenſative, ut ſupra, *De electione, c. Si alicujus.* In illo, qui dignitatem ſic eſt adeptus, diſtingue, ſi ſponte reſignat, petens humiliter reſignationem admitti, ſtatim poteſt Epiſcopus diſpenſare cum illo, & ad eamdem Prælaturam. *Cauſ.* 1. *q.* 5. *C. Præſentium.* Ubi diſpenſatur in dignitate aſſumenda cum eo, qui ſponte renuntiavit ordini ignoranter recepto. Si vero de hoc contendit in judicio, & electio ſua reprobata fuerit, quia ſimoniace fuit facta, licet eo ignorante, tunc Epiſcopus illa vice cum eo non poterit diſpenſare, ſed poſtea ſic. Supra, *De electione, cap. Si alicujus.* Et ita teneas circa hujuſmodi diſpenſationem ſimoniacorum „„.

Secunda pars Regulæ noſtræ confirmatur ex *Gregorio IX.* cap. *Si alicujus*, Ext. *De Electione*, mox laudato. „„ Si alicujus electionem (*inquit*) propter ſimoniam, eo ignorante, ac ratum non habente commiſſam, contingerit reprobari; cum eo ſuper prælatione, ad quam taliter fuerat electus, illa vice non poteſt Epiſcopus diſpenſare. Quamvis circa eum, qui ignoranter recipit ſimplex beneficium per ſimoniacam

cam pravitatem, post liberam resignationem, Episcopi dispensatio toleretur „ „.

Idem confirmatur ex *S. Th.* 2. 2. qu. 100. art. 6. ad 7. „„ Dispensare, *inquit*, cum eo, qui est beneficiatus simoniace scienter, solus Papa potest. In aliis autem casibus potest etiam Episcopus dispensare; ita tamen, quod prius abrenuntiet, quod simoniace acquisivit, & tunc dispensationem consequatur; vel parvam, ut habeat laicam Communionem; vel magnam, ut post pœnitentiam in alia Ecclesia in suo ordine remaneat; vel majorem, ut remaneat in eadem, sed in minoribus Ordinibus; vel maximam, ut in eadem Ecclesia etiam majores Ordines exequatur, non tamen prælationem accipiat „ „.

REGULA XLV.

Renuntians beneficio simplici, ad quod per simoniam ignoratam fuerat assumptus, si postea ad illud ex indulgentia capituli iterum assumatur, nihil ex prima electione sibi vindicare potest.

Canonicus itaque sic promotus, & post renuntiationem iterum admissus, postremum locum in choro, & in aliis obtinet, ut respondet *Clemens III.* cap. *Ex insinuatione*, Ext. *De Simonia.* Prima enim collatio, seu receptio ipso jure nulla erat; actio autem semel extincta non amplius reviviscit.

REGULA XLVI.

In pœnas canonicas non incurrit, nec ad beneficium, dignitatem, vel officium ecclesiasticum resignandum tenetur ille, quo non solum ignorante, sed prohibente, pecunia, vel aliquid aliud pretio æstimandum datum est, ut ei beneficium illud, dignitas, vel officium procuraretur; maxime si datum sit in ejus odium, & per insidias.

Ita declarat *Innoc. III.* cap. *Sicut*, Ext. *De Simonia*, cujus hæc sunt verba: „„ Quamvis autem secundum sacrorum Canonum instituta, etiam parvuli,

vuli, qui cupiditate parentum Ecclesias per pecuniam sunt adepti, eas dimittere teneantur; quia tamen longe diversum est non præbere consensum, & expresse aliquid prohibere; taliter duximus respondendum, quoniam ex eo, quod contra prohibitionem, & voluntatem tuam (a qua postmodum minime recessisti) aliquis, te penitus ignorante, promisit pecuniam, & exsolvit; præsertim cum is nulla sit tibi consanguinitate conjunctus, nihil tibi debet ad pœnam, vel culpam (sicut credimus) imputari; nisi postea consenseris, pecuniam solvendo promissam, aut reddendo solutam; alioquin contingeret, quod alicujus factum, insidias inimico parantis, ei damnosum existeret, cui penitus displiceret; & sic aliquis de fraude sua commodum reportaret „„.

REGULA XLVII.

Qui beneficium per simoniam sciens volens obtinuit, fructus omnes restituere tenetur, non solum extantes, sed consumptos, illis duntaxat exceptis, qui in Ecclesiæ ipsius utilitatem sunt expensi; qui vero simoniæ conscius non fuit, fructus consumptos restituere non tenetur.

Simoniacorum restitutio.

Sic respondet *S. Th.* 2. 2. q. 100. art. 6. ad 3. „„ Si aliquis (*inquit*) scienter, & propria sponte simoniace accipiat ordinem, vel ecclesiasticum beneficium, non solum privatur eo, quod accepit, ut scilicet careat executione ordinis, & beneficium resignet cum fructibus inde perceptis; sed etiam ulterius punitur, quia notatur infamia. Et tenetur ad restituendos fructus non solum perceptos, sed etiam eos, qui percipi potuerunt a possessore diligenti. Quod tamen intelligendum est de fructibus, qui supersunt, deductis expensis factis causa fructuum, exceptis fructibus illis, qui alias expensi sunt in utilitatem Ecclesiæ. Si vero eo nec volente, nec sciente, per alios alicujus promotio simoniace procuratur, caret quidem ordinis executione,

& tenetur resignare beneficium, quod est consecutus, cum fructibus existantibus; non autem tenetur restituere fructus consumptos, quia bona fide possedit; nisi forte inimicus ejus fraudulenter pecuniam daret pro alicujus promotione, vel nisi ipse expresse contradixerit. Tunc enim non tenetur ad renuntiandum, nisi forte postmodum pacto consenserit, solvendo quod fuit promissum „ „.

REGULA XLVIII.

Restitutio pecuniæ per simoniam acceptæ, fructumque ex beneficiis simoniace obtentis perceptorum, facienda est Ecclesiæ, vel pauperibus.

Cui facienda restitutio fructuum a simoniacis.

Ecclesiæ restitutionem faciendam respondet *Alexander III.* cap. *De hoc*, Ext. *De Simonia.* Ecclesiæ, vel pauperibus faciendam, *S. Th.* docet, 2. 2. qu. 32. art. 7. „ „ Alio modo (*inquit*) est aliquid illicitè acquisitum, quia quidem ille, qui acquisivit, retinere non potest, quia scilicet contra justitiam accepit, & alter contra justitiam dedit; sicut contingit in simonia, in qua dans, & accipiens, contra justitiam legis divinæ agit. Unde non debet fieri restitutio ei, qui dedit, sed debet in eleemosynas erogari „ „.

Et q. 100. art. 6. ad 4. „ „ Pecunia, *inquit*, vel possessio, vel fructus simoniace accepti, debent restitui Ecclesiæ, in cujus injuriam data fuerunt, non obstante, quod prælatus, vel aliquis de collegio illius Ecclesiæ fuit in culpa; quia eorum peccatum non debet aliis nocere; ita tamen quod, quantum fieri potest, ipsi, qui peccaverunt, inde commodum non consequantur, Si vero Prælatus, & totum collegium sunt in culpa, tunc debet cum auctoritate superioris, vel pauperibus, vel alteri Ecclesiæ erogari „ „.

CA-

CAPUT VIII.

De Horis canonicis, & obligatione illas recitandi.

ARTICULUS PRIMUS.

De Horarum canonicarum antiquitate, & numero.

Cum *Oportéat* christianum *semper orare, & nunquam deficere*, ut docet Christus; multò magis Clerici, qui Deo singulari quadam, & præcipua ratione consecrati, & mancipati sunt, quasi quidam inter Deum, & populum sequestri, ac mediatores, & a rerum terrenarum curis, ac solicitudinibus hujus sæculi magis liberi, & expediti, assidue in oratione versari tenentur, Apostolorum exemplo, qui sic orationi sese adstrictos esse sentiebant, ut relicta Diaconis viduarum, & pauperum procuratione, totos se orationi, & prædicationi verbi Dei addictos profiterentur: *Nos vero orationi, & ministerio verbi instantes erimus.* Sed cum humana infirmitas & multiplex hujus vitæ necessitas non patiatur, ut homines continua mentis intentione in Dei laudibus, & oratione occupentur; aliisque etiam ordinis sui officiis pro salute proximorum incumbere Clerici debeant; ideo diversæ orandi horæ ab initio Ecclesiæ constitutæ sunt. In Synagoga tres erant celebriores orandi horæ, Tertia, Sexta, & Nona; ut ex Scriptura sacra colligitur, & ex *Tertulliano* lib. *De jejunio*, cap. 10. & 11. qui & has horas *Officiis Dei* consecratas, *exinde Apostolicas* vocat, id est, ab Ecclesia Christi Apostolorum tempore, & ex eorum præscripto observatas. „ „ Sed nobis (*inquit*, S. Cyprianus *lib. de Oratione dominica*) præter horas antiquitus observatas, orandi, nunc & spatia, & sacramenta creverunt. Nam, & mane orandum est, ut Resurrectio Domini matutina oratione celebretur... Recedente item sole, ac die cessante necessario rursus orandum est. Nam quia Christus sol verus, & dies est verus, sole, ac die sæculari recedente, quando

Luc. 18. 1.

Act. 6.

Diversæ orandi horæ ab initio Ecclesiæ constitutæ.

do oramus, ac petimus, ut supra nos lux denuo veniat, Christi precamur adventum, lucis æternæ gratiam præbiturum... Quod si in Scripturis sanctis sol verus, & dies verus est Christus; hora nulla a Christianis excipitur, quo minus frequenter, ac semper Deus debeat adorari; ut qui in Christo, hoc est, in sole, & in die vero sumus, insistamus per totam diem precibus, & oremus; & quando mundi lege decurrens vicibus alternis nox revoluta succedit, nullum de nocturnis tenebris esse orantibus damnum potest, quia filiis lucis & in noctibus dies est „„.

S. Hieronymus Epistola *ad Eustochium*, *De Custodia Virginitatis*, diversas orandi horas institutas docet, ut si forte aliquo fuerimus opere nimium detenti: *Ipsam nos ad officium tempus admoneat.* Et in Epist. *ad Demetriadem Virginem* singularum horarum districtius meminit. „„ Præter Psalmorum, & orationis ordinem (*inquit*) quod tibi Hora tertia, Sexta, Nona, ad Vesperum, media nocte, & mane semper est exercendum, statue, quot horis sanctam Scripturam discere debeas „„.

Matutinas Laudes in Ecclesia catholica, lucernales item Psalmos, & Orationes, id est, vespertinum Officium celebrari *S. Epiphanius* testatur, in expositione fidei. *Lucernarium* alii e veteribus appellarunt. *S. Hieronymus* in Epistola ad Lætam, *Sacrificium vespertinum*, quod *accensa lucerna* reddebatur.

De Hymnis, & Psalmis canendis ipsius Domini, & Apostolorum habere nos *documenta, & præcepta* scribit *S. August.* Epist. 55. alias 119. ad *Januarium*. Et Epist. 130. alias 121. ad *Probam*, cap. 9. ait, sine intermissione orare, nihil aliud esse, quam beatam vitam, quæ nulla nisi æterna est, ab eo, qui eam solus dare potest, sine intermissione desiderare. „„ Sed ideo ab aliis curis, atque negotiis, quibus ipsum negotium quodammodo tepescit, certis horis ad negotium orandi mentem revocamus, verbis orationis nos ipsos admonentes in id, quod desideramus, intendere,

dere, ne quod tepescere cœperat, omnino frigescat, & penitus extinguatur, nisi crebrius inflammetur „„.

Concilium Carthaginense 4. Can. 49. statuit ut *Clericus, qui absque corpusculi sui inæqualitate*, (id est, nisi morbo affectus) *Vigiliis deest, stipendiis privetur*. Concilium veneticum in Britannia minori anno 465. celebratum Can. 15. *Unam officiorum Regulam*, unum sacrorum Ordinum, unamque psallendi consuetudinem in provincia Turonensi teneri decernit. Idem Concilium Can. 14. Clericum, qui se *Matutinis hymnis* subduxerit, septem diebus a Communione extraneum haberi sanxit: „„ Quia ministrum Sacrorum eo tempore, quo non potest ab officio suo ulla honesta necessitas occupare, fas non est a salubri devotione cessare „„. Plura de divinorum Officiorum ritu, & ordine in aliis Conciliis Galliæ, Hispaniæ, Germaniæ, Angliæ, Africæ, Italiæ leguntur, quæ vel indicare longum esset. Laicos ipsos fideles olim Officia divina frequentasse SS. Patres, & ecclesiasticæ Historiæ monumenta testantur. Monachos Officia divina, Horasque canonicas psallere solitos testantur Regulæ *SS. Basilii, Pacomii, Benedicti, Cæsarii, Aureliani, Columbani, Ferreoli, Cassianus* lib. 2. c. 5. & 6. lib. 3. qui *de Canonico diurnarum Orationum, & Psalmorum modo* inscribitur. Clericos sacræ Psalmodiæ non minori studio, pietate, ac fervore vacasse constat ex *S. Paulino* Epist. ad *Victricium* Rothomagensem Episcopum, ex *S. Gregorio magno* lib. 4. Epist. 44. & lib. 10. Epist. 22. *Gregorio Turonensi* in variis Historiæ suæ locis, præsertim vero lib. 10. ubi *Injuriosum* Episcopum instituisse *Tertiam, & Sextam* in Ecclesia Turonensi testatur; *Quod modo* (inquit) *in Dei nomine perseverat*. Item ex Concilio Turonensi 2. anno 567. Can. 18. Item ex *Venantio Fortunato* in vita *S. Germani* Parisiensis Episcopi, & carmine 10. Libri secundi, quo Parisiensis Ecclesiæ præclarum elogium continetur. Ex *Sidonio Apollinar.* lib. 4. Epist. 11. ubi *Claudianum* S. Mamerti Viennensis Episcopi fratrem, &

Vicarium laudat, quod Pſalmos præcinuerit, & lectiones per annum ordinaverit. Ex *Cypriano* Epiſcopo Tolonenſi in vita *S. Cæſarii* Arelatenſis Epiſcopi lib. 1. & ex ipſo *Cæſario* Sermone 288. & 140. Appendices Auguſtinianæ, Editionis poſtremæ Pariſienſis. Ex collatione Epiſcoporum, quorum caput erat *Sanctus Avitus Viennenſis*, coram *Gundebado* Burgundiæ Rege adverſus Arianos anno 499. habita; ex *Agobardo* Lugdunenſi Epiſcopo in libris *De divina Pſalmodia, de correctione Antiphonarii*, & *Contra Amalarium*. Et *S. Iſidoro* Hiſpalenſi Epiſcopo lib. 6. *Originum*, cap. 19. & libro 1. *De Officiis eccleſiaſticis*, & ex Breviario mozarabico, quod in editione Cardinalis *Ximenes* inſcribitur, *Officium gothicum, ſive mixtum ſecundum Regulam B. Iſidori*. Ex Capitulari *Hincmari* Archiepiſcopi Remenſis ad ſuæ diœceſis Presbyteros. Ex *Reginone* lib. 1. *De eccleſiaſtica Diſciplina*. Ex Regula *Crodegangi* Metenſis Epiſcopi. Ex Capitul. *Abitonis* Baſileenſis Antiſtitis; necnon ex aliis veteribus monumentis.

Officii eccleſiaſtici varia nomina.

Variis nominibus ſacrum illud ſervitutis clericalis penſum inſignitum eſt. Vocatum eſt *Officium canonicum*, ſeu *Horæ canonicæ*, quod eccleſiaſtica Regula præſcriptum, ac ordinatum eſſet. Dictum eſt *Officium* a *S. Hieronymo* in vita S. Hilarionis: „ Oremus (*inquit*) pſallamus, reddamus Domino officium, & ſic ad vineam properabitis „; & a Concilio venetico Can. 15. *Unam* (inquit) *officiorum Regulam teneamus*. Item a Concilio Agathenſi Can. 26. „ Ad celebranda divina Officia ordinem, quem Metropolitani tenent, provinciales obſervare debebunt „; a *Gregorio II.* romano Pontifice in Capitulari, a Conciliis Toletanis, a *S. Iſidoro Hiſpalenſi*, &c. a *SS. Benedicto*, & *Cæſario*, a *S. Gregorio magno* lib. 8. Epiſt. 34. in Regula *S. Donati* Veſontienſis Epiſcopi, &c. *Opus Dei* appellatur. *Curſum eccleſiaſticum* appellant *Gregorius Turonenſis* lib. 5. *Hiſtoriæ*, cap. 32. & lib. 1. *De Gloria Martyrum*, ubi ſe librum unum *de Curſibus eccleſiaſticis* ſcripſiſſe teſtatur: *Venantius For-*

Fortunatus in vita *S. Germani* Parisiensis Episcopi cap. 76. *Leo IV.* Pontifex maximus Hom. 4. ad Presbyteros, & *Rathertus* Veronensis Episcopus in Hom. synodica; venerabilis *Beda* lib. 4. Historiæ, cap. 18. Concilium Celithetense in Anglia anno septingentesimo octogesimo septimo celebratum, cap. 7. Acta *S. Walarici* Abbatis; & antiquus auctor Anonymus libelli *de Cursuum ecclesiasticorum Origine* editi a *Spelmano* Tom. 1. Conciliorum Angliæ. *Breviarium* denique a divinorum Officiorum abbreviatione, cum in gratiam Clericorum publicis Ecclesiæ negotiis occupatorum in romana curia, tum in gratiam Missionariorum apostolicorum facta, & in omnibus urbis Ecclesiis recepta mandato *Nicolai III.* de genere *Ursinorum*, qui Pontificatum iniit anno millesimo ducentesimo septuagesimo septimo, dictum ait *Radulfus* Tungrensis Decanus. Sed certe antiquius est *Breviarii* nomen; statuta enim Abbatum provinciæ Narbonensis anno millesimo ducentesimo vigesimo secundo condita, quæ leguntur Tom. 6. *Spicilegii*, jubent ut „ Monachi in sacris Ordinibus constituti, in longo itinere profecturi, sine breviario, vel psalterio „ non mittantur „. Et Concilium Tolosanum anno millesimo ducentesimo vigesimo nono, Can. 14. prohibet „ „ Ne libros veteris Testamenti, aut novi Laici permittantur habere, nisi forte psalterium, vel breviarium pro divinis Officiis, aut horas beatæ Mariæ aliquis ex devotione habere velit. Sed ne præmissos libros habeant in vulgari translatos „ „. Breviarium itaque dictum est, quod lectiones breviores ex Scriptura sacra, & Homiliis Patrum excerptas, & in dies anni singulos distributas pro ratione temporis, & festorum, uno libro complectatur, in commodum Clericorum, & religiosorum virorum.

Breviarii nomen quando usurpari cœptum.

Septem sunt horæ canonici Officii, Matutinum Prima, Tertia, Sexta, Nona, Vespera, & Completorium: ut merito cum Propheta dicamus: *Septies in die laudem dixi tibi.* Diversis Passionis Christi horis significandis sunt accommodatæ, ut Clerici quotidia-

Psal. 118. Septem Horæ canonici Officii, diversis passionibus Christi horis signifi-

candis accommodata.

tidianum istud servitutis suæ officium persolventes, ea, quæ Redemptor noster pro nobis passus est, in memoriam revocent, ac meditentur. Quod indicant versus in Glossa cap. *Presbyter*, Ext. *De Celebratione Missarum*, relati.

Hæc sunt septenis propter quæ psallimus Horis;
Matutina ligat Christum, qui crimina purgat.
Prima replet sputis; causam dat Tertia mortis;
Sexta Cruci nectit; latus ejus Nona bipartit;
Vespera deponit; tumulo Completa reponit.

His prænotatis, Regulæ morales de Horarum canonicarum recitatione tradendæ sunt, & explicandæ.

ARTICULUS II.

REGULÆ MORALES

De Officii divini, seu Horarum canonicarum recitatione.

REGULA PRIMA.

Clerici sacris Ordinibus initiati, & beneficiati, divinum, & canonicum Officium etiam privatim recitare tenentur sub pœna peccati mortalis. Restitutioni vero obnoxii sunt beneficiati, qui sua culpa Officii divini recitationem omittunt, pro rata omissi officii parte.

Clerici in sacris Ordinibus constituti vel beneficiarii, ad breviarium etiam privatim recitandum tenentur.

Ea Ecclesiæ Lex, sive consuetudo, qua ministri sacri ad recitandas Horas canonicas tenentur, interpretatio quædam est juris divini, orta ex Clericorum conditione, qui toti divino cultui consecrati sunt, ac mancipati, ut saltem aliquot horas divinis laudibus insumant quorum omnis cogitatio in Deum, & de Deo esse deberet. Unde venerabilis *Beda* in cap. 18. *S. Lucæ* ait: „ „ Eum, *juxta præceptum Domini, & Apostoli*, semper orare, & non deficere, qui canonicis horis quotidie juxta ritum ecclesiasticæ traditionis psalmodiis, precibusque consuetis Dominum laudare, & rogare non desistit „ „. Quam antiqua porro sit, quam stricta illa obligatio, mul-

ta

ta probant cum veteris tum novæ hiſtoriæ, diſciplinæque eccleſiaſticæ monumenta.

S. Gregorius Nyſſenus iter ſuum in Arabiam commemorans: „ Vehiculum (*inquit*) nobis pro Eccle„ ſia, & monaſterio erat, omnibus per totam viam „ pſallentibus „.

Paladius in vita *S. Joan. Chryſoſtomi* loquens de quadraginta Epiſcopis propter cauſæ ipſius defenſionem ab Eccleſiis ſuis ejecti. *Reverſi*, inquit, *Epiſcopi vigilias intra ſua diverſoria celebrarunt.*

Venantius Fortunatus in vita *S. Germani* Pariſienſis Epiſcopi, c. 76. refert, ipſum in itinere divinum officium nudo capite perſolviſſe: „„ Qui equitans in itinere, *inquit*, ſemper de Deo aliquid, aut verbo contulit, aut cantavit, curſum nudo capite dicens, etſi nix, aut imber urgeret „„.

Gregorius Turonenſis in officio recitando adeo religioſus erat, & diligens, ut *Expergefactus circa medium noctis ad curſum reddendum ſurgeret*; ut ipſe refert *Hiſtoriæ* lib. 8. cap. 15. Et cum Pariſiis verſaretur tempore Concilii, nocte quadam poſtquam Matutinum recitaſſet, ad oſtium hoſpitii ſui graviter pulſatum fuiſſe ſcribit lib. 5. cap. 19. *Ea vero nocte, decantatis nocturnalibus Hymnis*, id eſt recitatis, *oſtium manſionis noſtræ gravibus audio verberibus cogi.* Neque vero id peculiari religione faciebat, ſed ex more Sacerdotum, ſeu ex Eccleſiæ diſciplina, ut colligitur ex lib. *De Gloria Confeſſorum*, cap. 31. ubi agit de quodam Presbytero, qui in itinere conſtitutus, cum a paupere quodam hoſpitio receptus eſſet, *Juxta morem Sacerdotum nocte ab ſtratu ſuo conſurrexiſſe, & orationi adſtitiſſe refertur.* Et rurſus lib. 5. *Hiſtoriæ*, cap. 21. *Salonio*, & *Sagittario* Epiſcopis vitio vertit, quod curſum ſacrum, ſeu divinum officium negligerent. „ Nulla prorſus de Deo erat men„ tio; nullus omnino curſus memoriæ habebatur „.

Concilium Toletanum 4. can. 10. Sacerdotibus, & ſubjectis Clericis ſub gravi interminatione præcipit, ut *Dominicam orationem* quotidie *aut in publico, aut*

in privato Officio recitent. Ex quo intelligitur, privatam divini officii recitationem Clericis apud Hispanos ante septimum sæculum præceptam fuisse.

Concilii Nannetensis can. 19. a *Reginone* in collectione Canonum lib. 1. c. 208. descriptus statuit, ut „ „ Presbyter, mane matutinali officio expleto, pensum servitutis suæ canendo, *id est*, *privatim recitando*, Primam, Tertiam, Sextam, Nonamque persolvat; ita tamen ut postea, horis competentibus, juxta possibilitatem, aut a se, aut a scholaribus publice compleantur „ „. Verbum *canere* hic nihil aliud significare, quam privatim recitare, Canonis series ostendit; eaque significatione vocem illam interdum a Scriptoribus ecclesiasticis usurpari viri eruditi norunt. Sic *Remigius* Monachus Antisiodorensis in expositione Canonis Missæ, rationem reddens, cur Canon tacite recitetur: „ Idcirco, *inquit*, venit consuetudo „ in Ecclesia, ut tacite ipsa obsecratio, atque consecratio a Sacerdote cantetur, ne verba tam sacra „ vilescerent „. Ipsa Concilii Nannetensis verba *Hincmarus* Archiepiscopus Remensis sua facit in Capitulari ad suæ diœcesis Presbyteros, cap. 9. Habetur etiam cap. *Presbyter*, Extra, *De Celebratione Missarum*, & tribuit Concilio Agathensi, in quo tamen illud non inveniri notatur ad marginem. Sed non refert cujus sit Concilii, siquidem inter publicas Ecclesiæ Leges decretalium collectioni a Sede apostolica approbatæ insertum est.

Crodegangus Metensis Episcopus, c. 27. Regulæ Canonicis præscriptæ ait: „ „ Si longe ab Ecclesia aliquis fuerit, ut ad opus Dei per horas canonicas occurrere non possit, agat opus Dei cum tremore divino, ubi tunc fuerit. *Et infra*: Quicunque ex clero in itinere cum Episcopo, vel cum alio proficiscuntur, Ordinem suum, in quantum ratio, vel iter permiserit, non negligant; & non eos debent præterire horæ constitutæ, tam de officiis divinis, quam aliunde „ „.

B. Petrus Damiani libro, qui inscribitur: *Dominus vobiscum*, in eo totus est, ut ostendat hæc verba in privata divini officii recitatione non esse omittenda, sicque ab omnibus Sacerdotibus recitari testatur, & a solitariis; nec *Dominus vobiscum*, *Venite exultemus Domino*, *Jube domne benedicere*, & alia, quæ ad plures diriguntur, immutari debere ab iis, qui soli divinum officium recitant. „„ Si enim Doctores Ecclesiæ id expedire decernerent, in ecclesiasticis Officiis alium singulis, alium multis ordinem tradidissent. *At* neque apostolicæ Sedis Antistes, cum privata Deo reddit obsequia, neque quisquam omnino Pontificum, vel catholicorum Sacerdotum his verbis ad alterum singulariter utitur „„.

Recitatio canonici officii Clericis in sacris Ordinibus constitutis ita præcepta censebatur, ut qui illam omisissent, se gravis peccati reos agnoscerent. Unde formula confessionis apud *Alcuinum* sic habet: „ Peccavi, quod negligens fui de meo cursu, quem „ per horas canonicas exsolvere debui, &c „. In statutis etiam *Eadgari* Anglorum Regis formula Confessionis occurrit, in qua hæc leguntur: *Confiteor me horas meas canonicas neglexisse.* Inter accusationum capita quæ *Joan. XII.* romano Pontifici objecta sunt, & quæ *Ottonem* Imperatorem ad agendum contra ipsum impulerunt, unum est, quod *Matutinas*, *& canonicas horas non celebrasset*, ut refert *Luitprandus* lib. 6. c. 7. *Greg. X.* inter varia delicta, propter quæ *Henricum* Leodiensem Episcopum in Concil. Lugdunensi deposuit, horarum canonicarum omissionem recenset in Epist. ad ipsum scripta. „ Quid plura? „ *inquit*, horas canonicas, maxime cum eas nescias, „ & illiteratus existas, in animæ tuæ periculum præ„ termittens, *&c* „. Id quoque criminis objectum est *Joanni XXII.* in Concilio Constantiensi sess. 11. *horas canonicas dicere sprevit.* Et *Innocentius III.* Commissariis delegans inquisitionem contra Neopatrensem Episcopum Epist. 98. lib. 14. inter cætera capita, de quibus a capitulo suo fuerat accusatus, istud re-

censet: *Nec ut tenetur, per seipsum horas canonicas Deo reddit.*

Jacobus de Vitriaco, Historiæ occidentalis cap. 34. obligationem illam strictissimam, & gravissimam esse testatur. „ „ Licet autem Sacerdos privatas orationes, & secretas deprecationes variis circa curas animarum occupationibus intentus possit aliquando dimittere; horas tamen canonicas non debet omittere. Aliæ enim orationes sunt voluntatis, hæ autem necessitatis „ „.

Concilium Dertusanum in Hispania anno 1429. celebratum can. 4. ea de re ita statuit: „ „ Ne divinæ servitutis census, quem de fructu labiorum offerre tenetur quilibet Clericus, ecclesiasticum beneficium possidens, vel in sacris Ordinibus constitutus, dum per occupationes alias conventui Ecclesiæ interesse non valet, ex defectu breviarii omittatur, provide duximus statuendum, ut per locorum Ordinarios beneficiarii prædicti, & in sacris Ordinibus constituti, ad habendum proprium breviarium infra tempus ipsorum ordinariorum arbitrio moderandum coercitione districta cogantur, nullusque de cætero in Diaconum ordinetur, qui non habeat breviarium, & in practica, & peritia divinum officium faciendi per examen reperiatur idoneus „ „. Legendum esse: *Nullusque in Subdiaconum ordinetur*, verisimile est, cum Clericos omnes ad breviarii recitationem obligatos afferat, qui sunt in Sacris constituti.

Concilium Basileense sess. 21. can. 5. eamdem obligationem supponit, ac declarat; „ „ Quoscunque beneficiatos, *inquit*, seu in Sacris constitutos, cum ad horas canonicas teneantur, admonet hæc Synodus, ut sive soli, sive associati, diurnum, nocturnumque officium reverenter, verbisque distinctis peragant „ „.

Beneficiati pro rata omissi officii parte ad restitutionem.

Leo X in Concilio Lateranensi 5. sess. 9. statuit; „ „ Ut quilibet habens beneficium cum cura, vel sine cura, si post sex menses ab obtento beneficio divinum officium non dixerit, legitimo impedimento ces-

ceſſante, beneficiorum ſuorum fructus ſuos non faciat pro rata omiſſionis recitationis officii, ſed eos tanquam injuſte perceptos, in fabricas hujuſmodi beneficiorum, vel in pauperum eleemoſynas erogare teneatur. Si vero ultra dictum tempus in ſimili negligentia contumaciter permanſerit, legitima monitione præcedente, beneficio ipſo privetur, cum propter officium detur beneficium. Intelligatur autem officium omittere quoad hoc, ut beneficio privari poſſit, qui per quindecim dies illud bis ſaltem non dixerit, Deo tamen ultra præmiſſa de dicta omiſſione redditurus rationem „„. Idem ſtatuit *S. Pius V.* Conſtitutione 130. quæ incipit, *Ex proximo.* nem fructuum tenentur.

Secundum has Conſtitutiones eamdem obligationem declarant Concilia Mediolanenſia 1. 3. & 4. ſub *S. Carolo Borromæo.* Et primum quidem p. 2. c. 21. addit: „„ Qui vero Sacris initiati, beneficium eccleſiaſticum non habent; ſi divinum prætermiſerint officium, præter grave peccatum, quod committunt, graviter etiam ab Epiſcopis in eos animadvertatur „„.

Concilium Rothomagenſe an. 1581. c. *De cultu divino in genere*, de breviario loquens: „„ Ab omnibus (*inquit*) ad ſacros Ordines promovendis libri ad divinum officium neceſſarii habeantur. Promoti vero ſciant ſe ad breviarium obligari, ac Romanum trium quotidie lectionum a Cardinali S. Crucis compoſitum a ſacroſancta Sede apoſtolica ſublatum ſibi omnino prohiberi. Sciant inſuper beneficiati, qui breviarium recitare neglexerint abſque legitima excuſatione, graviter peccare, & ſuorum beneficiorum fructus pro rata omiſſi officii, & temporis, ſuos non facere, ſed eos tanquam injuſte perceptos, in fabricas hujuſmodi beneficiorum, vel pauperum eleemoſynas erogare teneri, ex proximi Lateranenſis Concilii Decreto per ſanctæ memoriæ Pium V. declarato „„.

Eamdem obligationem tum recitandi breviarium, tum reſtituendi fructus pro rata portione omiſſionis horarum, temporiſque, confirmat Conc. Remenſe an-

anno 1583. tit. *De Breviario*, Aquenſe 1585. „„ Qui horas canonicas legitimo ceſſante impedimento intermiſerint, quicunque eas recitare tenentur, ſciant ex Bulla S. Pii V. non ſolum gravi ſe peccato obſtrictos, ſed omnes etiam beneficiorum ſuorum fructus, qui in ſingulos dies eis obtingerent, ſi quotidie in ſingulas horas dividerentur, amittere, neque a Confeſſario ulla ratione abſolvi poſſe, etiam Jubilæi cujuſcunque gratia ſuffragante, niſi fructuum, quos indebite perceperint, facta prius ad dictæ Bullæ præſcriptum reſtitutione „„. Idem confirmant Burdigalenſe eodem anno tit. 3. *De eccleſiaſticis Precationibus*, Toloſanum 1590. p. 1. c. 4. Avenionenſe 1594. cap. 34. Aquilejenſe anno 1586. c. 11. cujus hæc ſunt verba: „„ Non tamen exiſtiment, qui ad Subdiaconatus ordinem, & ſuperiores provecti ſunt, ſi beneficio eccleſiaſtico careant, horis canonicis ex Breviario romano recitandis obſtrictos non eſſe; omnino vero intelligant, quemadmodum qui beneficium habent eccleſiaſticum, horas canonicas non recitantes, ultra peccati mortalis reatum amiſſione fructuum plectuntur; ita illos omittendo horas canonicas mortaliter peccare, nec ſe prætextu beneficii non adepti excuſare poſſe „„.

Idem confirmat *S. Th.* Quodlibeto 6. qu. 5. art. 2. „„ Clericus (*inquit*) ex hoc ipſo quod eſt Clericus, & præcipue in ſacris Ordinibus conſtitutus, tenetur dicere horas canonicas; videntur enim tales ſpecialiter eſſe aſſumpti ad laudem divinam; ſecundum illud Iſaiæ 43. *Omnem, qui invocat nomen meum, in laudem meam creavi illum.* Sed in quantum eſt Clericus beneficiatus in hac Eccleſia, tenetur dicere officium ſecundum modum illius Eccleſiæ „„. Lethalis igitur peccati reus eſt Clericus Sacris initiatus, vel beneficium eccleſiaſticum poſſidens, qui ſine cauſa legitima, ſeu neceſſitate urgentiſſima officium canonicum, aut notabilem officii partem prætermittit.

Pars

Pars notabilis non ſolum eſt hora integra, ſeu dimidia, ſed tertia pars horæ. Unde omiſſio unius nocturni, ſeu trium Pſalmorum, vel lectionum in matutinis, omiſſio duorum pſalmorum in Veſperis, unius pſalmi in reliquis, mortale peccatum videtur. Quæ pars horæ notabilis.

Cauſa legitima, ſeu neceſſitas urgens, eſt breviarii defectus; ſi quis in loco verſetur, ubi invenire non poſſit, comparare, aut commodato accipere, vel publicis officiis intereſſe; & abſque ſua culpa libro careat. Si vero breviarium ſua culpa perdidiſſet, v. gr. ludendo, aut illud vendidiſſet, vel donaſſet, projeciſſet, ex induſtria reliquiſſet, ſive in itinere fere neglexiſſet, toties mortale peccatum committeret, quoties non recitaret, donec illum pœniteret malitiæ ſuæ. Legitima item cauſa ab officii recitandi obligatione liberans eſt infirmitas ita gravis, ut officii recitatio illam probabiliter aggravaret, morbique curationem retardaret; qua in re medici, aut ſuperioris arbitrio, ſeu prudentis, bonique viri judicio ſtandum eſt; necnon cæcitas. Id conſtat ex Conc. Carthaginenſis 4. can. 49. & Venerici can. 14. Idem confirmat Conc. Marciacenſe provinciæ auſcitanæ an. 1326. celebratum, can. 19 „„ Statuimus (*inquit*) quod omnes Clerici in ſacris Ordinibus conſtituti, & beneficium eccleſiaſticum maxime cum cura obtinentes, & omnes religioſi Clerici, ad omnes ſeptem horas canonicas omni die dicendas vigilent diligenter. Nam ad eas dicendas ſunt ex officio obligati, niſi eos infirmitatis gravitas excuſaret „„. Idem confirmat Conc. Mediolanenſe 4. tit. *De vita, & honeſtate Clericorum*, cujus hæc ſunt verba: „„ Sacerdos, Clericuſve Sacris initiatus, aut eccleſiaſticum beneficium obtinens, horarum canonicarum officio cum adſtrictus ſit, meminerit ſe febri, morbove aliquo, vel adverſa valetudine aliquando leviter laborantem, non juſtam propterea excuſationem habere, quamobrem illud intermittat, omittatve. Itaque ſi quando corporis infirmitate affectus eſt, ipſe pro ſua conſcientia recte videat quid præſtare poſſit, Quæ cauſæ legitimæ a breviarii recitatione diſpenſantes.

ac

ac ne omittendo graviter peccet, & beneficii, si quod habet, fructus suos non faciat „ „.

Charitas etiam ab officii recitatione excusat, ut cura infirmorum necessaria, si simul officium persolvi non possit absque illorum incommodo, & detrimento. Item administratio Sacramentorum, quæ moram pati non potest; moribundorum procuratio, aliæque functiones sacræ, si tempus officii recitationi necessarium forte non relinquerent ei, qui ad illas tenetur ratione beneficii, aut delegationis, sive mandati episcopalis. Quæ enim ab Ecclesia pro charitate instituta sunt, pro charitate quoque, ubi expedire videbitur, omitti possunt, vel intermitti, vel in aliud forte commodius sive Ecclesiæ utilius opus mutari; (inquit *S. Bern.*, lib. *De Præcepto & dispensatione*, c. 2.) Et „ iniquum foret si statuta pro so„ la charitate, contra charitatem tenerentur „. Cæterum locum tantum habet illa exceptio, cum adhibita diligentia, & cautione necessaria nullum omnino temporis intervallum supereſt ad majora illa, seu potiora charitatis opera exercenda, simul & ad persolvendum canonicum officium. Debet enim Clericus diutius vigilare, solis ortum prævenire, noctu etiam surgere pro more antiquo Sacerdotum, ab omnibus sæcularibus negotiis, inutilibus confabulationibus, recreationibus, deambulationibus abstinere, ut Deo vacet, ut breviarium integrum religiose recitet. Denique si Conciones, aut lectiones simul habere non possint ecclesiastici viri, & recitandi officii obligationi satisfacere, functiones illas potius dimittere debent, si id absque gravi scandalo fieri possit, quam divinum officium, in tanta Concionatorum, & Doctorum copia, qui utrumque munus implere, & canonicum officium pie recitare possunt, & parati sunt. Si vero concionandi munus ipsis ex officio incumbat, meminerint, quod oportet istud facere, & illud non omittere.

Me-

Merito itaque inter alias pravi dogmatis Propositiones hæ etiam ab *Alexandro VII.* Pontifice maximo damnatæ sunt.

„ „ Habens Capellaniam collativam, aut quodvis aliud beneficium ecclesiasticum, si studio literarum vacet, satisfacit suæ obligationi, si officium per alium recitet „ „. Propositiones damnatæ.

„ Unico officio potest quis satisfacere duplici præ„ cepto, pro die præsenti, & crastino „.

„ „ Restitutio a S. Pio V. imposita beneficiatis non recitantibus, non debetur in conscientia ante sententiam declaratoriam judicis, eo quod sit pœna „ „.

„ Restitutio fructuum ob omissionem horarum sup„ pleri potest per quascunque eleemosynas, quas ante „ beneficiatus de fructibus sui beneficii fecerit „.

REGULA II.

Tenuitas ecclesiastici beneficii ejus possessorem a recitatione breviarii non dispensat.

Ecclesiæ enim leges Clericos omnes, qui curatum, *aut quodvis aliud ecclesiasticum beneficium obtinent*, ad recitationem divini officii adstringunt. Ita loquitur Conc. Tolosanum anno 1590. celebratum, c. 4. p. 1. *De Presbyteris, & Clericis.* Hanc Regulam tradit *S. Antoninus* 3. p. tit. 13. c. 4. §. 1. „ „ Ad horas canonicas, (*inquit*) tenentur ordinati in sacris, scilicet in Subdiaconatu, & supra; & hoc tam secundum omnes Theologos, quam Canonistas; (Extra, *De Celebratione Missarum, c. Dolentes.*) Tenentur secundo ex præcepto quilibet Clerici beneficiati, & non existentes in Sacris; nec excusare se possunt ratione exiguitatis beneficii, si ex eo non percipiant sibi necessaria; sed imputent sibi, ex quo se fecerunt ad illud intitulari „ „.

Id confirmat Glossa Decreti in can. *Clericus*, dist. 91. verbo *Vigiliis*, dicens: „ „ Sicut vir tenetur ministrare necessaria uxori, quæ tamen est talis, quod ei debitum reddere non valet, (*cauf.* 32. *q.* 7. *C. Quod pro-*

propoſuiſti, & *C. Hi qui*:) Ita iſte tenetur officiare Eccleſiam, licet pauper ſit, & dicere cum Apoſtolo: Scio & abundare, & eſurire „„.

Idem colligunt canonici juris interpretes doctiſſimi ex c. *Conquerente*, Ext. *De Clericis non reſidentibus.* Ita inter alios *Proſper Fagnanus* in illud caput: „„ Sicut non excuſatur a reſidentia, ex eo quod ex beneficio vitæ neceſſaria non percipiat; ita nec excuſatur ab horis dicendis. Imputet ſibi, ſi beneficium non ſit competens, quia nihilominus tenebitur ad horas, ex quo ſe fecit ad hoc intitulari „„.

REGULA III.

Qui totum officium recitare non poſſunt propter infirmitatem, aliamve cauſam legitimam, & tamen aliquas horas poſſunt perſolvere, ad eas recitandas tenentur ſub pœna peccati mortalis.

Cum enim canonicum officium pluribus horis conſtet, & ad ſingulas recitandas Clerici in Sacris conſtituti, & beneficiati adſtricti ſint, ſequitur, illos, qui totum officium recitare non poſſunt, ſed tamen partem aliquam perſolvere valent, illam recitare debere; quemadmodum ille, qui Quadrageſimam integram jejunare non poteſt, aliquot hebdomadæ diebus jejunare tenetur, ſi poſſit. Merito itaque inter alias pravi dogmatis Propoſitiones 65. anno milleſimo ſexcenteſimo ſeptuageſimo nono ab *Innoc. XI.* Pontifice maximo proſcriptas, hæc etiam damnata eſt ordine 54. „„ Qui non poteſt recitare matutinum, & laudes, poteſt autem reliquas horas, ad nihil tenetur, quia major pars trahit ad ſe minorem „„. Hanc etiam ut *falſam, temerariam, cavillatoriam, & præcepta Eccleſiæ illudentem*, damnavit Clerus gallicanus anno 1700.

Propoſitio damnata.

RE-

REGULA IV.

Quicunque pensionem, fructus, aut res ecclesiasticas, ut Clericus percipit, ad parvum officium B. Mariæ Virginis recitandum obligatur, cui si desit, pensionum, fructuum, rerumque ipsarum amissioni obnoxius est, & mortalis peccati reus.

Ita statuit, & declaravit *S. Pius V.* Constitutione quæ incipit, *Ex proximo*; idque confirmant Concilia Mediolanense 3. & 4. sub *S. Carolo Borromæo*, Conc. Burdigalense anno 1583. Avenionense 1594. & Aquilejense 1596. cujus hæc sunt verba c. 11. „ Pensionarios serio monitos esse volumus, eos ad officium Mariæ Virginis quotidie recitandum teneri; præter peccatum mortale, quod committunt, si omiserint, restitutionis onere obstrictos declaramus „.

REGULA V.

Monachi, seu Religiosi professi choro deputati, quamvis non sint in sacris Ordinibus constituti, ad officium divinum privatim etiam recitandum tenentur sub pœna peccati mortalis.

Ratione enim professionis suæ instituti sunt ad orandum non solum pro se, sed etiam pro populo; & Ecclesiæ consuetudine, quæ sancta, & inviolabilis esse debet, vimque habet legis, ad sacrum illud, & canonicum pensum persolvendum tenentur, ut docet *S. Antoninus* p. 3. tit. 13. c. 4. §. 1. „ Tenentur (*inquit*) ad horas Religiosi professi, quorum religio ad actus vitæ contemplativæ est instituta, & per Ecclesiam confirmata. Et hoc ratione suæ professionis, quia non solum sunt institutæ hujusmodi religiones ad orandum particulariter pro se, sed etiam ad orandum pro universali utilitate Fidelium. Ad hujusmodi autem orationem faciendam in persona totius populi christiani pro utilitate omnium sunt institutæ specialiter horæ canonicæ. Religio autem

Monachorum seu religiosorum professorum obligatio ad officium divinum privatim recitandum.

tem instituta ad opera vitæ contemplativæ est Status monachalis. Religio vero Mendicantium utramque complectitur, scilicet activam, & contemplativam „ „.

Monachorum, & religiosorum virorum obligatio ad officium divinum privatim recitandum, cum absentes sunt a choro, confirmatur ex Regulis monasticis, Conciliis, & summorum Pontificum Decretis. Occurrit imprimis *S. Basilii* Regula, c. 107. „ „ Unusquisque (*inquit*) tota mente, & devotione
Eph. 5. complere debet id, quod scriptum est: *Cantantes, & psallentes in cordibus vestris Domino.* Si enim corporaliter non occurrat adesse cum cæteris ad orationis locum, in quocunque loco inventus fuerit, quod devotionis est, expleat. Oportet tamen observare, ne forte possit quis implere in tempore suo, quod complendum est, & occurrere; sed dum loqui vult, occasiones nectit, tanquam in ministerii opere occupatus. Quod qui facit, & offendiculum cæteris præstat, & ipse negligentis crimen incurrit „ „.

2. Regula *S. Pachomii* c. 142. „ „ Et si in navi fuerit, & in monasterio, & in agro, & in itinere, & in quolibet ministerio, orandi, & psallendi tempora non prætermittat „ „.

3. Regula *S. Benedicti*, c. 50. „ „ Fratres, qui omnino longe sunt in labore, non possunt hora competenti occurrere ad Oratorium, & Abbas hoc perpendit, quia ita est, agant ibidem opus Dei, ubi operantur, cum tremore divino flectentes genua. Similiter qui in itinere directi sunt, non eos prætereant horæ constitutæ; sed, ut possunt, agant sibi, & servitutis pensum non negligant reddere „ „.

4. Regula *SS. Pauli, & Stephani* Abbatum c. 12. „ „ Opus Dei, quod per diem in quocunque loco operantes fratres per horas constitutas dicent, cum disciplina, & timore Dei consona voce dicatur; non prout unusquisque operis excusatione, aut occupatione voluerit obrute „ „.

5. Re-

5. Regula *S. Fereoli* Ucetiensis Episcopi, cap. 11. „ „ Similiter etiam his, qui pastores pecorum, ut est moris, de congregatione mittentur, cura erit vacare psalmis, ut cæteri; ne in id, quod majus est, minores inveniantur, & in confusionem sui illud eis aptetur exemplum: *Animalis homo non percipit ea, quæ sunt Spiritus Dei. Et cap.* 12. Ut omni tempore psalmi usque ad finem Psalterii in ordine decantentur; sibi tamen secretius propter propriam mercedem, excepto publico psallendi cursu Dominico, quantum per singulos dies Deo tamen scienter laudes offerat occulta ruminatione „ „. 1. Cor. 2.

6. Regula *Magistri*, c. 56. cujus titulus est, *Quomodo debeant fratres in itinere opus Dei complere*; hæc habet: „ „ In nubilo vero die, cum radios suos sol mundo absconderit, sive in monasterio, sive in via, sive in agro perpensatione horarum transacta fratres æstiment, & quævis hora sit, consuetum tamen compleatur officium; & sive ante, sive retro, a certa hora dictum sit, consuetum horæ opus tamen non prætereat, sed agatur „ „.

7. Concilium Marciacense provinciæ Auxitanæ an. 1326. can. 19. „ „ Statuimus (*inquit*) quod omnes Clerici, in sacris Ordinibus constituti, & beneficium ecclesiasticum, maxime cum cura obtinentes, & omnes religiosi Clerici ad omnes septem horas canonicas omni die dicendas sint ex debito obligati, nisi eos infirmitatis gravitas excusarit „ „.

8. *S. Dominicus*, ut in ejus vita apud *Surium* legimus: „ „ Quando extra monasterium erat, audito primo signo nocturnarum precum, surgebat, & fratres excitans, cum multa devotione totum divinum officium absolvebat horis, & temporibus suis, tum nocturnis, tum diurnis, nihil penitus omittens. Persoluto completorio, etiam in itinere positus cum sociis, silentium non minus servabat, quam si esset in monasterio „ „.

9. *Gregorius IX.* de Monachis foras profecturis ſtatuit: *Ut ipſi horas dicant in via, & de libris provideatur eiſdem.*

10. Conſtitutio *Benedicti XII.* Pontificis maximi ad reſtaurandam diſciplinam regularem in Ordine benedictino edita: „„ Cæterum (*inquit*) qui ad chorum, vel Eccleſiam accedere nequiverint, prædicationi, lectioni, ſtudio, ſeu adminiſtrationibus, vel officiis ſuis, aut piis, ſive licitis operibus, de licentia illius, ad quem eam dare pertinuerit, occupati in loco aliquo congruo, & honeſto, debitis horis, juxta poſſibilitatem plures ſimul conveniant, & debite dicant divinum officium, & quotidianum penſum exſolvant debitæ ſervitutis „„.

11. Statuta *Hugonis V.* Cluniacenſis Abbatis: „ Univerſi ubicunque conſtituti, ſuæ ſervitutis penſum „ non negligant reddere, maxime horarum regu„ larium „.

REGULA VI.

Moniales profeſſæ, & choro deputatæ, ad officium divinum recitandum tenentur, etiam cum a choro ſunt abſentes, ſub pœna peccati mortalis.

Obligatio monialium ad officium divinum privatim recitandum.

Conſecrationis namque ſuæ, & profeſſionis ratione ad ſpecialem cultum Deo exhibendum, aſſiduamque magis orationem tenentur; qui quidem cultus horarum canonicarum recitatione determinatus eſt ex Eccleſiæ diſciplina, & conſuetudine, cujus antiquitas ex *Epiſtola S. Hieronymi ad Demetriadem Virginem* probatur. „ „ Præter pſalmorum, & orationis ordinem (*inquit*) quod tibi hora tertia Sexta, Nona, ad Veſperam, media nocte, & mane ſemper eſt exercendum; ſtatue, quot horis ſanctam Scripturam diſcere debeas „ „. Et in Epiſtola *Ad Latam de inſtitutione Filiæ*, profeſſioni virginitatis deſtinatæ: „ „ Aſſueſcat, (*inquit*) ad orationes, & pſalmos nocte conſurgere, mane hymnos canere, Tertia, Sexta, Nona hora ſtare in acie, quaſi bellatricem Chriſti, ac-

accenſaque lucerna reddere ſacrificium veſpertinum „ „.

Regula *S. Cæſarii* moniales, quæ *ad opus Dei* tardius venerint, increpationi ſubjicit.

Regula *S. Aureliani* monialibus Arelatenſis monaſterii pariter data, ſacræ Pſalmodiæ ordinem illis præſcribit. „ „ Curſum diurnum, vel nocturnum, id eſt, Matutinos, Vigilias, Nocturnos, Veſperam, & Duodecimam in Baſilica Dominæ Mariæ a Congregatione dici. Quod ſi hyems aſpera fuerit, matutinos tantum, Veſperam, & Duodecimam in prædicta Baſilica dici; Secundam vero, Tertiam, Sextam, & Nonam in interiori Oratorio „ „. Fervorem in opere Dei, pſallendique diſciplinam, & ordinem ſacris Virginibus etiam præſcribit *S. Donatus* Veſontionenſis Epiſcopus in Regula. Cujuſdam Patris Regula c. 6. ſtatuit ut „ „ Sorores, quæ pro gravibus culpis in pœnitentia detinentur, in Eccleſia cum cæteris, quæ communicant, non ſtent; ſed in alia Eccleſia ſecrete curſum cantent; & expleto curſu egredientes ante fores Eccleſiæ, in qua communicantes curſum explent, ſtare præcipiantur; & egrediente Congregatione ſupra humum proſtratæ, rogent pro ſe Dominum exorari, &c „ „. *S. Leander* Hiſpalenſis Epiſcopus in Regula, ſive libro *De inſtitutione Virginum*, ad *Florentinam* ſororem, cap. 6. „ „ Lectio (*inquit*) tibi ſit aſſidua, jugis oratio. Dividantur tibi opera, & officia, ut poſtquam legeris, ores, poſtquam oraveris, legas. Sic alternes perpetim hæc duo bona, ut ab eiſdem nullo ſis tempore otioſa „ „.

B. Elredus Rievallenſis Abbas ordinis Ciſtercienſis in Regula, ſive inſtitutione Recluſarum, ad ſororem; cap. 14. „ „ Secundum formam Regulæ B. Benedicti, (*inquit*) nocturnas Vigilias celebres, quibus mox ſuccedat oratio. Poſt orationem in honore Virginis debitum ſolvat officium, Sanctorum commemorationem adiiciens. Albeſcente aurora, matutinas Laudes cum horæ primæ hymnis perſolvat; & ſic in alternatione lectionum, orationum, pſalmorum quo-

que, tertiam exſpectet, qua dicta, in opere manuum uſque ad Nonam occupetur. Cibo autem ſumpto, & gratiarum actionibus Deo ſolutis, ad præſcriptam manſuetudinem redeat ſpiritualibus exercitiis, opus corporale intermittens uſque ad Veſperas. Facto autem parvo intervallo, aliquam lectionem de vitis Patrum, vel inſtitutis, vel miraculis eorum, ſibi ſecretius legat; ut orta ex his aliqua compunctione, in quodam fervore ſpiritus Completorium dicat,, „

„ „ Sancta Lutgardis ſæpe reprehenderat moniales in valetudinario manentes, quod parum attente perſolverent horas canonicas divinitus inſtitutas. Cum ſe infirmæ ſorores in valetudinario manentes in dicendis precibus canonicis correxiſſent, peſtis penitus ſopita eſt „ „; teſte *Thoma Cantipratano* in ejus vita, lib. 3. c. 10.

REGULA VII.

Clerici in Sacris Ordinibus conſtituti, & religioſi profeſſi, ad recitandum officium tenentur, quamvis ſint excommunicati.

Ita declarat Synodus Nemauſenſis anno milleſimo ducenteſimo octogeſimo quarto celebrata, tit. de ſententia excommunicationis: „ „ Debent tamen (*inquit*) extra Eccleſiam nihilominus dicere officium ſub ſilentio Clerici excommunicati majori excommunicatione, & interdicti, ſi ſunt in ſacris Ordinibus conſtituti „ „. Et certe nemo ſuo delicto conditionem ſuam facit meliorem. Iſti ergo tenentur ad ea, quæ ſunt oneris, licet iis priventur, quæ ſunt honoris. Publicis tamen officiis ingerere ſe non poſſunt excommunicati, ſed privatim officium perſolvere.

REGULA VIII.

Ad divini officii recitationem ita neceſſaria eſt mentis attentio, ut præcepto non ſatisfaciat, mortaliſque ſit peccati reus, qui per officii partem notabilem ad alia ſponte mentem diſtrahit.

Cum

Cum enim oratio sit pius mentis in Deum affectus, seu mentis ascensus in Deum, colloquium animæ cum Deo, Dei cultus; ad illam jure divino necessaria mentis attentio est; alioquin orantibus merito dicet Dominus: *Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longe est a me.* Nam *Veri adoratores adorabunt patrem in spiritu, & veritate.* Hinc Apost. 1. ad Cor. 14. *Psallam spiritu* (inquit) *psallam & mente*, & ad Ephesios 5. *Cantantes, & psallentes in cordibus vestris Domino.* Isai. 29. Matth. 15. Joan. 4.

Id confirmavit *S. Cyprianus*, Tract. de Orat. Dominica: „ „ Quando stamus ad orationem (*inquit*) vigilare, & incumbere ad preces toto corde debemus. Cogitatio omnis carnalis, & sæcularis abscedat, nec quidquam tunc animus quam id solum cogitet, quod precatur. Ideo & Sacerdos ante orationem præfatione præmissa, parat fratrum mentes, dicendo: *Sursum corda*; ut dum respondet plebs: *Habemus ad Dominum*, admoneatur, nihil aliud se, quam Dominum cogitare debere. Claudatur contra adversarium pectus, & soli Deo pateat, nec ad se hostem Dei tempore orationis adire patiatur; obrepit enim frequenter, & penetrat, & subtiliter fallens, preces nostras a Deo avocat, ut aliud habeamus in corde, & aliud in voce, quando intentione sincera Dominum debeat non vocis sonus, sed animus, & sensus orare. Quæ autem segnitia est alienari, & rapi ineptis cogitationibus, & profanis, cum Dominum deprecaris; quasi sit aliud, quod magis debeas cogitare, quam quod cum Deo loqueris? Quomodo te audiri a Deo postulas, cum te ipse non audias? Vis esse Deum memorem tui, quando tu ipse memor tui non sis? Hoc est, ab hoste in totum non cavere; hoc est, quando oras Deum, Majestatem Dei negligentia orationis offendere; hoc est, vigilare oculis, & corde dormire, cum debeat Christianus, & cum dormit oculis corde vigilare; sicut scriptum est ex persona Ecclesiæ loquentis in Cantico Canticorum: *Ego dormio, & cor meum vigilat.* Quapropter solicite, & Præcepto de officii divini recitatione non satisfit sine attentione. Cant. 5.

Coloſ. 4. caute Apoſtolus admonet dicens: *Inſtate orationi vigilantes in ea;* docens ſcilicet & oſtendens, eos impetrare, quod poſtulant, de Deo poſſe, quos Deus videat in oratione vigilare „„.

De attentione mentis ad orationem neceſſaria poſſent aliorum Patrum non minus luculenta teſtimonia proferri, quæ in alium locum ſervantur. Satis hæc ſunt, ut jure divino impetrata probetur attentionis illius neceſſitas. Cum itaque præcepta Eccleſiæ, ut par eſt, impleri non poſſint iis actibus, quibus Dei præceptum violatur; & ipſa præcipiendo aliquem actum exteriorem, conſequenter præcipiat & interiorem, qui ejus veluti ratio, & forma eſt, minime dubium eſt, quin & ipſa præcipiat attentionem mentis ad officium divinum, cum illius recitationem præcipit. Quod ex Conc. Lateranenſi 4. ſub *Innoc. III.* can. 17. confirmatur. „„ Dolentes (*inquit*) referimus, quod non ſolum quidam minores Clerici, verum etiam aliqui Eccleſiarum Prælati circa comeſſationes ſuperfluas, & confabulationes illicitas, ut de aliis taceamus, fere medietatem noctis expendunt; & ſomno reſiduum relinquentes, vix ad diurnum concentum avium excitantur, tranſcurrendo undique continuata ſincopa matutinum. *Et inf.* Hæc igitur, & ſimilia ſub pœna ſuſpenſionis penitus inhibemus; diſtricte præcipientes in virtute obedientiæ, ut divinum officium diurnum pariter, & nocturnum, quantum eis Deus dederit, ſtudioſe celebrent pariter, ac devote „„. Refertur c. *Dolentes*, Ext. *De Celebratione Miſſarum.* Preces igitur, & divina officia *non curſim, & feſtinanter*, ſed *devote, attente, & graviter* in choro recitandæ ſunt a Clericis, Monachis, & Monialibus. Extra chorum etiam *articulate, diſtincte, decore, attente, & devote, depoſita omni ſolicitudine ſæculari*, ne in Domini ma-
Jer. 48. 10. ledictionem a Propheta intentatam incurrant: *Maledictus, qui facit opus Dei negligenter.* Ita ſanxerunt, ac declararunt Conc. Treverenſe anno 1549. can. 6. Mediolanenſe 4. p. 3. c. 7. Burdigalenſe anno 1583. tit. 17.

tit. 17. Bituricense 1584. tit. 12. can. 12. Conventus Melodunensis Episcoporum Galliæ, tit. *De Canonicis*, Conc. Narbonense anno 1609. c. 30. Quamobrem horarum canonicarum recitationi nulla colloquia intermiscenda sunt, nullum opus externum agendum est, cum persolvuntur, in nulla cogitatione profana, & sæculari, & a Deo aliena immorandum, ab iis avertenda mens est, & in uno Deo colligenda, & defigenda. Quod ut facilius fiat, secedendum est ad officium recitandum in locum, in quo a pietate, & devotione non abducamur; nec deambulando recitandum est, ex deambulatione enim mentis evagatio nasci solet. Ita Conc. Treverense 2. anno 1549. c. 6. „„ Omnes, qui horis canonicis persolvendis deputati sunt, dent operam, ut collectis animis, quoad fieri potest debitum pensum absolvant; nec ita se habeant, ut dum voce psallunt, quidvis potius, quam Deum animo cogitare videantur, semper caventes, ne Propheticum illud audiant: *Labiis quidem me honorant, cor autem eorum longe est a me.* Quid autem est, voce quidem psallere, mente autem domum, aut forum circumire, nisi homines fallere, & Deum irridere? Grave admodum est, quod Scriptura dicit: *Maledictus, qui facit opus Dei negligenter.* Statuimus proinde, ut laudes divinæ per singulas horas non cursim, ac festinanter, sed tractim, servatis intervallis decentibus, ratione dierum festorum habita, reverenter, & alacriter absolvantur, nequaquam sublato in altum clamore, ne vel insanire, vel animi lascivia gestire videantur potius, quam fervore spiritus exultare, semper versiculum decantatissimum animo volventes: Nec clamans, sed amans cantat in aure Dei. Audit enim ille vocem cordis, sine qua sonum auris contemnit. Quare videndum est, ut, qui spiritu psallunt, & mente psallant. Caveant item, qui aliis occupati negotiis extra chorum horas privatim legunt, ne somnolenter, aut truncatis verbis, aut intra fauces compresso spiritu preces demurmurare, sed articulate, distincte,

Breviarium deambulando non recitandum.

Isai. 29.

Jer. 48.

diſerte, & cum attentione integre omnia pronuntient. Ne qua item occaſione in diverſa rapti deſint officio ſuo, diſtrictius prohibemus, ne deambulando horas dicant, ſed in locum aliquem orationi aptum tantiſper concedant, ne mentis evagatio, quæ ex tumultuaria deambulatione naſci ſolet, fructum orationis intercipiat „„. Huic Concilii Treverenſis Decreto conſona eſt admonitio *S. Caroli Borromæi* in 4. Synodo diœceſana Decreto 21.

Nec in lecto, niſi ab infirmis.

Debitam reverentiam pariter non ſervant, qui horas canonicas in lecto recitant, niſi cogente infirmitate gravi. Unde *B. Petrus Damiani* Opuſculo 34. c. 6. refert, Monachum quemdam, qui pridiano veſpere laſſus de via redierat, & feſſa in lectulum membra projiciens, jacendo canonicas horas compleverat, ab Angelo ſub peregrini Hieroſolymitani ſpecie commonitum, ac emendatum fuiſſe his verbis: *Completorium in lecto, nec ſalus eſt, nec profectus.* Ibidem commemorat, *Joannem* priorem eremi Fontis Avellani, qui lentis quibuſdam infirmitatibus macilentus videbatur ſemper, & gracilis; & ſui corporis imbecilla tenuitate confiſus, ſæpe jacens in lecto completorium decurrebat, a dæmone per os energumeni, quem exorcizabat, ea de re fuiſſe cum exprobatione reprehenſum. „„ Tu ne, ait, ille es, qui ſub cotto quotidie completorium inſufurras? Et modo me quaſi Sanctus ejicere, & juris mei vaſculum de meo vis dominio liberare „„?

Nec ſedendo, niſi debilitatis ratione.

Sed neque decorum, ac religioſum eſt, ut ſedendo divinum officium recitetur, niſi infirmitatis, vel debilitatis ratione Unde *Tertullianus* lib. *De Oratione*, c. 13. „„ Siquidem (*inquit*) irreverens eſt aſſidere ſub conſpectu, contraque conſpectum ejus, quem quam maxime reverearis, ac venereris; quanto magis ſub conſpectu Dei vivi, Angelo adhuc orationis adſtante? Factum iſtud irreligioſum eſt, niſi exprobramus Deo, quod nos oratio fatigaverit. Atqui cum modeſtia, & humilitate adorantes, magis commendabimus Deo preces noſtras, &c „„. Id con-

confirmat *B. Petrus Damiani* Opuſculo 29. ad Biſuntinum Archiepiſcopum *Contra ſedentes tempore divini officii.* Iſtud pravæ conſuetudinis vitium correctione dignum, & de ſtudio militantis Eccleſiæ penitus eradendum ſcribit. „ „ Nam cum ubique nobis adverſus nequitiæ ſpiritus immineat infœderabile bellum, ferventius ingruit in modulatione pſalmorum; Et cum oramus, tunc velut in acie contra malignorum hoſtium tentamenta confligimus, ut nobis omnino neceſſe ſit, aut ſuperantibus enerviter cedere, aut currentibus in Domino plauſibiliter inſultare. Qui cum corpore noſtra marcida ſeſſione contemplantur hebeſcere, de ruina quoque interioris hominis illico ſperant ſe victoriam obtinere... Si Regi, vel terreno cuilibet Optimati, ſuæ ditionis officia reverenter adſiſtunt; cum ante terribilem Majeſtatis divinæ conſpectum laudum præconia jubilamus qua præſumptionis audacia ſedere præſumimus? Dicit Daniel: *Millia millium miniſtrabant ei, & decies centena millia adſiſtebant ei.* Ecce dum innumerabilium Angelorum alii Deo miniſtrare, alii dicuntur adſiſtere, nullus eorum hoc reperitur in ſubſellio reſidere. Cur ergo virtutes angelicæ trementes adſiſtunt, terreni, & corruptibiles homines adſtare deſpiciunt? Et cum eccleſiaſticis illis officiis rite credatur angelicam ſemper adeſſe præſentiam, dicente Scriptura: *In conſpectu Angelorum pſallam tibi;* noſtramque vigilantiam, ſive deſidiam non modo diligenter attendere, ſed ſuperno judici cuncta per ordinem nuntiare, quanto putamus adverſus nos zelo moventur, dum in conſpectu illius nos irreverenter ſedere conſpiciunt, cui ſcilicet ipſi trementes adſiſtunt „ „. Dan. 7. Pſal. 137.

Quæ mentis attentio in officii recitatione neceſſaria.

Moralis chriſtianæ Regulam, cujus in explicatione verſamur, confirmat *S. Thomas* in 4. *Sentent.*, diſt. 15. q. 4. art. 2. qu. 4. „ „ Attentio actualis (*inquit*) requiritur ad orationem aliquo modo; vel ad evitandum tranſgreſſionem in illa oratione, quæ eſt in præcepto; vel ad meritum illa, quæ non eſt in præcepto, ſed non omnibus modis. „ „ Satis enim

eſt,

eſt, quod in orationis progreſſu maneat attentio ſecundum virtutem, quod fit, cum aliquis ad orationem acceſſit cum intentione debitum obſequium Deo reddendi, etiamſi in proſecutione orationis mens ad alia rapiatur; „ Niſi tanta fiat evagatio, quod „ omnino depereat vis primæ intentionis; & ideo „ oportet, quod frequenter homo cor revocet ad ſe„ ipſum „. Hinc *Hugo de S. Victore*, Elucidatione in Pſalmos, c. 17. quod inſcribitur *De tribus orantium generibus*, *ait*: „„ Si cum orationem fundimus, aliud quodlibet in corde verſamur, etiamſi illud bonum ſit, a culpa liberi non ſumus „„. Quam *Hugonis* ſententiam intelligendam eſſe docet ibidem *S. Thomas* objectioni ſecundæ reſpondens: „„ Quando aliquis ex propoſito mentem ad alia diſtrahit in orando, tunc enim ſine culpa non eſt; & præcipue ſi in aliis ſponte ſe occupat, quæ mentem diſtrahunt, ſicut ſunt exteriora opera. Et ſi ad contrarium mens evagetur, etiam culpa mortalis erit. Si autem ſine hoc, quod percipiamus, mens ad alia evagetur, vel culpa caret, vel parviſſima culpa eſt; niſi præcedens cogitatio, ex qua contingit evagatio talis, in culpa eſſe dicatur „ „.

Et Secunda ſecundæ, qu. 83. art. 13. in reſp. ad 3. „„ Si quis (*inquit*) ex propoſito in oratione mente evagetur, hoc peccatum eſt, & impedit orationis fructum. Et contra hoc S. Auguſt. dicit in Regula: *Pſalmis, & hymnis cum oratis Deum, hoc verſetur in corde, quod profertur in voce.* Evagatio vero mentis, quæ ſit præter propoſitum, orationis fructum non tollit „ „. Triplex autem attentio orationi vocali poteſt adhiberi (inquit *S. Thomas*, in eodem articulo:) „ „ Una quidem, qua attenditur ad verba, ne aliquis in eis erret: Secunda, qua attenditur ad ſenſum verborum: Tertia, qua attenditur ad finem orationis, ſcilicet ad Deum, & ad rem, pro qua oratur, quæ quidem eſt maxime neceſſaria. Et hanc etiam poſſunt habere idiotæ „ „. Et in 4. *Sentent.* loco mox indicato: „ „ Attentio (*inquit*) in oratione

ne poteſt eſſe duplex: Primo enim eſt attentio ad verba, quibus petimus; deinde ad petitionem ipſam, & ad ea, quæ petitionem ipſam circumſtant, ſicut eſt neceſſitas, pro qua petitur, & Deus qui rogatur, & alia hujuſmodi; & quæcunque harum attentionum adſit, non eſt reputanda inattenta oratio; unde etiam illi, qui non intelligunt orationis verba, ad orationem attenti eſſe poſſunt; ſed tamen ultima attentio eſt laudabilior quam ſecunda, & ſecunda quam prima „ „.

Quamobrem a Clero gallicano merito rejecta, & improbata eſt hæc Propoſitio: „ Præcepto ſatisfa- „ cit, qui voluntarie labiis tantum, non autem men- „ te orat „. Confixa eſt, inquam, ut „ „ Abſona, verbo Dei contraria, hypocriſim inducens a Prophetis, & Chriſto damnatam his verbis: *Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longe eſt a me* „ „. Hinc ſequitur, illum, qui animo voluntarie diſtracto horas recitat, ad eas repetendas teneri; non autem, qui illas attento perſolvens animo ſimul Miſſam audit. Quamquam melius, convenientius, ac religioſius magiſque meritorium eſt, utrique illi pietatis officio ſeorſim, & diſtinctis temporibus ſatisfacere, iis prætertim diebus, quibus audire Miſſam præceptum eſt. Propoſitio damnata.

REGULA IX.

Horas canonicas temporibus congruis non perſolvere, peccatum eſt, niſi juſta cauſa, legitimumque impedimentum obeſt.

Cum enim in plures horas diei divinum officium diſtributum ſit ab Eccleſia, quæ miniſtros ſuos identidem orationi vacare jubet, ut cum Propheta dicere poſſint: *Septies in die laudem dixi tibi*; Eccleſiæ certe intentioni ſeſe non accommodant, qui congruis horis officium non recitant, ſed totius breviarii recitationem in unam horam conjiciunt. Horæ canonicæ congruis temporibus recitandæ.

Hanc

Hanc regulam confirmat auctor libri *De Benedictione Dei*, qui nono sæculo florebat, a *Stevartio* editus, qui in præfatione sua carpit nonnullos Sacerdotes, & Episcopos, qui, ut liberius genio indulgere possint, serotinis horis „ „ Nocturnas Vigilias desidiose persolventes, stratu mox decubant. Surgentes vero, dum se vestibus induunt, diurna peragunt officia; putantes sibi sufficere posse, si saltem quoquo modo illa decantent (*id est, recitent.*) ignari, quia horæ sunt in S. Ecclesia constitutæ, quibus per diem & noctem divinæ servitutis officia persolvantur... Quas si negligimus, sanctorum Patrum institutis contraimus, quibus contraire periculosum est. Neque enim possunt communionem S. Ecclesiæ habere, qui ejus instituta etsi non verbis, operibus vero impugnare nituntur. Dum quod permaximum est in S. Ecclesia, si cum charitate, & pietatis studio peragatur, id est, laudis divinæ Psalmodia modulata, & Missarum solemnia, nec temporibus congruis, nec religiosis celebrant affectibus „ „.

Idem confirmat *B. Petrus Damiani*, Opusculo 34. c. 5. ubi *S. Severinum* Colonienſem Episcopum purgatorii pœnis cruciatum refert, quod officii divini recitationem in unam horam conjecisset. Clerico enim Colonienſis Ecclesiæ apparens: „ „ Nihil, ait, aliud in me remansit ultione plectendum, præter hoc tantum, quia dum in aula regia constitutus Imperialibus me consiliis vehementer implicui, canonicæ Synaxis officia per distincta horarum spatia non persolvi. Mane quippe simul omnia coacervans tota die negotiis ingruentibus secuta libertate vacabam. Ob hanc itaque negligentiam horarum ardoris hujus fero supplicium „ „. Subdit *B. Petrus Damiani* c. 6. „ „ Distinguenda sunt ergo per momenta temporum ecclesiasticæ institutionis officia, & sub magna divini amoris, ac reverentiæ dicenda sunt disciplina „ „.

Idem confirmat *S. Antoninus* 3. p. tit. 12. cap. 4. §. 4. Mortale tamen peccatum non esse docet, modo ante mediam noctem totum diei officium persolvatur.

Si

Si quis autem horarum ordinem intervertat, & post primam, v. g. recitet horam sextam, sufficit, ut suppleat quod omisit, & pœnitentiam agat de negligentia sua Ordinem enim horarum, sicut & tempus, absque ulla necessitate pervertere, veniale peccatum est.

Ob causam nihilominus, vel occupationem legitimam plures horæ simul recitari possunt. Sed melius est divinorum officiorum tempus prævenire, quam tardare, quia illud providentiæ, istud negligentiæ est; (inquiunt *Hugo a S. Victore*, & *S. Antoninus.*) Observandum tamen, ut Vesperæ, & Completorium nonnisi pomeridianis horis dicantur, excepto Quadragesimali tempore, quo Vesperæ paullo ante meridiem hodierno Ecclesiæ more recitari possunt, & debent; ita ut qui sine ulla causa Vesperarum recitationem post prandium sacro Quadragesimæ tempore differret, venialis peccati reus esset. Matutinum sequentis diei post occasum diei antecedentis recitare potest, v. gr. Matutinum officium Dominicæ die Sabbati serotinis horis, modo legitima causa subsit: at hujusmodi anticipatio culpa non vacat, si absque justa causa fiat. Ita docet *S. Thomas*, quodlibeto 5. qu. 14. cap. 1. „„ Considerandа est (*inquit*) intentio ejus, qui prævenit tempus in Matutinis dicendis, vel in quibuscunque horis canonicis. Si enim hoc facit propter lasciviam, ut scilicet quietius somnolentiæ, & voluptati vacet, & non absque peccato. Si vero hoc faciat propter necessitatem licitarum, & honestarum occupationum, (puta, si Clericus, aut magister debet videre lectiones suas de nocte, vel propter aliquid aliud hujusmodi) licite potest sero dicere Matutinas, & in aliis horis canonicis tempus prævenire; sicut etiam hoc in solemnibus Ecclesiis fit; quia melius est Deo utrumque reddere, scilicet & debitas laudes, & alia honesta officia, quam quod per unum aliud impediatur „„. Angelico Doctori subscribit *S. Antoninus.* Idem censet *Jacobus a Vitriaco* S. R. E. Cardinalis, *Historiæ orien-*

Divini officii tempus prævenire, vel tardare sine causa legitima peccatum est.

ta-

talis cap. 34. ubi de parochis, & animarum rectoribus hunc in modum loquitur: „ Procuret, in quantum commissi sibi gregis permittit frequens ministerium, ut nocturnum officium noctu peragatur; Diurnum autem certis, & determinatis horis de die perficiatur. Non enim debet divinum officium confundere, neque noctem in diem convertere... Conceditur tamen ex ratione frequentis administrationis ad cautelam tempus determinatum quandoque prævenire, non tamen absque magna, & urgente necessitate præterire „.

Idem confirmant statuta *Stephani Poncherii* Parisiensis Episcopi. „ Permittimus (*inquit*) necessitatis causa, ut matutinas diei sequentis possitis dicere sero præcedente; aut mane totum officium successive dicere usque ad Vesperas, & sero Vesperas cum completorio, si utilibus negotiis occupati estis, ut studio, aut processionibus; sed si ex somnolentia, aut deliciis facitis, sine peccato facere non potestis „.

REGULA X.

Recitationem horarum canonicarum aliis negotiis, aut colloquiis interrumpere, irreligiosum est.

Id enim absque irreverentia fieri non potest. Si enim irreverentiæ erga Regem reus merito censeretur, qui cum ejus Majestate colloquens, ei tergum verteret, ut cum alio confabularetur, aliudve negotium ageret; multo magis reus est, qui cum Rege Regum in oratione colloquens, orationem debitam interrumpit, ut colloquia cum hominibus misceat, aut negotiis sæcularibus, seu externis quibusvis operibus vacet. Hinc *S. Augustin.*, Enarr. in Psalm. 85. ait: „ Quis est homo, cum quo si cœperit amicus ejus colloqui, & voluerit ille respondere collocutioni ejus, & viderit eum averti a se, & aliud loqui ad illum, qui hoc ferat? Aut si forte interpelles judicem, & constituas eum loco, ut te audiat, & subito cum ad eum loqueris, dimittas eum, & in-

incipias fabulari cum amico tuo, quando te tolerat? Et tolerat Deus tot corda peccantium, & diversas res cogitantium; omitto dicere & noxias; ipsas superfluas cogitare, injuria est ejus, cum quo loqui cœperas. Oratio tua locutio est ad Deum. Quando legis, Deus tibi loquitur; quando oras, Deo loqueris ,,,,. Hinc colloquia in choro, aut alias recitando divinum officium intermiscri, Concilia districtius prohibent, Burdigalense anno 1583. cap. 17. Remense eodem anno, tit. *De Cultu divino*, §. 4. Bituricense 1584. tit. 12. cap. 12. Narbonense 1609. cap. 30. &c.

REGULA XI.

Quibus incumbit obligatio divinum officium recitandi, illud recitare tenentur juxta Breviarium, & præscriptam formam, ritumque sive romanæ Ecclesiæ, sive Ecclesiæ, cujus sunt Clerici, sive Ordinis religiosi, quem professi sunt; nec officii qualitatem ipsis mutare licet absque Superiorum facultate; alioqui peccati lethalis rei essent.

Hanc Regulam ex *S. Thoma* colligimus Quodlibeto 1. qu. 7. art. 1. ,,,, Supposito (*inquit*) quod aliquis licite sit præbendatus in duabus Ecclesiis, (scilicet ex dispensatione) considerandum est, quod ille, qui in aliqua Ecclesia præbendam accepit, duobus obligatur; scilicet Deo, ut ei debitas laudes exsolvat pro ejus beneficiis, & Ecclesiæ, de qua accipit sumptus. Ea vero, quæ ad Ecclesiam pertinent, subjacent dispositioni Prælatorum Ecclesiæ; & ideo hoc debitum debet exsolvere, secundum quod statutum est; vel per seipsum, si sit præbenda, quæ requirat residentiam; vel per Vicarium, si hoc sufficiat secundum Ecclesiæ statum, ac consuetudinem; sed debitum, quod debet Deo, per seipsum debet exsolvere. Non refert autem quantum ad Deum, quibus psalmis, & hymnis Deum laudet; puta utrum dicat in Vesperis: *Dixit Dominus*, vel, *Laudate*

pueri Dominum, (nisi quantum ad hoc, quod debet sequi majorum traditiones.) Et quia laudes Deo debet quasi unus homo, sufficit, quod semel officium dicat secundum consuetudinem alicujus Ecclesiarum, quarum est Clericus. Sed de electione officii rationabiliter videtur, quod debeat dicere officium illius Ecclesiæ, in qua majorem gradum habet; puta, si in una sit Decanus, & in alia simplex Canonicus, dicere officium Ecclesiæ, in qua est Decanus; quod si in utraque Ecclesia fuerit simplex Canonicus, debet dicere officium dignioris Ecclesiæ „„.

Hanc Regulam confirmat beati Pontificis *S. Pii V.* Constitutio 64. quæ incipit, *Quod a nobis* qua statuit, & declarat: „„ Quoscunque, qui horas canonicas ex more, & ritu romanæ Ecclesiæ, jure, vel consuetudine dicere, vel psallere debent, propositis pœnis per canonicas sanctiones constitutis in eos, qui divinum officium quotidie non dixerint; ad dicendum, & psallendum posthac in perpetuum horas ipsas diurnas, & nocturnas ex romani Breviarii, *illius jussu emendati*, præscripto, & ratione omnino teneri; neminemque ex iis, quibus hoc dicendi, psallendique munus necessarie impositum est, nisi hac sola formula satisfacere posse „„. Excipit tamen Ecclesias, & monasteria, quæ ab ipsa prima institutione a Sede apostolica approbata, vel consuetudine, aut statutis ante ducentos annos conditis, vel observatis, aliis certis Breviariis uti constiterit. Quibus *Inveteratum illud jus dicendi, & psallendi suum officium non adimit.*

REGULA XII.

Qui Breviario proprio Diœcesis alicujus, vel Ordinis religiosi utuntur, recitare tenentur officium parvum B. Virginis, & officium mortuorum, etiam extra chorum, cum id singulis præscriptum est rituali, vel ordine, rubricis, aut statutis, aut consuetudine illius Ecclesiæ, vel Congregationis monasticæ; sive cum in choro ab omnibus recitatur: idque sub reatu peccati mortalis.

Hæc

Hæc enim officia illis in Ecclesiis, vel Ordinibus religiosis, scilicet, Benedictinorum, Cisterciensium, Carthusiensium, FF. Prædicatorum, &c. sive quolibet die, sive certis diebus præscripta sint, non choro tantum, sed singulis Clericis, aut religiosis viris ad chorum professis; partes sunt officii canonici, quod quisque recitare tenetur integrum secundum ritum Ecclesiæ suæ, vel Ordinis, sub pœna peccati mortalis. Id colligitur ex Constitutione Pontificis *S. Pii V.* qua illos duntaxat, qui Breviarium romanum recitant, ex præcepto, & sub periculo peccati non teneri ad officia *B. Mariæ*, & Defunctorum recitanda declarat, sine præjudicio sanctæ, & laudabilis consuetudinis aliarum Ecclesiarum, quam servari jubet. „„ Quod vero (*inquit*) in rubricis nostris hujus officii præscribitur, quibus diebus officium beatæ semper Virginis, & Defunctorum, item septem Psalmos pœnitentiales, & graduales dici, ac psalli oporteat, nos propter varia hujus vitæ negotia, multorum occupationibus indulgentes, peccati quidem periculum ab ea præscriptione removendum duximus, &c „„. Aliam vero partem ejusdem Constitutionis, quam tamen romanum Bullarium non exhibet, ita habere *Prosper Fagnanus* in c. *Presbyter*, Extra, *De Celebratione Missarum*, testatur: „„ Hoc autem concedimus sine præjudicio consuetudinis illarum Ecclesiarum, in quibus officium parvum B. Mariæ semper Virginis in choro dici consueverat, ita ut in ipsis Ecclesiis servetur ipsa laudabilis, & sancta consuetudo celebrandi more solito prædictum officium „„. Ut ut est, idem Pontifex altera Constitutione, quæ incipit, *Superni*, qua officium B. Mariæ nuper reformatum ubique suscipi jubet, & alia quæcunque, imprimis vulgari idiomate compositа, atque etiam quod Venetiis anno 1570 apud Junctas editum erat, omniaque alia hujusmodi officia, etiam latino sermone, quovis titulo vulgata prohibet, obligationem ad recitandum officium B. Mariæ arcessit ex *Jure*, *consuetudine*, *usu*, *statuto*, *in-*

Qui ad parvum officium B. Virginis & ad officium Defunctorum recitandum teneantur.

institutione, ac Constitutionibus Ecclesiarum, seu Ordinum regularium.

Fagnanus in 3. Decretalium p. 2. pag. 290. Quæstionem proponit, an Monachi *S. Bernardi* de observantia Hispaniarum Cistercienſis Ordinis teneantur ex præcepto ad recitationem officii B. Mariæ Virginis ac Defunctorum. Quamvis enim illud quotidie, istud ferialibus diebus ab ipsius Congregationis fundatione recitare consuevissent, atque ad hoc lege, seu consuetudine sub gravis peccati reatu obligati censerentur; nonnulli tamen ejusdem Congregationis Monachi se ab ea obligatione exemptos contendebant, si in privatis precibus uterentur Breviario monastico *Pauli V.* Constitutione approbato, qua hujusmodi Breviarium recitantibus eadem privilegia, gratias, indulgentias, ac peccatorum remissiones concedit, quas *S. Pius V.* recitantibus romanum Breviarium concessit. Unum autem ex his privilegiis (inquiebant) est, ut ad recitationem officii parvi B. Mariæ Virginis, & officii Defunctorum non teneantur.

Hanc quæstionem ut solvat *Fagnanus*, observat varias fuisse Doctorum sententias ante *S. Pii V.* Constitutionem de obligatione recitandi officia B. Virginis, ac Defunctorum. Quidam enim ea non esse sub præcepto censebant; alii propugnabant, omnes, qui tenentur ad horas canonicas teneri etiam ex præcepto ad officium *B. Mariæ*. Hanc controversiam dirimere voluisse *S. Pium V.* Constitutione sua, non quidem concedendo privilegium, sed removendo periculum peccati ab his, qui romanum Breviarium recitantes officium B. Virginis non persolvunt secundum rubricarum præscriptum. Cæterum hanc peccati, & obligationis remotionem ad Monachos *S. Bernardi* non pertinere *Fagnanus* propugnat. Primo quia ipsi non tenentur solum ad officium B. Virginis recitandum vi generalis consuetudinis, de qua prius erat controversia, an vim haberet præcepti, sed consuetudinis particularis, & instituti sui or-

Ad parvum officium B. Virgin. privatim recitandum Monachi

ordinis, quam obligationem non est verisimile, ut SS. ille Pontifex abrogare voluerit. „ „ Etenim de valore particularis consuetudinis olim nulla erat controversia inter Doctores, sed omnes unanimiter conveniebant in hoc, ut recitatio officii esset in præcepto, si ita se haberet Ecclesiæ, aut monasterii consuetudo „ „ „ (inquit Fagnanus.) Addit, rationem illam Constitutionis S. Pii V. *Nos propter varia hujus vitæ negotia multorum occupationibus indulgentes, &c* non convenire Monachis, qui a negotiis & occupationibus mundanis prorsus segregati, facilius possunt orationi vacare. Can. *Placuit*, & can. *Si cupis cauſ.* 16. *q.* 1.

S. Bernardi tenentur.

Ex hac auctoris juris canonici peritissimi responsione colligitur officium parvum B. Virginis, in ordine pariter FF. Prædicatorum esse ex præcepto recitandum ab omnibus, & singulis fratribus ad chorum professis, quotiescunque recitatur in choro ex præscripto Constitutionum, ac rubricarum, & ex consuetudine ab Ordinis exordiis religiose observata; mortalisque peccati reos esse, qui illius recitationi defuerint. Idem esto judicium de officio Defunctorum singulis hebdomadibus semel recitando, *tam in choro, quam extra.*

Necnon Dominicani, quotiescunque in choro ex præscripto Constitutionum, & rubricarum breviarii ipsis proprii recitandum est.

Hæc responsio confirmatur auctoritate *S. Thomæ*, Quodlibeto 5. qu. 5. art. 2. ubi quærit: *Utrum Clericus beneficiatus teneatur in scholis existens dicere officium mortuorum.* Sic autem respondet: „ „ Clericus ex hoc ipso, quod est Clericus, & præcipue in sacris Ordinibus constitutus, tenetur dicere horas canonicas. Sed in quantum est Clericus beneficiatus in hac Ecclesia, tenetur dicere officium secundum modum illius Ecclesiæ. Est ergo considerandum, quod officium mortuorum quandoque in Ecclesia dicitur sicut ordinarie pertinens ad Ecclesiæ officium, sicut in tota Ecclesia in die animarum dicitur officium pro mortuis; & in qualibet Ecclesia est aliqua super hoc specialis consuetudo; puta, ut dicatur ordinarie officium mortuorum semel in septimana,

Idem esto judicium de officio Defunctorum singulis hebdomadibus.

vel qualiterque aliter ſecundum certum tempus; & ad hujuſmodi officium mortuorum tenetur Clericus beneficiatus in aliqua Eccleſia, etiam in ſcholis exiſtens, ut per hoc ſatisfaciat mortuis, quorum recipit bona. Aliquando vero dicitur officium mortuorum in Eccleſia extraordinarie, propter aliquam cauſam ſpecialiter emergentem; puta, ad preces alicujus perſonæ, vel propter aliquid hujuſmodi; & ad hujuſmodi officium mortuorum non tenetur Clericus exiſtens in ſcholis „„. Qua ratione Clericus beneficiatus officium recitare tenetur *ſecundum modum illius Eccleſiæ*, in qua beneficium poſſidet; ita vir religioſus officium divinum recitare tenetur ſecundum modum, ac ritum Ordinis, quem profeſſus eſt; obligatur itaque ex præcepto ad recitandum officium B. Virginis Mariæ, & officium mortuorum, quoties recitatur in choro ſicut ordinarie pertinens ad Ordinis officium, ſive ex Lege, ſtatutis, conſtitutionibus, rituali, aut rubricis; ſive ex conſuetudine. Et quod ſpectat officium mortuorum, non minus tenetur vir religioſus ſatisfacere mortuis, ex quorum eleemoſynis vivit, quam Clericus beneficiatus.

Reſpondetur objectioni.

Fruſtra vero aliquis objiceret, Conſtitutiones FF. Prædicatorum ad culpam non obligare, niſi ratione præcepti, aut contemptus. Obligatio enim ad recitandum B. Virginis officium certis diebus, & officium mortuorum ſemel qualibet hebdomada, non oritur ex conſtitutionibus duntaxat, ſed Eccleſiæ præcepto. Ex Conſtitutionibus quidem, & peculiari Ordinis conſuetudine id habent hujuſmodi officia, ut pertineant ad Canonicum, & ordinarium ordinis officium certis diebus, ac temporibus. Sed obligatio recitandi canonicum officium integrum ſecundum modum, ac ritum ſuæ Eccleſiæ, vel ordinis, ex Eccleſiæ præcepto eſt. Quamobrem ſicut Monachi benedictini tenentur duodecim pſalmos ad Matutinum ſingulis diebus dicere ſecundum Regulam S. Benedicti, & ordinem, ritumque Breviarii monaſtici, cujus uſum ipſis permiſit Eccleſia; & in mortalis peccati rea-

reatum incurrerent, si novem duntaxat psalmos recitarent, ut cæteri qui Romano, vel aliis Breviariis utuntur, quia duodecim psalmorum ad Matutinum recitatio pertinet ad integritatem officii canonici secundum ritum Ordinis Benedictini; ita Dominicani, qui B. Virginis parvum officium omitterent, atque negligerent, vel etiam officium mortuorum, diebus, ac temporibus præscriptis, quibus in choro recitatur ex consuetudine Ordini coæva, nec non etiam ex Constitutionum, statutorum, ritualis, & rubricarum ejusdem Ordinis tenore, rei peccati mortalis essent.

Id confirmat *Sylvester Prieras* in Summa, verbo *Hora*, §. 6. „„ Quæritur, utrum officium B. Virginis sit in præcepto: Dicit Joannes de Lignano in Clementinam, de Celebratione Missarum, quod hoc jure non probatur; tamen communis consuetudo est, ut computetur inter horas; & hoc verissimum putat Panormitanus, quia ordo antiquus ab Ecclesia traditus est, ut publice dicatur in Ecclesia certis temporibus; quod non esset, si non esset in præcepto. Cardinalis etiam Zabarella, in dictam Clementinam, credit, quod ex quo uno, & eodem modo Ecclesiæ alicujus Servitores consueverunt prædicta pro horis dicere, quilibet eorum ad hoc tenetur; secus si aliqui dicerent, etiam plures, alii vero non; & idem dicit Directorium juris lib. 1. Igitur ad illud tenentur, qui tenentur ad horas ratione generalis consuetudinis, quando & eo modo, quo est in consuetudine Ecclesiæ, cujus officium dicunt „„. Idem censet de officio mortuorum, idque confirmat ex Quodlibeto *S. Thomæ* superius indicato, sed intelligendum id esse monet de consuetudine: „„ Qua communiter tales se crediderunt hactenus obligatos; quia consuetudo non obligat, nisi ex intentione Legislatoris, quam communis opinio manifestat. Unde non teneor dicere *Ave Maria*, quando ad hoc pulsatur, licet sit consuetudo. Et consequenter videtur pari ratione dicendum, quod in Ordine Prædicatorum

omnes tenentur ad officium mortuorum semel in anno, & semel in hebdomada, quando in Ecclesia est dicendum; tum quia ista est consuetudo communis, qua etiam communiter fratres se credunt obligatos; tum etiam quia quisque ad officium tenetur secundum Ecclesiæ, cujus officium dicit, ordinationem; quæ in proposito ab hoc officio nullum excipit. Ad Vigilias autem quotidianas tenentur solum ministri altaris cum Hebdomadario, & eo, qui notatus est ad Missam pro Defunctis, secundum quod tradit rubrica; ita tamen quod hoc onus non videtur personale; unde est in arbitrio Cantoris annotantis ad officia onerare hunc, vel illum, & consequenter, qui ad hoc tenetur, potest illud alteri committere, qui illud pro eo dicat in choro, & ipse immunis est. Quantum autem ad Litanias in Ordine Prædicatorum, fratres ex præcepto non tenentur; quia licet sint in consuetudine post Matutinum, illa tamen non creditur communiter obligatoria seu præceptiva; est signum, quod ad hoc nunquam voluerunt Patres Ordinem obligare; quia si sic voluissent, ad præsentes per priores gradatim tanquam obligatoria perveniisset, sicut est de officio B. Virginis „„. Hæc *Sylvestri Prieratis* responsio consona est *S. Antonini* responsioni in Summa p. 3 tit. 13. c. 4. *De Horis canonicis*, §. 3. ubi illud Cardinalis *Zabarellæ* principium approbat: „ Ex quo uno, & eodem mo„do Ecclesiæ illius servitores (*id est Clerici illi Ec„clesiæ addicti*) consueverunt prædicta pro horis di„cere, quilibet de ipsis ad hoc tenetur „.

Suffragatur & *Dominicus Soto* lib. 10. *De Justitia, & jure*, qu. 5. art. 4. „„ De officio B. Virginis (*inquit*) controvertitur inter Doctores, utrum etiam sit in præcepto, eo quod hac de re nullum extat jus, sed sola consuetudo... Si conjecturis agere licet, hæc consuetudo non cœpit tanquam habens vim præcepti; alias alicubi legeretur; sed ex pietate, & devotione, qua SS. Virgo dignissima erat. Atque hujus nonnullum indicium est, quod in institutione

no-

noſtri Ordinis juſſum eſt, ut ſurgentes fratres illico in dormitorio officium Virginis nocturnum recitando ſolvant; quod, ſi præceptum eſſet eccleſiaſticum, in choro juberetur ſolvi. At vero decurſu temporis conſuetudo adeo invaluit, ut nullus Doctorum negare audeat vim habere præcepti „ „.

Circa officium vero Mortuorum monendi ſunt, qui ad illud ſemel hebdomada qualibet perſolvendum tenentur, illos non ſatisfacere obligationi, ac præcepto, qui illud recitant Dominica die pro hebdomada præcedente; cum Dominica dies ad hebdomadam alteram pertineat, ut initium illius, ac prima dies, unde & dies Lunæ Feria 2. dicitur. Qui ergo neglecto, & omiſſo Mortuorum officio per totius hebdomadæ decurſum, illud Dominica ſequenti recitat, præcepti violati, lethaliſque omiſſionis reus eſt; quamvis ad ſatisfaciendum Deo pro negligentia ſua, ſi de peccato contritus ſit, illudque ſacramentali Confeſſione expiaverit, aut expiare decreverit, valeat hujuſmodi recitatio.

Nec vero cauſentur quidam Regulares, ſeveriorem illam eſſe ſententiam, viriſque ſtudio, & verbi Dei prædicatione occupatis prorſus gravem. Viris enim vere religioſis, piis, diligentibus, ſatis temporis ſupererit ad perſolvendum magnum officium, etiam feriale, & parvum officium B. Virginis, ac officium Mortuorum ſemel in hebdomada, cum legamus ſæculares viros, imo etiam Reges, qui ſtrenue rempublicam per ſeipſos adminiſtrabant, inter tot, & tantorum negotiorum turbas, canonicum officium integrum, & horas B. Virginis, aliaſque preces recitaſſe. *Alfredus* Angliæ Rex ſic totum diei curſum dividebat: *Ut octo horas in ſcribendo, legendo & orando; octo in cura corporis; octo in expediendo regni negotio tranſigeret*, ut ſcribit *Willelmus Malmesburienſis*. De eodem *Aſſerus* vitæ illius Scriptor fidelis, & accuratus: „„ Inter bella (*inquit*) & præſentis vitæ frequentia impedimenta, necnon paganorum infeſtationes, & quotidianas corporis infirmitates; inter

Viris religioſis etiam ſtudio occupatis, ſatis ſupereſt temporis ad canonicum officium, & horas B. Virginis, & officium etiam mortuorum, quibus præſcriptum eſt temporibus recitandum.

regni gubernacula, nihilominus Missam quotidie audire, psalmos quosdam, & orationes, & horas diurnas, & nocturnas celebrare, & Ecclesias nocturno tempore clam a suis adire solebat „ „.

De *S. Ludovico* scribit *Guilelmus de Nangiaco* in ejus gestis: „ „ Omnes horas canonicas, & etiam de B. Virgine, cum cantu quotidie audire volebat; etiamsi eas in itinere equitando audire contingeret, nihilominus eas inter se, & Capellanum suum tam de die, quam de B. Virgine submisse dicebat. Insuper officium Mortuorum quotidie cum novem lectionibus, etiam in festis quantumcunque solemnibus dicebat cum Capellano suo. Raro accidebat, quin quotidie duas Missas audiret, & frequenter tres, vel quatuor „ „.

Porro si Regibus tot negotiorum mole, ac reipublicæ administratione occupatis, tempus non defuit persolvendi multiplex officium; multo minus deerit Clericis, ac religiosis viris, quantumvis studio, & verbi Dei prædicatione sint occupati, modo ipsis pietatis studium, Deique amor non desint, & breve temporis intervallum, quod ex reliquo die succident, ut parvum officium B. V. persolvant, quibus diebus in choro recitatur, & Mortuorum officium semel in hebdomada, Deus benedictione sua compensabit, majorem in studiis, & concionibus parandis facilitatem, felicioremque donans exitum. Parum enim studia nostra, concionesque proficiunt, nisi Dominus intus nos docuerit, suoque lumine, & gratia illustraverit, ac verbum dederit evangelizantibus virtute multa; quod frequentibus, ac fervent ibus precibus ab ejus bonitate, & misericordia postulandum est. *Nisi Dominus ædificaverit domum, in vanum laboraverunt, qui ædificant eam.* Et *Neque qui plantat, neque qui rigat est aliquid, sed qui incrementum dat Deus.* Unde ipsis quoque ministris sanctis hominibus, vel etiam sanctis Angelis operantibus: „ „ Nemo recte discit, quæ pertinent ad vivendum cum Deo, nisi fiat a Deo docilis Deo, cui dici-

Psal. 126.

1. Cor. 3.

dicitur in psalmo: *Doce me facere voluntatem tuam, quia Deus meus es tu.* Unde & ipsi Timotheo dicit Apostolus, loquens utique ad discipulum Doctor. *Tu autem persevera in iis, quæ didicisti, & credita sunt tibi, sciens a quo didiceris.* Sicut enim corporis medicamenta, quæ hominibus ab hominibus adhibentur, nonnisi eis prosunt, quibus Deus operatur salutem, qui & sine illis mederi potest, cum sine ipso illa non possint, & tamen adhibentur; & si hoc officiose fiat, inter opera misericordiæ, vel beneficentiæ deputatur; ita & adjumenta doctrinæ tunc prosunt animæ adhibita per hominem, cum Deus operatur, ut prosint, qui potuit Evangelium dare homini, etiam non ab hominibus, neque per hominem „ „. Agat igitur divini verbi prædicator, quantum potest, ut intelligenter, ut libenter, ut obedienter audiatur, & hæc se posse, si potuerit, & in quantum potuerit, *Pietate magis orationum quam oratorum facultate* non dubitet, ut orando pro se, ac pro illis, quos est allocuturus, *Sit orator antequam dictor.* Ipsa hora jam ut dicat accedens „ Priusquam exerat proferentem linguam, ad Deum levet animam sitientem, ut eructet, quod biberit, „ vel quod impleverit, fundat „. Verba sunt *S. Augustini* lib. 4. *De Doctrina christiana* cap. 15. Nulli ergo Clerici, ac religiosi viri lubentius, ac ferventius orationi vacare debent, quam qui studiis sacris, ac verbi Dei prædicationi magis ex professione sua sunt adstricti, ut cum Apostolis dicant: *Nos autem orationi, & ministerio verbi instantes erimus.*

Psal. 142.

2. Tim. 3.

Act. 6.

REGULA XIII.

In divini officii recitatione congruitas temporis observanda est, adeo ut officium pro uno die præscriptum, vel notatum in ordine, aut directorio, in aliud mutari absque gravi peccato non possit, v. gr. Officium Feriæ die Jovis in officium de sanctissimo Sacramento.

Hanc

Hanc Regulam tradit *S. Thomas*, Quodl. 3. qu. 12. art. 2. „ „ In omni divino officio, (*inquit*) hoc eſt commune, quod pertinet ad laudem Dei, & ad ſuffragium Fidelium; ſed diſtinguitur unum officium ab alio ſecundum diverſitatem temporum, & locorum. Rationabiliter enim inſtitutum eſt, ut diverſimode Deus laudetur ſecundum congruentiam temporum, & locorum. Et ideo ſicut in officiis divinis exſolvendis obſervanda eſt congruitas loci, ita etiam congruitas temporis; quæ quidem obſervari non poſſet, ſi oporteret injungere omittenti, quod horas diceret, quas omiſit; forte enim in Completorio diceret: *Jam lucis orto ſidere;* & in tempore paſchali diceret officium dominicæ Paſſionis; quod eſſet abſurdum. Et ideo non videtur eſſe injungendum ei, qui omiſit dicere divinum officium, quod horas eaſdem repetat, ſed aliquid ad divinam laudem pertinens; puta ut dicat ſeptem pſalmos, vel unum pſalterium, vel aliquid amplius ſecundum qualitatem delicti „ „.

Idem confirmat *S. Antoninus* P. 2. tit 9. cap. 12. „ „ Quando (*inquit*) non dicit proprium, & ordinatum officium Eccleſiæ ſuæ, vel religionis ſuæ, ſed ad placitum dicit nunc uno modo, nunc alio, & de Feria non facit, quando occurrit, cauſa abbreviationis, ſed facit de Sanctis; vel etiam dicens officium Eccleſiæ ſuæ, quia non vult quærere Breviarium, dicit unam Antiphonam, vel capitulum vel orationem pro alia, non eſt hoc abſque gravi peccato „ „.

Propoſitio damnata.

Merito itaque ab *Alexandro VII.* Pontifice maximo inter alias pravi dogmatis Propoſitiones hæc etiam ordine 34. damnata eſt: „ In die Palmarum „ recitans officium paſchale ſatisfacit præcepto „.

RE-

REGULA XIV.

Canonici, qui choro intereſſe debent, jus non habent diſtributiones percipiendi, ſive cum abſunt abſque cauſa legitima, & canonica, ſive cum non adſunt modo convenienti, ac religioſo, ſacriſque Canonibus præſcripto.

Hæc Regula nititur c. *Conſuetudinem*, tit. *De Clericis non reſidentibus*, in 6. „„ Statuimus (*in qui. Summus Pontifex*) ut diſtributiones ipſæ quotidianæ, in quibuſcunque rebus conſiſtant, Canonicis, ac aliis beneficiatis, & Clericis Eccleſiarum ipſarum, qui eiidem officiis in ipſius Eccleſiis adfuerint, tribuatur juxta Eccleſiæ cujuslibet ordinationem rationabilem jam factam, ſeu etiam faciendam. Qui vero aliter de diſtributionibus ipſis quidquam exceperit, (exceptis illis, quos infirmitas, ſeu juſta, & rationabilis corporalis neceſſitas, aut evidens Eccleſiæ utilitas excuſaret,) rerum ſic receptarum dominium non acquirat, nec faciat eas ſuas, imo ad omnium reſtitutionem, quæ contra hujuſmodi noſtram conſtitutionem receperit, teneatur. De diſtributionibus etiam pro Defunctorum Aniverſariis largiendis idem decernimus obſervandum „„.

Eamdem regulam confirmat Conc. Trid. Seſſ. 24. *De Reformatione*, cap. 12. cujus hæc ſunt verba: „„ Diſtributiones vero, qui ſtatis horis interfuerint, recipiant: Reliqui, quavis colluſione, aut remiſſione excluſa, his careant, & juxta Bonifacii VIII. Decretum, quod incipit, *Conſuetudinem*, quod S Synodus in uſum revocat, non obſtantibus quibuſcunque ſtatutis, & conſuetudinibus. Omnes vero divina per ſe, & non per ſubſtitutos, compellantur obire officia; & Epiſcopo celebranti, aut alia pontificalia exercenti adſiſtere, & inſervire, atque in choro, ad pſallendum inſtituto hymnis, & canticis Dei nomen reverenter, diſtincte, devoteque laudare „„. Niſi ergo præſentes fuerint, aut legitimam, & canonicam abſentiæ cauſam habeant, ſecundum tenorem

bo-

Bonifacianæ Constitutionis, distributionibus privantur, quas si receperint, tenentur ad restitutionem iis, qui adfuerunt, faciendam. Qui si remiserint illis jus suum, remissio illa, & condonatio nullam vim habet, atque ad restitutionem nihilominus obligantur. Nec pauperibus dare sufficit, nisi consenserint illi, in quorum commodum hujusmodi distributiones cessissent, utpote qui divinis officiis interfuerunt.

Canonici, qui modo convenienti, religioso & sacris Canonibus præscripto, divinis officiis non interfunt, ad quotidianas distributiones jus non habent, iisque perceptis ad restitutionem tenentur.

Nec vero sufficit adesse choro quovis modo, ut distributiones justo titulo, tutaque conscientia recipiant; sed necesse est, ut adsint modo convenienti, religioseque, reverenter, distincteque psallendo, ut decernit S. Synodus Tridentina. Oportet, ut adsint eo modo, quo præscribit *Clemens V.* in Conc. Vienensi; & habetur in Clementinis, cap. *Gravi*, tit. *De Celebratione Missarum.* „ „ *Gravi* nimirum turbatione movemur (*inquit*) quod... plerique Ecclesiarum ministri, modestia Ordinis clericalis objecta; dum offerre Deo Sacrificium laudis, fructum labiorum suorum in puritate conscientiæ, & animi devotione deberent, horas canonicas dicere, seu psallere transcurrendo, syncopando, extraneâ quidem, & plerumque vana, profana, & inhonesta intermiscendo colloquia, tarde ad chorum conveniendo, seu Ecclesiam ipsam absque rationabili causa ante finem officii exeundo.. nimis indevote præsumunt. Ne igitur transgressiones invalescant hujusmodi, aliisque veniant in exemplum, sacri Concilii approbatione hoc fieri prohibente, sancimus, ut illi, ad quos id pertinet, & in eorum si utique exempti non sint, negligentiam, vel defectum locorum Ordinarii, si vero exempti fuerint, superiores ipsorum, omni negligentia, vel incuria penitus relegata, circa reformanda præmissa, & eorum singula corrigenda; necnon, ut in cathedralibus, regularibus, & collegiatis Ecclesiis horis debitis devote psallatur; in aliis vero convenienter, & debite celebretur divinum diurnum, & nocturnum officium, si Dei, & apostolicæ Sedis indignationem evitare voluerint, soli-

ci-

citam curent diligentiam adhibere; contradictores per Censuram ecclesiasticam, aliisque opportunis remediis compescendo „ „.

Canonicos, qui suis in sedibus otiosi residents, cum aliis non psallentes, distributiones justo titulo non percipere, confirmat Concilium Mediolanense 1. sub *S. Carolo Borromæo*, Tit. 38. Part. „ „ Qui dignitates, (*inquit*) aut personatus in Ecclesiis obtinent, & canonici nominis, ac institutionis suæ memores, ea pietate, & assiduitate divina officia colere debent, ut alii eorum exemplo ad studium, & amorem divini cultus accendantur. Itaque auctoritate etiam Trid. Concilii præcipimus, ut cum in choro psallendum est, ipsi quoque quantum honoris gradu cæteris præstant, tanto studiosius psalmis, hymnis, & canticis una cum aliis modulantes, Dei laudes concelebrent. Cui officio si defuerint, pro absentibus habeantur; & earum horarum, quas ea ratione non objerint, distributionibus mulctentur „ „.

Qui suis in sedibus otiosi sedent, vel dormiunt; vel confabulantur, vel in Ecclesia ambulant, nec psallunt cum cæteris, jus non habent ad distributiones.

Accedit Concil. Burdigalense anno 1583. celebratum, cap. 17. „ „ In choro (*inquit*) colloquia nulla permittantur, sed omnes pie, ac devote divino cultui sint intenti. Qui contra fecerit, nisi monitus quiescat, privetur ejus horæ distributione, vel graviore pœna mulctetur „ „.

„ „ Dum psallitur, Canonici omnes, & Sacellani (nisi per invaletudinem, aut aliam legitimam causam impediantur) psallant, nec maneant in suis sedibus otiosi; neve putent se officio functos, si vicaria tantum opera cultum divinum celebrari curent „ „.

„ „ Preces, & divina officia non cursim, & festinanter, sed devote, attente, & graviter in choro omnes recitent, perpetuo memores tremendæ illius Prophetæ sententiæ: *Maledictus, qui facit opus Dei negligenter* „ „.

His consona sunt Concilii Turonensis eodem anno celebrati Decreta *De Capitulis, Dignitatibus, & Canonicis*, cap. 13. „ „ Cum in choro fuerint (*inquit*) gravitatem servent, quam & locus, & officium exigunt,

gunt, non inter se, aut cum aliis confabulantes, seu colloquentes, non dormientes, aut literas seu scripturas alias legentes „„.

„„ Cumque psallendi gratia ibidem consideant, muta, aut clausa labia non teneant; sed omnes, præsertim, qui majore funguntur honore, in Psalmis, Hymnis, & Canticis, Deo alacriter modulentur „„.

„„ Qui in Matutinis ante finem Psalmi: *Venite exultemus*, in aliis horis ante finem primi psalmi, in Missa ante ultimum *Kyrie eleyson*, chorum non fuerit ingressus, & usque in finem divino officio non interfuerit, (nisi forte necessitate cogente, ac petita, & obtenta a præsidente chori licentia discederet,) pro illa hora absens censeatur &c „„.

„„ Ut autem Canonici his diligentius intendant, qui Annotatores fungendi officio deputabuntur, ecclesiasticorum actiones observent, ut si Decreta hujusmodi neglexerint, fructus illius horæ, qua chorum exierint, perdant; & si in Ecclesia una hora divini officii vagari per Ecclesiam seu deambulare visi fuerint, totius diei fructibus priventur „„.

Remissiones, & colusiones hac in causa vetitæ.

Idem confirmat Concilium Aquense anno 1585. celebratum, Tit. De Canonicis. „„ Trid. Concilii (*inquit*) & Bonifacii VIII. auctoritate nixi decernimus, ut nulla Canonicorum, aut aliorum pactio, remissio, vel collusio fiat, aut facta vim habeat, nullumve statutum, aut constitutio, quæcunque illa sit, valeat, quibus aut absenti quavis de causa, vel ejus sacræ horæ, in qua muneri suo defuerit, aut omnino cuiquam, contra quem jure communi, & ejusdem Trident. Concilii definitum sit, distributiones quotidianæ dari possint. Quod si datæ fuerint, qui acceperit, nec in conscientia, nec alio modo suas faciat, sed eas restituere teneatur, disponaturque de illis juxta probatas illius Ecclesiæ constitutiones. Volumus autem ab hoc Decreto excipi eos, qui infirmitate detinentur, vel alia justa causa a sacris Canonibus permissa „„.

„„ In-

„ „ Inter justas absentiæ causas habeatur, si unum, aut duos ex dignitates habentibus, vel Canonicis, Episcopus mittat, aut secum pro consilio deducat ad visitandam diœcesim, vel ad Concilium provinciale, aut ad aliud pro religione, vel diœcesi urgens negotium; non tamen diutius excusabuntur, quam duraverit negotii necessitas. Excusentur item, qui pro negotiis capituli, & de ejusdem licentia abjerunt, nec numerentur in diebus absentiæ dies receſſus, & reditus „ „. Justa absentiæ causæ.

Qui alicujus horæ canonicæ tempore Missam celebrant, a choro absentes censentur, nec jus habent ad distributiones, ut a Sede apostolica, & Concilio Mediolanensi 4. P. 2. cap. 13. fuit declaratum; „ „ Quicunque (*inquit*) dum alicujus statæ horæ officium in choro peragitur, Missam celebrando tunc a choro abfuerit; illius horæ distributionis, tanquam absens, particeps ne sit, ut a sancta Sede apostolica declaratum est; id vero nisi præ absentia Sacerdotum, qui in Ecclesia tunc Missæ sacrificium faciant, necessitas aliquando inciderit, ut Præfectus canonicum aliquem Sacerdotem e choro exire, a statæque horæ officio abesse, Missæ celebrandæ causa jubeat, aut nisi a Sede apostolica aliter concessum fuerit „ „. Missam celebrantes horarum Canonicarum tempore censentur absentes a choro.

REGULA XV.

Punctatores, qui injuria aliquem notant, aut notandum prætermittunt, Thesaurarii etiam, seu qui distributiones solvunt iis, qui notati sunt a Punctatore, ad restitutionem tenentur.

Ita declaravit Concilium Mediolanense, sub *S. Carolo Borromæo*, P. 51. cap. 42. „ „ Punctator studiose exploret, & in libro punctationum notet omnes, quicunque ii fuerint, qui sacras Horas, & divina officia non objerint; quique contra quam his, aliisve constitutionibus præscriptum est, in choro quidquam fecerint; qua in re is ullius non odio, non amore, non spe, non metu moveatur. Si aliquem Punctatoris, & Thesaurarii obligationes.

injuria notarit, de suo ei satisfaciet; si vero notandum prætermiserit, de suo item tantumdem det quod in Ecclesiæ usum convertatur, & integras unius hebdomadæ distributiones amittat „ „.

Et cap. 43. „ „ Thesaurarius capituli, sive alius quocunque is nomine dicatur, qui quotidianas distributiones partitur, curet ipsas unicuique distribuendas pro rata parte laboris, & officii, ex juris, & harum constitutionum præscripto, & ex ordine librorum Punctatoris. Is distributiones eorum, qui absentiæ, vel errati causa notati fuerint, ne persolvat; si id fecerit, tantumdem de suo det, quod in Ecclesiæ usum conferatur; & ob eam causam etiam unius mensis distributiones amittat „ „.

REGULA XVI.

Peccant Canonici, cæterique Clerici tam sæculares quam regulares, qui divinorum officiorum tempore libros legunt, aut privatim Breviarium recitant. Idem esto de Sanctimonialibus judicium.

Canonicis cæterisque Clericis tam sæcularibus quam regularibus choro deputatis, necnon monialibus divinorum officiorum tempore, libros, literas, aut alia scripta legere non licet.

Hanc Regulam Concilia tradunt, scilicet Basileense sess. 21. cap. 3. „ „ Nemo, dum horæ in communi publice cantantur, legat, vel dicat privatim officium; nam non solum obsequium, quo obnoxius est choro, subtrahit, sed alios psallentes perturbat „ „. Mediolanense 1. p. 2. cap. 53. „ Ne in „ choro (*inquit*) ubi communi officio opera datur; „ privatim officium dicant: neve literas, libros, alia„ ve scripta legant „.

Concilium Remense anno 1583. tit. *De Cultu divino*, n. 6. „ Clerici simul conveniant in chorum; „ nec confabulentur, aut aliquid legant, ne priva„ tim quidem officium „.

Concilium Turonense eodem anno, cap. 13. „ „ Nemo, dum horæ in communi cantantur, legat, vel dicat privatim officium. Nam non solum obsequium, cui obnoxius est, choro subtrahit, sed alios psallentes perturbat „ „.

Nec officium privatim in choro recitare.

Con-

Concilium Bituricense 1584. tit. 12. can. 3. „„ Non confabulentur in choro, neque quidquam alienum a cultu, & divino officio legant, sed nec privatim officium dicant, ne choro subtrahant, quod debent, aut per eos turbentur, qui psallunt „„.

Concilium Avenionense 1594. cap. 34. „„ Nullus Canonicus, nec beneficiatus, neque alius Clericus inter canendum dormiat, nugetur, literas, aut libros legat, officium privatim recitet, per chorum vagetur, indecore sedeat, quidquamve faciat, aut loquatur, quod chori disciplinam, & psallentium attentionem perturbet „„.

Concilium Narbonense 1609. cap. 30. „„ In choro colloquia non permittantur; non dormiat aliquis; non nugetur; literas, aut libros non legat; officium privatim non recitet „„.

Hanc Regulam confirmat *S. Antoninus* p. 2. tit. 9. cap. 12. De negligentia in Horis canonicis. „„ Sexta (*inquit*) negligentia est, quando psallentibus aliis, qui velit illo tempore dicere alias horas privatas submisse, plures horas per se citius dicens; hi quodammodo furtum faciunt. Nam furtum committit, qui re alterius utitur contra voluntatem ipsius. Cum autem voluntas Religiosi sit in manibus Prælati, & Prælatus velit subditum cum cæteris persolvere horas, ut juvet alios, & conveniat cum aliis; proprio arbitrio vocem subtrahens, ut suas orationes dicat, furtum committit, nec Deo placet. Unde Bernardus: *Ingratum est Spiritui sancto, quidquid obtuleris, neglecto eo, ad quod teneris.* Nec est sufficiens excusatio, si quis dicat, se non habere vocem bonam ad adjuvandum chorum; quia & in templo Domini erant vasa non solum aurea, & argentea, sed etiam ænea; & omnia Domini opera suo modo benedicunt Dominum, & suis vocibus non solum psittacus, & cygnus, & philomela, sed & canis, & asellus, & cicada „„.

INDEX
CAPITUM, ARTICULORUM, ET RERUM, QUÆ IN HOC TOMO QUINTO TRACTANTUR.
LIBER SECUNDUS.
TRACTATUS
DE INDULGENTIIS.

CAPUT I. De Poteſtate concedendi Indulgentias. 3.
Propoſitio Unica. Poteſtas Indulgentias concedendi a Chriſto tradita eſt Eccleſiæ, quæ antiquiſſimis etiam temporibus ſacra illa poteſtate uſa eſt. ibid.
CAP. II. De Indulgentiarum utilitate. 17
APPENDIX, De Jubilæo. 19
Unde Jubilæi nomen. 20
Jubilæum Legis Moſaicæ. ibid.
Evangelici Jubilæi typus. ibid.
Per Indulgentiam Jubilæi ab agenda pro viribus Pœnitentia nemo diſpenſatur. 21
Plenariæ Indulgentiæ, & Jubilæi fructum pro ſuæ diſpoſitionis menſura quiſque conſequitur. 22
Error præcavendus. 23
CAP. III. Regulæ Indulgentiarum diſpenſationem, uſumque ſpectantes. 25
Regula I. Indulgentias concedere poſſunt ſummus Pontifex, & Epiſcopi: ille quidem Plenarias toto qua late patet Orbe chriſtiano; iſti vero in Diœceſibus ſuis, & ſecundum menſuram Canonum. ibid.
Regula II. Archiepiſcopus Indulgentias in tota provincia ſua concedere poteſt ſecundum menſuram Canonibus præſcriptam, etiamſi ſacram provinciæ Viſitationem actu non obeat. 26
Regula III Indulgentiæ ab Epiſcopo conceſſæ, eorum duntaxat Diœceſanis proſunt. 27
Regula IV. Epiſcopi in foro pœnitentiæ non ſolum quadraginta dierum, ſed plurium, & annorum Indulgentias juſta de cauſa largiri poſſunt. ibid.
Regula V. Epiſcopus electus, atque confirmatus, & legati Apoſtolici, quamvis Sacerdotes non ſint, poſſunt Indulgentias concedere. ibid.
Regula VI. Summus Pontifex, & Epiſcopi mortalis peccati rei Indulgentias nihilominus concedere poſſunt. 28
Regula VII. Ad Indulgentiæ valorem cauſa juſta, & legitima requiritur. ibid.
Regula VIII. Cauſa legitima concedendi Indulgentias cenſendum eſt temporale ſubſidium ad ſpiritualia ordinatum. 29
Regula IX. Pro cauſis mere ſpiritualibus multo magis concedi poſſunt Indulgentiæ. 30
Regula X. Exiſtentibus in peccato mortali Indulgentiæ non proſunt. 31
Regula XI. Opus, cujus intuitu conceditur Indulgentia, fieri debet ab homine in gratia exiſtente. ibid.

Re-

INDEX

Regula XII. Ad plenariam Indulgentiam, etiam Jubilæi consequendam, totis viribus eniti, & omni studio contendere necesse est ad satisfaciendum Justitiæ divinæ congruis, & diuturnis pœnitentiæ laboribus. 33
Regula XIII. Totam Indulgentiam non consequitur, quicumque facit opus, cujus gratia Indulgentia concessa est, sed qui meliori, quo potest, modo, studioque ferventiore facit. 38
Regula XIV. Aliis operibus satisfactoriis Deum magis prometetur quam Indulgentiis. 39
Regula XV. Non vivis solum, sed etiam Defunctis prosunt Indulgentiæ a summo Pontifice pro illorum levamine concessæ, illisque speciatim a Fidelibus applicatæ. ibid.
Regula XVI. Quibuscumque Purgatorii Animabus plenaria Indulgentia applicatur, non ideo a pœnis statim liberantur. 41
Regula XVII. Tempore Jubilæi quilibet tam Sæcularis, quam Regularis Confessarium eligere potest, quem voluerit, ex approbatis ad hunc effectum. 43
Regulæ XVIII. 44. XIX. XX. 45. XXI. De usu, & fructu Jubilæi. 46
Regula XXII. Jubilæum, aut Indulgentias aliis, seu vivis seu defunctis applicare non possunt, qui opera non peragunt pro illis consequendis præscripta, nisi Pontificiis Literis id exprimatur. ibid.

TRACTATUS.

DE SACRAMENTO ORDINIS.

CAPUT I. De Ordinis essentia, & divisione. 48
ART. I. Quid sit Ordo. Utrum sit vere Sacramentum. ibid.
Propositio Unica. Ordo est verum, & proprie dictum novæ Legis Sacramentum. 49
ART. II. Quot sint Ordines. 54
ART. III. De prima Tonsura. 54
ART. IV. De Minoribus Ordinibus. 60
§. I. De Ostiariis. 66
§. II. De Lectoribus. 67
§. III. De Exorcistis. 69
§. IV. De Acolythis. 72
ART. V. De Subdiaconatu. 75
ART. VI. De Diaconatu. 79
ART. VII. De Sacerdotio. 84
§. I. De Sacerdotii proprie dicti existentia. ibid.
§. II. De Presbyteratus Materia, & Forma, sacrisque Cæremoniis. 89
§. III. De Sacerdotalis Ordinis Dignitate, & Excellentia. 94
ART. VIII. De Episcopatu. 103
Episcopalis Ordo an sit a Presbyterali distinctus. ibid.
Episcopali consecratione tribuitur Spiritus sanctus. 104
Episcopi Jure divino Presbyteris Superiores. ibid.
Episcoporum Officia. 110
CAPUT II. De Hierarchia Ecclesiæ. 112

INDEX

ART. I. Quid sit Hierarchia. ibid.
Hierarchia est divinitus instituta, eamque constare Episcopis, Presbyteris, & Ministris, dogma fidei est. ibid.
ART. II. De variis Sacerdotalis Ordinis Gradibus. 117
Primus Gradus Presbyterorum, quo in ordine sunt Rectores Parochiarum, sive Curati, qui 72 Discipulorum locum in Ecclesia tenent. ibid.
Secundus Sacerdotii gradus est Episcoporum, qui sunt Apostolorum Successores. 119
Tertius gradus est Archiepiscoporum, seu Metropolitanorum. 120
Metropolitanis Superiores sunt Primates. ibid.
Metropolitanorum officia. 121
In quarto Sacerdotalis Ordinis gradu sunt Patriarchæ. 122
Supremum Sacerdotalis Ordinis gradum tenet Romanus Pontifex, amplissimamque Jurisdictionem in Christianos omnes, & Episcopos universos divinitus datam. 123
Romani Pontificis jura. 129
Obedientia ipsi ab universis Fidelibus debita. ibid.
CAP. III. De Ministro Sacramenti Ordinis. 130
ART. I. Utrum sacræ Ordinationis Minister sit solus Episcopus. ibid.
Propositio I. Minister Sacramenti Ordinis est solus Episcopus. ibid.
Propositio II. Secundi Ordinis Sacerdotibus potestas conferendi Tonsuram Clericalem, & minores Ordines a summo Pontifice demandari potest. 132
Utrum majores Ordines conferendi provincia demandari possit simplici Sacerdoti. ibid.
Presbyteros ordinare non potest simplex Sacerdos quolibet munitus Privilegio. 134
ART. II. A quo Episcopo quisque ordinari debeat. 135
Triplex Episcopus proprius, a quo Ordines possunt suscipi jure novo. ibid
Quis Episcopus Originis, 136. Domicilii, 137. & Beneficii. 138
ART. III. Regulæ praxim spectantes circa Episcopum, a quo quisque debet ordinari. 140
Regula I. Episcopus, qui beneficium alicui contulerit, ut eum absque proprii Episcopi licentia ad Ordines promoveat, aut quolibet figmento quæsito, aut affectata ignorantia, alienæ Diœcesis hominem ordinaverit, incurrit in pœnas Canonum. ibid.
Regula II. Episcopus Ordines alicui conferre non potest ratione tenuissimi Beneficii, quod in ejus Diœcesi obtinet, si ex aliena Diœcesi sit oriundus, in eaque domicilium habeat. 141
Regula III. Episcopus alienæ Diœcesis hominem in familiam suam adscriptum, & tres annos continuos apud se commoratum ordinare potest, ea lege, ut Beneficium statim ipsi conferat absque fraude. 142
Regula IV. Titulares Episcopi non gaudent privilegio familiares suos ordinandi. ibid.
Regula V. Regulares a proprio Episcopo debent ordinari, non minus quam cæteri Clerici; proprius autem eorum Episcopus est Diœcesanus monasterii, in quo ipsi permanenter degunt. 143
Regula VI. Rescripta Apostolica, ut quis a quocumque Antistite promoveri possit, nemini suffragantur, nisi ejus probitas, ac mores Ordinarii sui testimonio comprobentur. 147
Regula VII. Nemo ab alieno Episcopo ordinari potest sine licentia proprii Episcopi, seu Dimissoriis Literis. 148

Re-

INDEX

Regula VIII. Soli Episcopi, non Abbates, neque alii, etiam exempti; aut Collegia, vel Capitula quæcunque, Literas Dimissorias Clericis sæcularibus concedere possunt, ut ab aliis Ordines suscipiant. 149
Regula IX. Capitulum Sede vacante, nonnisi elapso anno a die obitus Episcopi, Dimissorias literas concedere potest alicui, qui Beneficii Ecclesiastici recepti, vel recipiendi occasione arctatus non fuerit. ibid.
Regula X. Literæ Dimissoriæ concedendæ non sunt nisi ex justa causa, & prævio illius examine, cui conceduntur, nec generatim ad omnes, sed speciatim, ac seorsim ad singulos Ordines. 151
Regula XI. Clericum ad se remissum cum literis commendatitiis Episcopi proprii, ab illoque examinatum, iterum examinare potest Episcopus, ad quem Dimissoriæ diriguntur. 154
Regula XII. Ordines Clericis sibi subditis denegare potest Episcopus ob crimen, etiam occultum, maxime si Beneficium ecclesiasticum non habeant, cui Ordo sit annexus. 155
ART IV. De Ordinationum effectibus. 158
Propositio Unica. Duplex est sacrarum Ordinationum effectus, scilicet Gratia sanctificans, & Character. ibid.
§. I. De primo Ordinationis effectu, scilicet Gratia. ibid.
§. II. De altero Ordinationis effectu, scilicet Caractere. 160
ART. V. De Temporibus Ordinationum, Ætate, & qualitatibus Ordinandorum. 166
Regula I. Clericatus, seu prima Tonsura quacumque die, & hora conferri potest. ibid.
Regula II. Minores Ordines singulis diebus Dominicis, & Festis Duplicibus, matutino tamen tempore conferri possunt. ibid.
Regula III. Quibus tantum diebus Subdiaconi, Diaconi, ac Presbyteri ordinandi sint. 167
Regulæ IV. & V. 168
Regula VI. Duos Ordines sacros simul eodem die suscipere aut conferre non licet. ibid.
Regula VII. De Episcopi Consecratione. 169
Regula VIII. Religiose servanda sunt inter singulos Ordines interstitia Legibus Ecclesiæ præscripta. ibid.
Regula IX. Inter Minores singulos, ut quædam servarentur interstitia Episcopi arbitrio definienda, conveniret ecclesiasticæ Disciplinæ. 172
Regula X. Inter postremum gradum Ordinum Minorum & Subdiaconatum annus intercedere debet: inter Subdiaconatum, & Diaconatum, annus saltem: inter Diaconatum, & Presbyteratum annus integer est interponendus. 173
Regula XI. Dispensatio circa Ordinum Interstitia Episcopi arbitrio, & prudentiæ commissa est. ibid.
Regula XII. Episcopus in Lege Interstitiorum dispensare non debet, nisi necessitas, aut Ecclesiæ utilitas id exposcat. 174
Regula XIII. Ordinator circa temporum Interstitia dispensare non potest cum iis, qui Diœcesani sui non sunt, nisi id Dimissoriis Literis expresse concedatur. 176
Regula XIV. Superiores Regularium cum ipsis dispensare de Interstitiis non possunt. 177
Regula XV. Ordines suscipere, aut conferre ante legitimam, a sacris Ca-

INDEX.

nonibus præscriptam ætatem lethale peccatum est, gravique pœna secundum Canones plectendum. ibid.
Regula XVI. Nemo absque probatione, & examine in Clerum admittendus. 180
Regula XVII. Neque Sacerdotum, & Ministrorum penuria, neque rationes aliæ, indignorum Clericorum Ordinationem ullatenus excusare possunt. 185
Regula XVIII. Nemo absque Dei Vocatione in Clerum adlegendus, sacrisque Ordinibus initiandus est. 187
Regula XIX. Nemo est ad sacros Ordines promovendus, nisi qui vel innocenter vixerit, vel occultas prioris vitæ maculas diuturna pœnitentia diluerit. 188
Regula XX. Sacrilegii reus est, qui cum peccati mortalis conscientia Ordines suscipit. 194
Regula XXI. In mortali peccati reatum incurrit, qui Tonsuram Clericalem indigne suscipit. 196
Regula XXII. Ordinandorum scientia probari debet, ac tentari pro ratione Ordinum, ad quos promovendi sunt, & locorum, quo mittuntur. Qui autem agresti sunt ingenio, & literarum ignari, atque incapaces, rejiciendi sunt. 197
Regula XXIII. De studio Mentalis Orationis examinandi sunt Ordinandi 204
Regula XXIV. Nemo ad sacros Ordines promovendus est, nisi probatæ castitatis, & qui speret, Deo auctore se continere posse. 205
Regula XXV. Lethaliter peccant, qui vel alieno nomine interrogari se patiuntur, vel aliam personam examini supponunt. 206
Regula XXVI. Nullus ad Subdiaconatum promoveri debet sine legitimo titulo sive Beneficii, sive Patrimonii. Ad Titulum vero Patrimonii eos tantum ordinare potest Episcopus, quos Ecclesiis suis necessarios, vel utiles judicaverit. 207
Regula XXVII. Qui cum ficto Titulo decepit Ordinantem, ipso Jure ab Ordinum susceptione suspensus est. 210
Regula XXVIII. Religiosi, seu Canonici, vel Clerici Regulares, qui ante Professionem expressam sacros Ordines susceperint absque Titulo sufficienti Beneficii, vel Patrimonii, ipso Jure ab executione Ordinum sunt suspensi: Ordinantes vero a collatione talium Ordinum per annum. ibid.
Regula XXIX. Regulares religiosæ Professionis testificationem loco Tituli exhibere tenentur, cujus Ratihabitionem in scriptis ac Juramento firmatam Episcopus ab ipsis exigere jure potest 211
Regula XXX Nullus ordinandus est, nisi certæ adscribatur Ecclesiæ, quam si deserat inconsulto Episcopo, a sacris Ministeriis suspendi debet. 213
Regula XXXI. Ordinandorum consensus necessarius est, adeo ut irrita esset Ordinatio, quæ prorsus renitenti, ac reluctanti confertur. ibid.
CAP. IV. De Impedimentis Ordinationum, & Irregularitatibus. 216
Quid sit Irregularitas, & quotuplex. ibid.
Quis de Irregularitate dispensare possit. 218
ART. I De Impedimento sexus. 219
ART. II. De Impedimento pueritiæ, & amentiæ, & vexationis a dæmone. 222
ART. III. De Impedimento servitutis. 223
ART. IV. De Impedimento natalium. ibid.
ART. V. De Impedimento ex vitiis, seu defectibus corporis. 227

ART. VI.

INDEX

ART. VI. De impedimento ex defectu Baptismi, Confirmationis, vel inferiorum Ordinum. 229
ART. VII. De Impedimento Bigamiæ. 232
ART. VIII. De Impedimento Criminis. 240
ART. IX. De Impedimento ex defectu perfectæ Lenitatis. 247
ART. X. De Impedimento infamiæ. 251
CAP. V. De Vita, & honestate Clericorum. 253
Regula I. Clerici pœnis Canonicis ab Episcopis compelli possunt, & debent, ut Tonsuram Clericalem, vestesque Ordini suo congruentes gestent. ibid.
Regula II. Modestiam in vestibus, & in domestica suppellectili, nec non frugalitatem in mensa, Clerici quavis dignitate fulgentes, & quamtumlibet divites, servare tenentur. 256
Regula III. Abstinere debent Clerici a cohabitatione, & frequentatione suspectarum mulierum, necnon consanguinearum, quas Canones ab eorum ædibus excludunt. 258
Regula IV. Taxillis, tesseris, sive chartis, aliisve ludis aleatoriis ludere, Clerici absque gravi crimine non possunt, nec licet illis ludentes studiose spectare, gravibusque pœnis subduntur Canonum hac in re violatores. 264
Regula V. Ab omnibus Spectaculis, & Choreis abstinere debent Clerici: Canonum hac in re violatores graviter peccant, gravibusque pœnis ab Episcopis plecti debent. 275
Regula VI. Clerici, a crapula, & ebrietate abstinere debent: ipsisque prohibere possunt Episcopi sub pœna Suspensionis, aut aliis arbitrariis, ne Tabernas ingrediantur. 276
Regula VII. Clericis omnino prohibita est Venatio clamosa: unde graviter peccant Clerici, qui venationi incumbunt. 280
Regula VIII. Negotiis sæcularibus Clericos implicari, ac vacare, sacri Canones prohibent, quos absque gravi peccato violare non possunt. 283
Regula IX. Clerici reddituum Ecclesiasticorum dispensatores sunt, non Domini: unde cum ex iis victum, & honestum vestitum delibarunt, si quid residuum est, pauperibus debent. 287
Regula X. Restitutionis lege tenentur, qui bona Ecclesiæ seu redditus Ecclesiasticos in usus illicitos expendunt. 293
Regula XI. Personæ turpes, lusores, consanguinei divites Clericorum, & alii, quibus sine justa causa ecclesiasticorum bonorum fructus contulerunt, ad restitutionem tenentur. 299
Regula XII. Si Clerici de Bonorum ecclesiasticorum portione usui suo destinata aliquid sibi subtraxerint, in consanguineis suis, aut aliis erogare licite possunt, ea moderatione adhibita, ut ditiores inde non fiant. 300
Regula XIII. Graviter peccat Clericus, qui imminente necessitate pauperibus subvenendi, reservat, ac reponit in futurum id, quod ex Ecclesiasticis redditibus ipsi residuum est. 301
Regula XIV. Clerici, qui sufficiens ad sustentationem suam Patrimonium habent, Ecclesiasticorum tamen Beneficiorum redditibus, oblationibus, aliisve stipendiis ad necessarium victum, honestumque vestitum tuta conscientia uti possunt. 302
Regula XV. Clerici, quibus sufficiens Patrimonium est, urgente pauperum necessitate, reddit[illegible] omnes Ecclesiasticos, sive fructus Beneficiorum suorum, decimas, distributiones, Oblationes, aliasque obventiones sacras pauperibus erogare tenentur, & ex Patrimonio suo vivere; alioquin graviter peccant. 30

INDEX

CAPUT VI. De Beneficiis Ecclesiasticis, illicitaque earum captatione, possessione, resignatione, permutatione, & Beneficiatorum Officiis. 309
Ecclesiastici Beneficii definitio explicatur. ibid.
Quotuplex Beneficiorum genus. 311
Regula I. Ad Beneficia Ecclesiastica promoveri non debent nisi legitimi, & qui sint moribus, scientia, ætate, Ordineque idonei. Si vero sint Parochiales Ecclesiæ, requiritur insuper, ut idioma loci intelligant, & expedite loqui sciant. 313
Regula II. Qui Beneficium impetravit Graduatis duntaxat conferendum, aud illud vi Graduum obtinuit, illud tuta conscientia possidere, & retinere non potest, nisi præscriptum studii tempus in aliqua Universitate perfecerit, ac scientiam adeptus sit competentem. 318
Regula III. Beneficia Ecclesiastica, Curam præsertim Animarum annexam habentia, suscipere nemo debet, nisi qui ad illa a Deo vocatus est. ibid.
Regula IV. Qui in Beneficia Ecclesiastica Curam Animarum habentia se ingerunt, vel illa ambiunt, a Deo minime sunt vocati. 319
Regula V. Qui Beneficia Ecclesiastica honoris, reddituum temporalium intuitu suscipiunt, non solum a Deo non sunt vocati, sed lethalis peccati rei sunt 322
Regula VI. Resignatio Beneficii in manus Collatoris fieri debet. 326
Regula VII. Beneficium Ecclesiasticum sine causa legitima, & canonica resignari non potest, vel ejurari. ibid.
Regula VIII. Resignatio in favorem, quo Clericus Beneficio renuntiat, ea lege, ut illud certo cuipiam viro ab ipso renuntiante designato conferatur, Ecclesiastico Jure vetita est, & illicita: & a solo Pontif. Romano admitti potest 328
Regula IX. Qui Beneficium resignant in manus Ordinarii Collatoris, cum pacto expresso, vel tacito, ut illud conferat certæ cuidam personæ ab ipsis resignantibus designatæ, aut ab aliis eorum significatione, vel hortatu, rei sunt peccati mortalis, & in pœnas contra Simoniacos latas, incurrunt. 330
Regula X. Resignatio in favorem, in manus summi Pontificis facta, Resignantem a Simonia immunem non præstat, si ea intentione suum Beneficium alicui resignet, ut commodum aliquod temporale sibi, aut familiæ suæ inde proveniat. 331
Regula XI. Resignationes cum expressa, vel tacita conditione regressus in eadem Beneficia, illicitæ sunt. 332
Regula XII. Quælibet resignatio dolo, fraude, vi, aut metu facta, illicita, & irrita judicanda est: nec Beneficium ita sibi collatum tuta conscientia retinere potest Resignatarius, aut illius fructus suos facere. 334
Regula XIII. Qui Beneficium suum in favorem alterius resignavit, illud tuta conscientia retinere non potest, nec fructus suos facere. 335
Regula XIV. Simoniæ reus est, qui Beneficium suum resignat alteri cum pactione expressa, vel tacita, ut ille vicissim suo renuntiet in favorem nepotis, seu consanguinei ipsius Resignantis. 337
Regula XV. Resignatio Beneficiorum permutationis gratia illicita, & simoniaca est, si ex pacto fiat, & conventione inter partes, Episcopi arbitrio, & judicio non permissa, aut commodi alicujus temporalis intuitu. ibid.
Regula XVI. Pensiones super Beneficiis resignatis constitui non possunt, nisi romani Pontificis Auctoritate, & ex causa canonica. Qui Beneficiatas Pensiones aliter sibi reservant, aut sine causa canonica impetratas per-

percipiunt, lethaliter peccant, & ad reſtitutionem tenentur. 340
Regula XVII Nec poſtulare licet, nec promittere Beneficium ante obitum poſſeſſoris. Qui ſecus fecerint, lethalis peccati rei ſunt. 344
Regula XVIII. Abſque inſtitutione Diœceſani Epiſcopi beneficium ordinarie obtineri tuta conſcientia non poteſt. 345
Regula XIX. Graviter peccant non ſolum, qui indignis quæcumque beneficia Eccleſiaſtica conferunt, vel indignos ad ea nominant, & præſentant, ſed & qui ad beneficia Curam Animarum annexam habentia non promovent digniores, aut iis poſtpoſitis, minus dignorum inſtitutioni quovis modo cooperantur. 347
Regula XX. Abſque peccato conferuntur beneficia Curam Animarum annexam habentia, minus ſanctis, & minus doctis, ſi Eccleſiæ, cui providendum eſt, utiliores futuri judicentur iis, qui ſanctiores ſunt, atque doctiores. 358
Regula XXI. Conſanguineos ſuos in Collatione beneficiorum Eccleſiaſticorum aliis præferre nemo poteſt abſque gravi peccato, niſi ſint æque digni: & id abſque ſcandalo fieri poſſit. Simplicia tamen beneficia illis conferre poteſt, unde ſuſtententur, ſi indigni non fuerint. 359
Regula XXII. Dignum ex Eccleſiæ gremio alteri alias digniori præferre licet. 362
Regula XXIII. Quamvis graviter peccent Patroni, qui minus dignum præſentant, poſtpoſitis dignioribus, non peccat Epiſcopus illum inſtituens. 363
Regula XXIV. Plures Epiſcopatus, aut plures Parochiales Eccleſias, aut duas Dignitates, Perſonatus, vel Præbendas uniformes ſub eodem tecto poſſidere nemini licet. ibid.
Regula XXV. Parochialem Eccleſiam cum annexa unus idemque Sacerdos regere poteſt, conſtituto in iſta Vicario. Canonicatum item in Eccleſia Cathedrali cum Parochia annexa poſſidere quis poteſt, modo perpetuus in ea Vicarius conſtituatur cum portione congrua. 365
Regula XXVI. Plura beneficia etiam diverſi generis, reſidentiam poſtulantia, in diverſis Eccleſiis poſſidere prorſus illicitum eſt. 366
Regula XXVII. Plura beneficia, cujuſcumque naturæ ſint, etiam ſimplicia, ſimul poſſidere non licet. Qui abſque canonica, & juſta Diſpenſatione plura obtinuerit, ac retinuerit, lethalis peccati reus eſt, ſi unum ad vitam ejus honeſte ſuſtentandam ſufficiat. 368
Regula XXVIII. Plurium Beneficiorum poſſeſſio plures in ſe deformitates continet. 371
Regula XXIX. Plurium beneficiorum poſſeſſio ex Diſpenſatione canonica, & juſtis de cauſis a ſummo Pontifice conceſſa, ſcilicet ob Eccleſiæ neceſſitatem, vel utilitatem, honeſta, & licita eſſe poteſt. 374
Regula XXX. Diſpenſatio Pontificia poſſidentem plura beneficia, cujuſcumque ſint generis, quorum alterum ad vitam honeſte ſuſtentandam ſufficiat, a peccato mortali non præſtat immunem, niſi juſta ſit cauſa Diſpenſationis. 376
Regula XXXI. Intentio expendendi reditus beneficiorum in bonos, & pios uſus, pluralitatem beneficiorum non excuſat. 379
Regula XXXII. Beneficiorum pluralitatem non excuſant quorumdam huic pluralitati favens opinio, vel exempla. 380
Regula XXXIII. Epiſcopi, & Parochi Divino, Naturali & Eccleſiaſtico Jure ad manſionem, ſive reſidentiam perſonalem in ſuis Eccleſiis tenentur. 381

Re-

INDEX

Regula XXXIV. Epiſcopi, Parochi, & alii quicumque beneficia Curam Animarum habentia obtinentes, peccati mortalis reatum incurrunt, cum ſacram de reſidentia legem violant: Fructus etiam ſuos non faciunt pro rata temporis abſentiæ, nec tuta conſcientia illos retinere poſſunt. 387
Regula XXXV. Epiſcopos, Parochos, alioſque beneficia Curam animarum habentia, aut alia quæcumque Reſidentiam poſtulantia obtinentes, a lethalis peccati reatu, pœniſque a Jure ſtatutis contra non reſidentes, nulla Diſpenſatio excuſat, nullave ratio, niſi cauſa abſentiæ legitima ſit, & canonica. Nulla porro abſentiæ cauſa eſt legitima, & canonica, niſi chriſtiana charitas, urgens neceſſitas, debita obedientia, & evidens Eccleſiæ, vel Reipublicæ utilitas. 389
Regula XXXVI. Summus Pontifex obligationem reſidendi Epiſcopis, aut Parochis, aliiſve Curam Animarum habentibus remittere non poteſt 394
Regula XXXVII. Epiſcopo, qui longo annorum tractu in Eccleſia ſua aſſidue manſit, & ne quidem ipſa vacatione, quam ex juſta cauſa Conc. per tres menſes quotannis permittit, unquam uſus eſt, concedi non poteſt licentia non reſidendi ad tempus, niſi aliqua ex cauſis a Conc. Trid. approbatis ad id moveat. 396
Regula XXXVIII. Epiſcopus jungere non poteſt trimeſtre abſentiæ unius anni cum abſentia trimeſtris ſequentis anni. ibid.
Regula XXXIX. Adeo ſtricta eſt Reſidentiæ obligatio, ut ne duobus quidem menſibus, aut breviori temporis intervallo, Epiſcopi & inferiores Paſtores ab Eccleſiis ſuis abeſſe poſſint, niſi id fiat ex juſta cauſa, & abſque gregis ipſis commiſſi detrimento. 397
Regula XL. Curati Reſidentiæ officium non implent, niſi Parochialem Eccleſiam per ſeipſos regant, in eaque Paſtorales functiones obeant, non per Vicarios aut conductitios Sacerdotes. 398
Regula XLI. Fructuum tenuitas Parochum a Reſidentia non excuſat. 399
Regula XLII. Quamvis pauciſſimi ſint Parochiani, ad Reſidentiam nihilominus adſtrictus eſt Parochus. 400
Regula XLIII Non ſufficit Parochum intra limites Parochiæ manere, ſed in ædibus Parochialibus ipſum manere neceſſe eſt. 401
Regula XLIV. Si quis ex diſpenſatione Præbendam, vel Dignitatem ſimul cum Eccleſia parochiali obtineat, in Eccleſia parochiali reſidere tenetur, & Parochialia munia per ſeipſum obire, ad idque ab Epiſcopo compelli poteſt, ac debet. ibid.
Regula XLV. Divino reſidentiæ præcepto non ſatisfaciunt Epiſcopi, & Clerici in Beneficiis animarum Curam habentibus corpore duntaxat præſentes, niſi pro viribus omnes Paſtoralis Officii partes impleant. 402
Regula XLVI Parochi ad Reſidentiam tenentur tempore peſtis, alteriuſve morbi contagioſi, & ad Sacramenta Pœnitentiæ, Euchariſtiæ, & Unctionis Extremæ Parochianis per ſe adminiſtranda obligantur, ſi major pars infecta ſit. 404
Regula XLVII. Qui Dignitates, Canonicatus, Præbendas, aut Portiones in Eccleſiis cathedralibus, vel Collegiatis obtinent, Eccleſiaſtico Jure ad reſidentiam tenentur, graviſque peccati rei ſunt, ſi diutius quam tribus ad ſummum menſibus, ſive continuis, ſive interruptis, a Beneficiis ſuis abſint. ibid.
Regula XLVIII. Ad Diſtributiones quotidianas illi ſoli Jus habent Canonici, aliivi Cathedralium, aut Collegiatarum Eccleſiarum Beneficiarii, qui divinis Officiis interfuerint. A qua lege ſola infirmitas, ſeu juſta, & rationabilis corporis neceſſitas, & evidens Eccleſiæ utilitas excuſant. 406

Regu-

INDEX

Regula XLIX. Theologiæ Profeſſores, dum in Scholis docent, & Studentes per quinquennium, a Reſidentia in Eccleſiis, in quibus Dignitates, Præbendas, aut alia Beneficia obtinent, legitime excuſantur, abſenteſque Jure percipiunt fructus Beneficiorum ſuorum. 408
Regula L. Duo Canonici Epiſcopo ad Eccleſiæ utilitatem ſervientes, a Reſidentia legitime excuſantur, fructusque Beneficiorum ſuorum abſentes Jure percipiunt. 411
Regula LI. Abbates, & Priores Commendatarii mortaliter peccant, qui ſacrum Presbyteratus Ordinem non ſuſcipiunt intra annum, ex quo legitimam ætatem attigerunt, niſi a ſummo Pontifice cum ipſis fuerit diſpenſatum, ut illa Beneficia ſine Presbyteratus Ordine retineant. 412
Regula LII Lethaliter peccant, qui Parochialem Eccleſiam, ſeu Beneficium Curatum ſuſcipiunt cum deliberata voluntate illud non ſervandi, & in eo non inſerviendi: & ad fructuum reſtitutionem tenentur. 413
Regula LIII. Qui Præbendam obtinet, vel ſuſcepit cum deliberata voluntate illam non ſervandi, nec in ea Eccleſia inſerviendi, graviter peccat, nec eam pro alio Beneficio permutare poteſt. ibid.
CAP. VII. De Simonia. 414
ART. I. Quid ſit Simonia. ibid.
ART. II. Simonia crimen eſt graviſſimum. 416
ART. III. Quotuplex Simoniæ genus. 429
ART. IV. Quæ ſint Simoniacorum pœnæ Canonicæ. 439
ART. V. Regulæ Morales ad ſolutionem Quæſtionum circa Simoniam emergentium. 442
Regula I. Quamvis aliqua munera modici valoris ſponte oblata poſt Ordinationem recipere non ſit abſolute Simoniacum, id tamen Epiſcopis, & eorum Miniſtris non licet, graviſque peccati rei eſſent, ſi aliquid vel ſponte oblatum reciperent. ibid.
Regula II. Simoniæ vitium incurrunt Examinatores, ſi munus aliquod occaſione examinis ad Ordines ſuſcipiendos, aut ad Beneficia, ante, vel poſt recipiant. 443
Regula III. Epiſcoporum Notarii pro Literis dimiſſoriis, aut teſtimonialibus Ordinum ſuſceptorum, aut Beneficiorum proviſionibus &c. nihil exigere poſſunt, niſi forte pro charta, & labore moderatum ſtipendium ipſis ab Epiſcopo conſtitutum. Contraria ſi quæ ſit conſuetudo, Simoniacæ pravitati favet. 444
Regula IV. Nulla Statuta, aut Conſuetudines a Simoniaca pravitate purgant, quæ in Inſtitutionibus, Confirmationibus, vel aliis Proviſionibus, aut admiſſionibus ad poſſeſſionem Beneficiorum exiguntur. 445
Regula V. Fundatio, vel dotatio Canonicatus, alteriuſve Beneficii a Clerico, eo pacto, ud illud ſibi conferatur, vel ut illud ſibi cum altero Beneficio permutare liceat, Simoniaca eſt. 348
Regula VI Simoniæ reus eſt, quiſquis conferat alteri Beneficium ea conditione, vel pacto, ut ille ſibi; aut alteri aliud Beneficium conferat. ibid.
Regula VII. Simoniæ rei ſunt, qui dum Beneficium reſignant ſub annuæ Penſionis onere, de illa ipſa Penſione redimenda paciſcuntur, vel eam extinguunt conferendo, aut procurando Beneficium Eccleſiaſticum. 449
Regula VIII. Penſiones quælibet abſque Apoſtolicæ Sedis auctoritate ſuper Beneficiis conſtitutæ ab iis, qui ipſa reſignant, ſimoniacæ cenſentur 450
Regula IX. Reſignationes incognitis, & obſcuris hominibus factæ, de Simonia vehementer ſuſpectæ ſunt, nec ab Ordinario facile admitti debent. 451

Re-

INDEX

Regula X. Aliæ Resignationes simoniacæ. ibid.
Regulæ XI. XII. Simoniæ rei sunt Clerici, qui Clericalis Status pertæsi, ad Nuptias convolant, & Beneficia sua futuræ conjugis fratri, aut nepoti resignant, aut conferri procurant, eo pacto expresso, aut tacito, ut puellæ dos augeatur, &c. 452
Regula XIII. Simoniæ reus est Patronus qui aliquem ad Beneficium præsentat, ea lege, ut Decimas a se vel ab alio non exigat. 453
Regula XIV. Simoniæ rei sunt, qui renuntiant liti super Beneficio, aliquod temporale, etiam expensarum nomine exigentes: aut qui resignant Beneficium cum onere restituendi expensas, quas in eo acquirendo fecerunt. ibid.
Regula XV Simoniam incurrunt, qui ex pacto ad finiendam litem dubiam ob aliquod Beneficium intentatam dant, vel accipiunt pecuniam, aut aliquid pretio æstimandum Ejusdem sunt criminis rei, qui de quocumque spirituali jure tranſigunt. 454
Regula XVI. Simonia est redimendæ vexationis specie pecunias dare, ut removeantur impedimenta, quibus aliquis prohibetur, aut retardatur a consecutione Beneficii, in quo nullum jus habet. Postquam vero jus acquisitum est, licet per pecuniam justa impedimenta removere. 455
Regula XVII. Litigantes super alicujus Beneficii possessorio inter se convenire absque Simonia non possunt, ut pacis causa Beneficium alter, pensionem alter super Beneficio habeat. 458
Regula XVIII. Pessimum Simoniæ genus est Confidentia, &c. 459
Regula XIX. Simoniacæ fiduciæ reus non est, qui Beneficio renuntiat simpliciter, & absolute in manibus Collatoris, nullo pacto inito, nulla promissione ab ipso per se, aut per mediatorem exacta, & facta: quamvis confidat, & speret, Collatorem idem Beneficium collaturum illi, quem ad illud promoveri desiderat, vel Patronum illum præsentaturum. 465
Regula XX. Simoniæ reus est, qui preces pro indigno ad obtinendum illi Beneficium Ecclesiasticum interpositas exaudit: vel qui preces pro digno quidem factas, sed tamen favoris humani, non meritorum rationem habet, vel qui pro seipso rogat, ut obtineat Curam Animarum &c. ibid.
Regula XXI. Simoniæ rei sunt, qui fœdis adulationibus Principum, nobiliumque Virorum gratiam ad obtinenda Beneficia aucupantur. 467
Regula XXII. Simoniæ reus est, qui Beneficium alicui se collaturum, aut procuraturum pollicetur ea lege, ut commendationem, vel preces Viri Principis, aut potentis, cujus in gratiam vult irrepere, & cujus patrocinium ambit, apud se interponat. ibid.
Regula XXIII. Simoniæ rei sunt duo Monachi, qui sibi invicem sua, suarumque partium suffragia pollicentur, ut alter ad Provincialis munus, alter Prioratum, vel similem aliam Præfecturam monasticam provehatur. 468
Regula XXIV. Si pecunia persoluta sit, aut pactio aliqua, vel promissio facta fuerit de altero Beneficio Ecclesiastico, aut monastica Præfectura alicui procurandis, aut de suffragio in electione ad hujusmodi Beneficium, vel Præfecturam ferendo, Simoniaca est, adeoque ipso Jure nulla Collatio, vel Præsentatio, vel Confirmatio, &c. ibid.
Regula XXV. Simoniæ rei sunt, qui pro obsequio temporali, vel sibi, vel suis exhibito, vel exhibendo, nec ad Ecclesiæ utilitatem, aut Ministrorum ejus auxilium ordinato, Beneficia conferunt, vel promittunt. 469
Regula XXVI. Simoniæ rei sunt, qui se Principum Virorum, & Procerum

obse-

INDEX

obsequio mancipant, aut in eorum clientelam se conferunt, ut Ecclesiastica Beneficia sibi, vel suis obtineant. 471
Regula XXVII Simoniæ rei non sunt, qui parva aliqua munera Beneficiorum Collatoribus, aut Ecclesiasticis Judicibus largiuntur, reverentiæ, aut amicitiæ colendæ causa, aut in grati animi pignus. 472
Regula XXVIII. Jus Patronatus vendere illum, cui est annexum, simoniacum est. 473
Regula XXIX. Omnis conventio, & pactio de contributione pecuniaria pro ingressu in religionem sive admissione ad Professionem religiosam, tam in Monasteriis pauperibus, quam divitibus simoniaca est. 474
Regula XXX. Pensiones vitalitiæ, & consuetæ, legitimæque eleemosynæ non solum recipi, sed exigi possunt a Monasteriis inopibus, & tenuibus. 477
Regula XXXI. Pro victu, & vestitu Novitiorum, & Novitiarum toto probationis anno, congrua pensio exigi, & recipi potest. 483
Regula XXXII. In Monasteriis, & Domibus quibuscumque religiosis tam virorum, quam mulierum, is tantum numerus ad Professionem religiosam recipiendus est, qui vel ex redditibus ipsorum Monasteriorum, vel ex consuetis eleemosynis commode possit sustentari. ibid.
Regula XXXIII. Pro Baptismo pecuniam solvere non licet, etiam urgente necessitate, & in vitæ discrimine. 487
Regula XXXIV. Pro Chrismate sacro, vel Oleo Catechumenorum, ut infirmorum, pretium exigere citra Simoniæ crimen nemo potest. 488
Regula XXXV Pactio quælibet pro Missarum celebratione illicita, & Simoniaca est. 489
Regula XXXVI. Quamvis Pœnitentibus in utroque foro imperari possint eleemosynæ, & Excommunicatis indici mulctæ pecuniariæ, cum in foro externo absolvuntur, nihil tamen exigi pro Absolutione potest' citra Simoniæ crimen. 493
Regula XXXVII. Simoniæ rei sunt Ecclesiastici Judices, qui pretio, vel favore celant peccatorem, aut digne Pœnitenti, ac Satisfactionem condignam offerenti, Absolutionis beneficium negant. Item Confessarii, qui pretio pariter, vel favore non pœnitentem absolvunt, levioremve, quam par sit, pœnitentiam imponunt. ibid.
Regula XXXVIII. Pro benedictionibus Nubentium, sicut, & cæterorum Sacramentorum administratione, pretium exigere, aut quovis modo pacisci, crimen Simoniæ est: cogi tamen possunt Fideles, quos paupertas non excusat, ad solvendum Ministris Ecclesiæ honorarium, quod pia consuetudine constitutum est. 494
Regula XXXIX Pactum de Processione ad funus non facienda, aut de mortuorum Officio non canendo, nisi certa pecuniæ summa solvatur, Simoniacum est. 498
Regula XL. Pro verbi divini Prædicatione pretium exigere, Simonia est: stipendia tamen sustentationis Concionatoribus Evangelicis debentur. ibid.
Regula XLI. Simoniæ rei sunt Canonici, qui Chorum frequentant propter distributiones, tanquam propter finem præcipuum. 500
Regula XLII. Simonia mentalis, & conventionalis Excommunicationem, aliasque pœnas Canonicas non inferunt, sed sola Simonia realis, cum scilicet, ita de pecunia, seu re pretio æstimabili pro spirituali danda conventum est expresse, vel tacite, ut ex una saltem parte conditio impleta sit. 501
Regula XLIII Qui pro re spirituali aliquid pretio æstimabile dedit, vel accepit, seu munus a manu, ab obsequio, vel a lingua, quamvis nullo pacto præ-

INDEX

præcedente, ad renuntiandum Beneficio, & ad reſtitutionem tenetur, ſi animo propoſuerit rem temporalem pro ſpirituali dare, vel accipere. 502
Regula XLIV. Qui per Simoniam ordinati ſunt, quamvis ipſi criminis iſtius conſcii non fuerint, ab executione tamen Ordinum ipſo Jure ſunt ſuſpenſi. 503
Regula XLV. *Geminata.* Cum iis, qui ſimoniacæ ſunt Ordinati, nec tamen Simoniæ conſcii fuerunt, diſpenſare poteſt Epiſcopus, ut Ordinis ita ſuſcepti functiones obeant. Si vero ipſi Simoniam commiſerint. aut hujuſmodi criminis participes fuerint, neceſſaria eſt ſummi Pontificis diſpenſatio. Idem eſto judicium de Simoniaca Beneficiorum impetratione. 504
Regula XLVI. 506
Regula XLVII. Qui Beneficium per Simoniam ſciens volens obtinuit, fructus omnes reſtituere tenetur, non ſolum extantes, ſed conſumptos, illis duntaxat exceptis, qui in Eccleſiæ ipſius utilitatem ſunt expenſi. Qui vero Simoniæ conſcius non fuit, fructus conſumptos reſtituere non tenetur. ibid.
Regula XLVIII. Reſtitutio pecuniæ per Simoniam acceptæ, fructuumque ex Beneficiis ſimoniace obtentis perceptorum facienda eſt Eccleſiæ, vel pauperibus. 508
CAP. VIII. De Horis Canonicis, & obligatione illas recitandi. 509
ART. I. De Horarum Canonicarum antiquitate, & numero. ibid.
ART. II. Regulæ Morales de Officii divini, ſeu Horarum Canonicarum recitatione. 514
Regula I. Clerici ſacris Ordinibus initiati, & Beneficiarii, Divinum, & Canonicum Officium etiam privatim recitare tenentur ſub pœna peccati mortalis. Reſtitutioni vero obnoxii ſunt Beneficiarii, qui ſua culpa Officii divini recitationem omittunt, pro rata omiſſi Officii parte. ibid.
Regula II. Tenuitas Eccleſiaſtici Beneficii ejus poſſeſſorem a recitatione Breviarii non diſpenſat. 523
Regula III. Qui totum Officium recitare non poſſunt propter infirmitatem, aliamve cauſam legitimam, & tamen aliquas Horas poſſunt perſolvere, ad eas recitandas tenentur ſub pœna peccati mortalis. 524
Regula IV. Quicumque Penſionem, Fructus, aut res Eccleſiaſticas ut Clericus percipit, ad parvum Officium B. Mariæ Virginis recitandum obligatur, cui ſi deſit, penſionum, fructuum, rerumque ipſarum amiſſioni obnoxius eſt, & mortalis peccati reus. 525
Regula V. Monachi, ſeu Religioſi Profeſſi Choro deputati, quamvis non ſint in ſacris Ordinibus conſtituti, ad Officium divinum privatim etiam recitandum tenentur ſub pœna peccati mortalis. ibid.
Regula VI. Moniales profeſſæ, & Choro deputatæ, ad Officium divinum recitandum tenentur ſub pœna peccati mortalis, etiam cum a Choro ſunt abſentes. 528
Regula VII. Clerici in ſacris Ordinibus conſtituti, & Religioſi profeſſi ad recitandum Officium tenentur, quamvis ſint excommunicati. 530
Regula VIII. Ad divini Officii recitationem, ita neceſſaria eſt mentis attentio, ut præcepto non ſatisfaciat, mortaliſque ſit peccati reus, qui per Officii partem notabilem ad alia ſponte mentem diſtrahit. ibid
Regula IX. Horas Canonicas temporibus congruis non perſolvere, peccatum eſt, niſi juſta cauſa, legitimumque impedimentum obeſt. 537
Regula X. Recitationem Horarum Canonicarum aliis negotiis, aut colloquiis interrumpere, irreligioſum eſt. 540

Regu-

INDEX

Regula XI. Quibus incumbit obligatio divinum Officium recitandi, illud recitare tenentur juxta Breviarium, & præscriptam formam, Ritumque, sive Romanæ Ecclesiæ, sive Ecclesiæ, cujus sunt Clerici, sive Ordinis Religiosi, quem Professi sunt; nec Officii qualitatem ipsis mutare licet absque Superiorum facultate, alioqui peccati lethalis rei essent. 541

Regula XII Qui Breviario proprio Diœcesis alicujus, vel Ordinis religiosi utuntur, recitare tenentur Officium parvum B. Virginis, & Officium Mortuorum, etiam extra Chorum, cum id singulis præscriptum est Rituali, vel Ordine, Rubricis, aut Statutis, aut consuetudine illius Ecclesiæ, vel Congregationis monasticæ, sive cum in Choro ab omnibus recitatur; idque sub reatu peccati mortalis. 542

Regula XIII. In divini Officii recitatione congruitas temporis observanda est, adeo ut Officium pro uno die præscriptum, vel notatum in Ordine, aut Directorio in aliud mutari absque gravi peccato non possit: v. gr. Officium feriæ die Jovis in Officium de Sanctissimo Sacramento. 551

Regula XIV. Canonici, qui Choro interesse debent, jus non habent distributiones percipiendi; sive cum absunt absque causa legitima, & Canonica, sive cum non adsunt modo convenienti, ac religioso, sacrisque Canonibus præscripto. 553

Regula XV Punctatores, qui injuria aliquem notant, aut notandum præsunt a Punctatore, ad restitutionem tenentur. 557

Regula XVI. Peccant Canonici, cæterique Clerici, tam Sæculares, quam Regulares, qui divinorum Officiorum tempore libros legunt, aut privatim Breviarium recitant. Idem esto de Sanctimonialibus judicium. 558

Finis Tomi Quinti.